# DE PROVIDENTIA:
## NIMBIFERI GRIPHO:
## TERRÆMOTV:

*Aliisque pluribus admirandis & arduis*

QVINTO-QVAESITIS per Epistolas a Claris Viris

RESPONSA

FORTVNII LICETI
GENVENSIS EX L. COM.
*In Antenorea Schola Medici Theorici Supremæ Cathedræ.*

Illustrissimo & Excellentissimo D.D.

ANGELO CONTARENO

Eq. Procuratori D.M. & Archigym. Pat. Moderatori

DEDICATA.




VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. M D C I I L.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

Illustrissi ac Excellentiss. D.

# D. ANGELO CONTARENO

Eq. Proc. D. M. & Archigymn. Patau. Moderatori.

## FORTVNIVS LICETVS B. A.

AEnigmatum explicationes antiquissimas esse, virisque Principibus dici, dicariq; consueuisse, testatur omnis Historia, Prestantissime Senator: Certabant olim prisci Reges, & viri sapientes, omni seculo mittitandis ad inuicem Aenis, & efflagitandis griphorum interpretationibus, irrogata multæ pœna deficientibus enodationi. Sic ad hominum sapientissimum Salomonem mittebantur vndique Scrupi, quorum apta solutione gloriam sibi comparauit omnigenæ Sapientiæ: Sic etiam Sampson Philistæorum [a] primoribus ænigmata proposuit de melle sumpto ex ore Leonis interempti, in quo mellificauerant apes: Tu vero Sapientissime Vir, qui non vnum, sed plurima difficillima negotia Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, quocumq; nodo Gordiano perplexiora, facile mira solertia domi forisq. dissoluere sciuisti summos apud Orbis Principes, Galliarum Reges, Romanos Pontifices, & alios Mundi Dyna-

[a] Iud. 14.

ſtas, extra temporis ordinem ſępiſſime Legatus; qua mentis acie perſpicaciſſima penetrans perplexiorum difficultatum cardines, & illis occurrens oportune ſemper, gladioque prudentiæ detruncans impedimenta cuncta radicitus: qua linguæ facundia tum occulta quæuis & abdita manifeſtans in arduis negocijs obſeruanda; tum vitanda pariter & amplexanda quæ ſint, perſuadens aptiſſime cunctis Principibus, quibuſcum agis de rebus maximis: Quique ſummo quodam Patrocinio Patauinum Archigymnaſium, & omnes in eo Literas colentes fouere nunquam intermittis, & alumnos Mineruę cunctos in literario mundo ſemper amare, fouereq. conſueuiſti, talem Heroa te præbes, cui non incongrua fuerit hæc mea veterum ęnigmatum, a nemine prorſus adhuc explicatorum, interpretatio. Quam teſſeram meę ſummæ erga Te obſeruantiæ lubet offerre; quum inclita Tua benignitas me certum reddat, abſte munuſculum deditiſſimi Clientis non deſpectum iri. Vale, Maxime Senator, pro certo habens, me non habere Tuæ Magnitudini paria quæ offeram in re literaria, præterquam magnam animi mei propenſionem in exiguo donario. Dabam Patauij, e meo Scalumnæ Muſeo Cal. Martij M D C I I L.

# INDEX ET SERIES CAPITVM Totius Operis.

Resp.

# FORTVNII LICETI
## Ad suum Librum Responsorum
# DE QVINTO-QVÆSITIS
## PER EPISTOLAS CL. VIRORVM
## PRÆFATIO.



*INsignium argumenti sublimitate pariter ac enigmatica propemodum obscuritate Quæsitorum a Cl. Viris mihi nuperrime propositorum interpretationem, Responsaque nunc aggrediens ex intima rei natura deducere, vel Platonis etiam hortatu monituq. tum in Philebo, tum in Critia, Diuinam imprimis opem implorare necessum est, sine cuius lumine puro nunquam inter humanæ vitæ caligines claram veritatis visionem habere licuerit: sine cuius ductu nunquam ad abditam & altam veritatis almæ sedem peruenire datum est humanæ menti, a Nycticoracis instar etiam in ijs, quæ sunt manifestissima natura sua, cacutienti. Tu Pater b Luminum, a quo descendit omne donum perfectum, & omne datum optimum, ostende mihi viam veritatis, & omnipotenti brachio virtutis tuæ duc me procul ab omnibus errorum ambagibus: Tu Fili Domine Iesu, c Lux Mundi, vere illuminans d omnes, Via, e Veritas, & Vita, viuenti nunc mihi densas inter ignorantiæ tenebras, Viam ostende planam, qua valeam ad veritatem propositarum dubitationum internoscendam ascendere, scribereque Responsa, quæ ad Tui gloriam, ad animæ meæ salutem, & ad Lectorum vtilitatem, in mundo literario perennem vitam habeant. Tu Sancte-Spiritus, illuminator Cordium, inspira meo intellectui sensum veritatis, a quo procul absint omnes errorum tenebræ.*

a 2. meta. t. 1.
b Iacob. 1.
c Ioan. 8.
d Ioan 1.
e Ioan. 14.

*De*

*De Prouidentia, & Prædestinatione Diuina erga Libertatem humanæ Voluntatis Quæsitum. Caput Primum.*

Clarifs. Viro Fortunio Liceto
Petrus Campana Clericus Regularis S. D.



EVangelij luce ſublatis Gentilium Oraculorum erroribus, adhuc non deſunt tenebræ; nam lux in tenebris lucet: ob quas diſcutiendas; præter Summorum Pontificum & Conciliorum ſplendidiſſima oracula, non parum luminis ſęculis fere ſingulis attulere Patres, ac inſignes Doctores, ad quos velut ad lucernam lucentem in caliginoſo loco vndique ſua dubia, & quęſita deferre aut tranſmittere cæteri conſueuerunt. Inter hos huius æui Doctores Te reponendum, Optime Licete, tot clariſſima tua reſponſa ad implicatiſſima quæſita ex omni Europa tibi propoſita ſatis ſuperque declarant. Ne mireris igitur me tuam facem implorare aduerſus obſcuritates, quæ Scholis, atque Eccleſijs diſputando, & concionando ſolent ingeri dum tolli curantur, circa punctum Philoſophicum æque ac Theologicum maximi momenti. Duo certa ſunt apud Theologos communiter circa Gubernationem Diuinam, tum Naturalem, quæ Prouidentia dicitur, tum Supernaturalem, quæ Prædeſtinatio appellatur. Vnum eſt, Quæcumque, etiam libere, geruntur in tempore, æterno Dei decreto eſſe ordinata. Alterum, Quæcumque ab homine, vt homo eſt, geruntur, libere ab eo fieri. Modum vero, quo ſibi cohæreant, vel ſaltem non aduerſentur hæc duo, vix adhuc humana ingenia reperire potuerunt. Quomodo ſcilicet poſſit Deus actus humanos prædefinire, ſi illos non determinat, aut quomodo poſſit eorum perfectam Prouidentiam habere, ſi illos non præ-

*Quæſitum.*

*Difficultates in Quæſito quot & quæ ſint.*

definit. Prædefinire autem postquam scientia Visionis præuidit Deus libere futurum illum actum, non sufficit ad exactam & propriam rationem Prouidentiæ; quum huiusmodi Præfinitio vtpote consequens ad futuritionem effectus iam præuisi, non habeat erga illum rationem causæ. Nec satisfacit Prædefiniri absolute postquam effectus est præuisus scientia Conditionata; nam ista Præfinitio absoluta adhuc post illam scientiam Conditionatam (quam dari minime liquet) est antecedens ad actum humanum absolute promendum; ergo infert illi necessitatem, & tollit indifferentiam: posita enim hac præfinitione absoluta, & efficaci, impossibile est, aut (quod idem importat) implicat contradictionem (etiam in sensu non composito) actum non promi: quis enim Dei voluntati resistere potest? Nec difficultatem effugit qui ait Implicare quidem actum non promi, non vero tolli potentiam ad non promendum actum; quis etenim non videt, si posito tali Decreto implicat non fieri actum, implicare quoque potentiam ad illum non faciendum? quum Fieri & Facere, Actus & Potentia sint inuicem relatiua?

Cupiens igitur euitare Carybdim Coactæ Libertatis, nollem incidere in Scyllam Nutantis Prouidentiæ, vt cogar dicere cum a Damasceno, *Omnia quidem Deus prænoscit, non omnia tamen præfinit: prænoscit enim quæ in nostra sunt potestate, non tamen ea præfinit.*

a lib. 2. fid. c. 30.

Exere, Vir doctissime, vires ingenij, & aliquid affer supra id quod eximiæ subtilitatis atque doctrinæ Antistes Derthonensis Paulus Aresius, meus quondam in Philosophicis, ac Theologicis studijs Magister, declarare iuueni conatus est; erisque seni senior Instructor, ac Benefactor. Vale.

Vicentiæ Cal. Ianuarij M D C X L V I I.

Resp.

*Resp. Liceti; De Prouidentia, Prædestinationeque Diuina immutabili, non tollente libertatem actionum humanarum, primo fundamento iacto de gubernatione subcælestium a cælo. Cap. II.*

Clariss. Viro Petro Campanæ Clerico Regulari Fortunius Licetus B. A.

DEbueram ego Te, præstantissime Theologorum æui nostri, de proposito Quæsito Diuinæ Gubernationis in Prouidentia, & Prædestinatione cunctorum actuum humanorum, illibata nostræ voluntatis libertate, consulere; certus enim sum, si vel ferreis difficultatibus tuam solidissimam Petram percussissem, aurei luminis fauillas & plurimas & micantissimas excussurum me facile fuisse, quibus omnes tenebræ caliginosi Quæsiti, quantumvis densæ palpabilesque, protinus abigerentur, & illustrata Veritas, antea latens, iam compareret, in dias luminis oras educta. Verum quia tibi placuit me præuenire, meaque sensa postulare de re Theologis pariter atque Philosophis hactenus inexplicata; mihique nodum soluendum proponere Gordio nodosiorem, de quo Plutarchus in Alexandro scripsit: *Gordij opidum, quod veteris Midæ fertur domicilium fuisse, in fidem accipiens* Alexander, *nobilitatum illud spectauit vehiculum cortice reuinctum corneo, ac pro vero a barbaris accepit credi, in fatis esse, qui vinculum id soluisset, is vt imperio Orbis terræ potiretur. Commemorant multi vinculum, quod tortuosis orbibus nodi in semetipsis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum soluere desperantem gladio nexum dissecuisse, atque multa eo resoluto capita inuenisse. Aristobulus vero sane quam expedite nodum ait eum soluisse, quum exe-*

*Gordij nodi historia.*

*misset ex temone clauum, quem vocant: qui temoni alligat iugum; atque ita inde iugum subtraxisse.* Sane conati sunt hæretici multi gladio negationis libertatem humanæ voluntatis vulnerante soluere nodum: alij Prouidentiam diuinam iugulante; sed omnes irrito conatu, nodum reliquerunt adhuc insolutum. Vtinam mihi liceret e temone diuinæ Gubernationis eximere clauum incompatibilis contradictionis implicantis inuariabilitatem æterni decreti cum indifferentia libertatis humanæ circa futuras actiones temporarias incolumi prorsus perfectione Prouidentiæ summæ, iustæque Prædestinationis ac omnino illibata Gubernatione Diuina. Tibi vt morem geram, Cl. Vir, hanc prouinciam aggredior, non vt imperio potiar Orbis literarij. Ea lege tamen tua iussa capesso lubens, vt cuncta, singulaque mea cogitata tuo prudenti candidoque iudicio perpendas vnius ad veritatis trutinam; & quæcunque mea sphalmata compereris, emendes, meque de correctione commonefacias; vt præmium meæ promptæ obedientiæ a te mihi sit erratorum agnitio, & euitatio.

*Methodus tractandi Quæsitum.* *a Rom. 1.*

Porro de Prouidentia, Prædestinationeque in Gubernatione Diuina erga voluntatis humanæ functiones acturo mihi propono regulam effatum *a* D. Pauli, scribentis: *Inuisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspici.* Quocirca primum considerabo Gubernationem, qua cælum regit inferiorum corporum virtutes; inde conabor ascendere ad Prouidentiam, quam Deus & vt Primus Motor habet de corporibus omnibus motui subiectis, & vt Primum ens de rebus infra naturam humanam collocatis; & demum ad altiorem abditioremque Gubernationem eleuari, qua Deus vt omnium Princeps, atque creator, actiones humanas temperat, a nostra voluntate libera prouenientes, homi-

minesque regit optimo Prouidentię Prędestinationisque regimine. Profectò cælum gubernare virtutes omnes inferioris mundi, non solum Aristoteles edocet, verum etiam ratio dictat, & experientia comprobat: Philosophus quidem apertissime dicens: *b Est autem ex necessitate continuus quodammodo iste* mundus elementarius *superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur. Vnde enim motus principium omnibus inest, illam causam putandum primam*. Cælum itaque motu suo gubernat omnes virtutes elementarij mundi, proprijs in earum operationibus obeundis, nec non etiam humanas operationes. Nedum naturales; quia *Homo hominem generat, & Sol*; vt ait idem *c* Aristoteles; verum etiam voluntarias, non quidem voluntatem determinans, hoc est absque eo quod in voluntatem influat directè, vt Scholastici loquuntur; sed voluntatem semetipsam determinantem regit, atque gubernat cælum. Ratio vero dictat idipsum, quia cessante motu cælesti, nullę fierent in elementari mundo rerum corporearum functiones; etenim proxima propriaque causa nihil agere potest sine communi & remota; vt edocet *d* Aristoteles; cui consentit *e* D. Thomas, cum vniuerso Theologorum choro, decernente post Vniuersale Iudicium cessaturos esse motus cælestes, & effectus omnes elementarij mundi. Experientia deinceps idem confirmat, ab Aristotele prolata, dum ait: *f* Motum quidem primi mobilis esse causam continuitatis omnium mutationum, quæ fiunt in elementis; lationem vero Solis & planetarum esse causam generationis & corruptionis, quæcumque fit in inferiori mundo: sed absolute motus circulares gubernare functiones rerum omnium subcælestium. *Ideo*, *g* subdit, *& tempus & vita vniuscuiusque numerum habent, & hoc determinantur: omnium enim est ordo. Et omne tempus*

*Cælum vt gubernet omnes virtutes inferioris mundi.*

b 1. meteor. su. 1. c. 2.

c 2. phys. t. 26.

d 1. post. t. 90.

e sup. 3. p. q. 91.

f 2. de gen. t. 56.

g tex. 57.

*pus*

*Cælum determinat effectum inferiores.*

*pus & vita mensuratur circuitu; sed tamen non eadem omnia, sed hæc quidem minori, hæc autem maiori; his enim annus, his autem maior, aliis autem minor circuitus est mensura.* h *Apparent autem & secundum sensum confessa his, quæ a nobis dicta sunt; videmus enim quod adueniente quidem Sole generatio est, recedente autem corruptio; & in æquali tempore vtrumque: æquale enim tempus generationis & corruptionis quæ secundum naturam.* Sic igitur omnis virtus, & omnis vita, nimirum omnis operatio subcælestium agentium quorumcunque, proindeque hominum etiam, gubernatur, & determinatur a motibus cælestibus, & eapropter a lumine cælestium astrorum; nam Aristotelis decreto, i *Nullam lationem possibile est esse, quæ non ordinetur ad lationem stellæ.* Quam quidem gubernationem latius alibi Magister explicat inquiens: k *Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & vitarum, dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. Circuitum appello diem, noctem, mensem, annum, & tempora, quæ iis describuntur, atque etiam Lunæ traiectiones: sunt enim Lunæ circuitus complementa, & silentia, & interpositorum temporum sectiones; ita enim coit cum Sole; Mensis namque communis amborum circuitus est. Luna autem principium est propter Solis societatem, receptumque lucis; fit enim quasi alter Sol minor: Quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesque; calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt: terminum autem tum principii, tum finis qualitatum earum motus horum siderum obtinet; Vt enim mare & omnem humorum naturam subsistere, mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus; aerem vero, & flatus pro Solis, Lunæque circuitu affici: sic ea, quæ ex iis, aut in iis oriuntur, sequi necesse est. Nam vt rerum minus principalium circuitus sequantur magis principalium circuitum,*

h tex. 98.

i 12. meta. t. 48.

k 4. de gen. an. c. 10.

*tum, ratio est: Vitam enim quandam, & ortum, & interitum vel statuum esse fateor. Conuersionis vero eorum siderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret. Sed exquisite id facere nequit, propter materiæ indefinitionem: & quod multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sæpe impediant: atque ita causæ sint earum, quæ veniunt præter naturam.* Quibus explicandis, præter ea, quæ latius alibi retulimus apud *l* Cl. Beuerouicium, addere liceat in præsentia, Naturam cælestem, quæ causa communis est omnium elementarium, velle quidem voluntate suæ Intelligentiæ, qua constituitur in animantium genere (vt Aristotelem censuisse probauimus olim opere nostro De *m* Vita) numerare, terminareque definite, proindeque Prædefinire cunctorum subcælestium generationes, obitus, vitasque, scilicet *n* operationes; verum exquisite id facere non posse, duplici de causa; prima quarum est materiæ indefinitio; scilicet inter elementaria corpora sunt homines, qui *o* materia sunt, quam inter alia gubernat & regit cælum vt caussa efficiens omnium nostratium; quin & humana voluntas, quæ virtus est in hoc inferiori mundo, gubernata cum ceteris a motu cæli, materia est, quam cælum regit: Homo vero, humanaque voluntas, propter arbitrij sui libertatem, indefinitionem habet natura sua; & indifferens potest a semetipso solo definiri, determinarique simpliciter, non ab alio. Potest quidem cælum in sua gubernatione mortalium, homines inclinare, propensosque reddere potius ad vnum genus actionum quam ad aliud, potius ad vnam etiam (si placet) singularem actionem quam ad aliam; at illos absolute certo necessarioque determinare ad vllam peculiarem, inuitosque cogere, minime potest; verum homo contra

*Gubernantis cæli determinatio potest impediri a conditione rei gubernatæ.*

*Cælum prædestinat rerum generationes secundum naturam.*

*Prædestinatio cæli sæpe impeditur.*

*l* d. 1. Quæst. resp. ad ep. 3.

*m* l. 2. c. 5. 29. & seqq.

*n* 2. de an. t. 2. 10. ethic. c. 8. 12. meta. t. 39.

*o* 1. meteo. su. 1. c. 2.

cæleſtium inclinationem agere valet, ac omnino ſuperare propenſionis cæleſtis impulſum, omneſque conatus illius irritos reddere; quocirca recte Ptolemæi *p* teſtimonio, *Prudens dominabitur aſtris*. Altera cauſa eſt, quia cęleſtium actus non fiunt in materia niſi diſpoſita, vt ait *q* Ariſtoteles, accidere vero poſſunt extrinſecus multa tum homini, tum rebus alijs, quæ tollant ab eis diſpoſitionem neceſſariam ad recipiendos actus cæleſtes; vnde cæleſtium determinationes, & fines impediuntur: Quod etiam antea docuerat Ariſtoteles; qui poſteaquam *r* dixerat generationes & corruptiones omnes inferioris Mundi, proindeque penitus omnes actiones, etiam humanæ voluntatis (etenim omnem actionem, motumque poſuerat eſſe generationem termini ad quem, & corruptionem termini a quo) in tempore fieri prorſus æquali tempori menſuranti cæleſtes circuitus; admonet id frequenter impediri ſcribens, *u Sed contingit ſæpe in minori corrumpi, propter ad inuicem confuſionem; inæquali enim exiſtente materia, & non vbique eadem, neceſſe eſt generationes inæquales eſſe, & has quidem celeriores, illas autem tardiores. Quocirca accidit propter horum generationem alijs fieri corruptionem*. Idea vero gubernationis, qua cælum regit omnes virtutes mundi ſubcæleſtis, beneficio motus & luminis, tota ſita eſt in duobus attributis, Conſeruandi phyſicam entitatem inferiorum in puris eorum naturalibus: & Fouendi regendique vires eorumdem operatrices in agendo: non autem determinandi vim actiuam vllius eorum ad talem vel talem actionem indiuiduam; quia cauſa communis & vniuerſalis de ſe indifferens eſt ad omnes effectus agentium particularium, quibus cooperatur ea gubernans; determinatur autem a conditione materiæ particularis præſenti, circa quam operatur; *videtur enim*, Ariſtotele Magiſtro, *x in patiente, & diſpoſito actiuo-*

*p* Centiloq.

*q* 2. de an. t. 24. 26.

*r* 2. de gen. t. 58.

*s* 8. phyſ. t. 24.

*u* 2. de gen. t. 58.

*Idea gubernationis inferiorum a cælo, in quo ſita.*

*Cauſa communis non determinat particularem, ſed e contra.*

*x* 2. de an. t. 24.

*uo-*

*norum inesse actus : y Vniuscuiusque enim actus in eo quod potentia existit, & in propria materia aptus natura est fieri.* Sol etenim idem simul tum proximam materiam promouet ad generationes, & remotam ad corruptiones : tum z calorifico lumine suo lutum indurat exsiccans, & glaciem emollit colliquans. Ita plane Deus optima sua Gubernatione Mundum temperans immutabilis ipse conseruat omnia, speciatimque mortales homines eorundemque liberam voluntatem in sua natura, simul & eam sese determinantem ad arbitrium regit in suis actionibus, quas omnes præsentes habet in æternitatis momento constitutas, & probas æterna gloria munerat, improbas æternis afficit supplicijs; non determinans ipse voluntatem hominum ad praue agendum, quia iustus est; neque ad probas actiones, quia cogeret humanam libertatem, & iniuste tribueret homini quod suum non est; vt si quis infidelem voluntate repugnantem cogeret genuflectere coram Cruce, velletque propterea functionem istam ceu meritoriam munerare gloria cælesti : sed in æternitatis momento Iustitiam Dei secundum se stabilem tribuendi vnicuique suum, adeoque indifferentem ad præmijs decorandos probos, & pœnis torquendos improbos; hi prauis actionibus diuinam Iustitiam determinant ad se merito puniendos, & illi ad se digne glorificandos: Quæ determinatio dicitur Prædestinatio. De qua legimus, a *Deus vult omnes homines saluos fieri*; sicuti de cælesti gubernatione dixit Aristoteles, b *Natura ita sibi vult vt eorum* siderum motuumque cælestium *numeris generationes & obitus numeret. Sed exquisite id facere non potest, propter materiæ indefinitionem.* Ita Deus non potest omnes homines saluare, prædestinareque ad gloriam, propter eorum indefinitionem, qua sunt alij boni, & alij mali; quorum boni determinant Diuinam Iustitiam ad se saluandos;

y tex. 16.
z 2. de gen. t. 58.
a 1. Tim. 2.
b 4. de gen. an. c. 10.

dos; vnde recte scribitur a D. Augustino, *c Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te*: mali determinant ex aduerso diuinam Iustitiam ad se damnandos; vnde recte similiter, *d Perditio tua ex te Israel*. Non potest autem Deus omnes homines ad gloriã prædestinare, quia malos prædestinando, non esset Iustus; at non potest non esse Iustus. Itaque Gubernatio, qua cælum regit omnes virtutes inferioris mundi, sic introducit, attollitque nos ad intelligendam vtcumque Gubernationem Diuinam tam naturalem, quæ Prouidentia dicitur, quam supernaturalem, quæ Prædestinatio nuncupatur.

c serm. 15. de verbis Apost. tc. 10.

d Oseæ 13.

*Deus, qua primus Motor, vt gubernet omnem virtutem corpoream.* Caput III.

Ceterum vti cælum gubernat omnes virtutes elementarij mundi; sic Primus Motor, tanquam caussa cælo communior, & excellsior, gubernat omnes virtutes mundi sensibilis atque corporei, cælum includentis, easque regit eadem omnino ratione; quod obseruat Aristoteles tum asserens: *e Duplicia autem sunt principia mouentia physice; quorum alterum non physicum est; non enim habet motus principium in seipso; tale autem est, si aliquid mouet, quod non mouetur, vt id quod penitus est immobile, & quod omnium primum est*.. tum etiam alibi: *f Quum autem aliquid sit mouens ipsum immobile existens, actu ens; hoc nullo modo contingit aliter se habere: latio namque prima mutationum est: huius autem, quæ circularis est: hanc autem illud mouet. Ex necessitate itaque est: & prout necessitas bene est; vt sic principium. Necessarium namque toties dicitur; quoddam vi, quia præter inclinationem: quoddam, sine quo non bene esset: quoddam, quod non aliter contingit se habere, sed simpliciter est. A tali ergo principio tum cælum, tum natura* de-

e 2. phys. t. 73.

f 12. meta. t. 38.

*dependet*. Quin & alio loco dicens, g *Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo; mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine.* Sic ergo Primus Motor physice gubernat omnia mundi corpora, corporalesq. virtutes omnes, quia per motum, qui res est omnino physica, tum conseruat vbique, tum fouet atque regit omnes virtutes corporum etiam cælestium; etenim cessante Primi Mouentis actione, motuque, quo cælum physice mouet, non solum elementaria, sed etiam cælestia corpora, quorum finis est ille motus, esse desinerent omnino; sicuti late b dudum ostendi; quia nihil frustra i patitur in Mundo Deus, neque Natura: Qua ratione motum, quo Mundus agitur vniuersus a Primo Motore, quamdam esse veluti vitam rebus natura subsistentibus omnibus, ait Aristoteles ipsissimis verbis, k *Vtrum autem factus est aliquando motus, quum non esset prius, & corrumpitur rursus, adeo vt moueatur nihil: an neque factus est, neque corrumpitur, sed semper erat, & semper erit; & hoc immortale, & sine quiete ijs inest, quæ sunt, veluti vita quædam, quæ inest natura subsistentibus omnibus.* Quum itaque vita, quæ definitur Aristoteli l viuentibus esse, siue sumatur in actu primo, siue in secundo, gubernet animantia, quia conseruat illorum naturam, fouetque virtutes eorundem operatrices; iam Primus Motor physice mouens tum cælum, tum omnia reliqua naturalia corpora, dicitur omnem naturam corpoream physice gubernare, quia motum promit conseruatorem cunctarum rerum naturalium. Quod alibi m notasse vidimus Aristotelem asserentem a Primo Motore immobili tum cælum, tum Naturam dependere. vbi cæli vocabulo designat vniuersum mundum sensibilem, qui dependet a Primo Mouente, velut a sui rectore, conseruatoreque: nomine vero Naturæ signat omnem operationem phy-

g 7 Eudem. mor. c. 18.

h de 2. Qu. pag. 356. 359.

i 1. cæl. t. 32

k 8. phys. t. 1.

l 2. de an. t. 37.

m 12. meta. t. 38.

n 3. meta. t. 3. o 8. phys. t. 24. p 2. phys. t. 14. q 5. meta. t. 5. r 1. cæl. t. 96. s 5. meta. t. 5. t 2. phys. t. 14.

ficam agentis cuiusque corporei, quæ n motus est, adeoque o generatio, quæ p natura vocatur q prima significatione. Porro cælum indicare totum mundum sensibilem aggregatum ex omni corpore, decreuit Aristoteles aiens, r *Totum enim, & vniuersum consueuimus dicere cælum*. Naturæ vero vocabulum primo significato generationem denotare, monet idem Aristoteles inquiens, s *Natura vero dicitur vno quidem modo nascentium generatio*: & alibi: t *Amplius autem Natura, dicta vi Generatio, via est ad naturam. Non enim vt medicatio dicitur non ad medicinam via, sed ad sanitatem (necesse enim est, a medicina, non ad sanitatem esse medicationem) sic natura se habet ad naturam; sed quod nascitur, ex quodam in quiddam venit, quatenus nascitur: ad quod igitur nascitur? non ad id, ex quo, sed ad quod*. Atque hinc omnem motum dici generationem, adeoque naturam, clare docet Aristoteles tum alibi dicens: u *Generationem igitur aufert & corruptionem hic sermo. Fere autem & ipsum moueri, fieri quippiam & corrumpi videtur omnibus: in quod enim mutatur, fit hoc, aut in hoc: ex quo autem mutatur, corrumpitur hoc, aut hinc*: quod est dicere, omnem motum esse generationem sui termini ad quem, & corruptionem sui termini a quo: tum alio loco x scribens: *Actiones vero omnes cum motu*. Sic igitur a primo motore immobili, semper eodem modo se habente, semper eodem modo mouente, functioneque sua penitus vniformi ac inuariabili, dependet tum cælum, hoc est vniuersus iste mundus sensibilis atque corporeus: tum tota natura, hoc est vniuersa mundanarum operationum series, adeoque speciatim etiam humanarum actionum multitudo in gubernari, & conseruari iuxta cuiusque propriam naturam; proindeque cælum in eodem statu secundum essentiam immutabile; functiones humanas in sua natura li-

u 8. phys. t. 24. x 3. meta. t. 3.

be-

beras, & indifferentes; nam omne quod recipitur per modum recipiẽtis recipitur; & actus actiuorum in subiecto disposito, prout dispositum est, aptus natura est y fieri: Primique motoris eadem actio æterna conseruat & gubernat simul omnia corporea in sui natura, immutabilia quidem in suo esse inuariabili; contingentia vero in sua indifferentia.

y 2. de an. t. 24. 26.

*Deus quatenus est prima causa vt promoueat & gubernet omnes effectus. Cap. IV.*

AT si Deum consideremus sub ratione primæ causæ, competit illi gubernare cunctas causas secundas; vtque cum eis promouere effectus, adeoque peculiariter etiam omnes humanas actiones, in tempore geri valentes, vt omnium primum efficiens, prima forma, & primus finis; quod Aristoteles etiam nos docuit; primum quidem inquiens: z *Post hos autem, & huiusmodi principia tanquam non sufficientia, vt entium naturam generarent, rursus ab ipsa veritate, vt diximus coacti, illud, quod sequitur, quæsiuerunt principium. Vt enim entia bene se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec aliud huiuscemodi quicquam verisimile est causam esse: nec illos verisimile est arbitrari: nec rursus Casui & Fortunæ tantam attribuere rem probe se habet. Quare, qui vt animalibus, ita in Natura Intellectum inesse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius, comparatus ad Antiquorum vana dicentes, apparuit.* Modo veteres intellectum animantium ab anima non distinxisse, a satis aperte notauit Aristoteles; qui multo prius b edocuit, animam in corpore viuente secundum tres determinatos modos esse causam, nimirum effectricem, formalem, atque finalem, exclusa materiali causa, quæ de se determinationem non ha-

z 1. metaph. 2. c. 2.

a 1. de an. t. 150. & seqq.

b 2. de an. t. 36. 37.

habet; quos tres modos determinatæ causæ tum effectricis, tum formalis, tum etiam finalis in Deo cognouisse Philosophum, c late probauimus c in opere *De Pietate Aristotelis* recens inuulgato, & alibi, declarantes ex Aristotele, Deum esse causam cunctorum Effectricem, tum quia conseruat omnia, tum quia regit & fouet omnia reliqua efficientia illis eminenter cooperans in quibusque suis operationibus obeundis: Formalem, quia est actus intime continens, atque perficiens omnium naturam, esse simpliciter vnicuique causato tribuens: & Finalem, quia vt homo est quodammodo finis, e cui cedunt in vtilitatem omnia corpora; sic Deus est Finis primus, f in quem omnia prorsus entia g coordinantur. Modo Deus istarum causarum rationes, ac vires erga singulas causas secundas, & erga cunctos & singulos effectus exercet ipse semper eodem modo inuariabili; sed illas primæ causæ rationes appropriant sibi quæcumque causata, tam immutabilia, quam variabilia, pro modo naturæ cuiusque illorum sine repugnantia penitus vlla, sicut alias h ostendi latius.

c l.1.c.3.& l.3.c.14. 2. de im. an.c.44.

d 2. phys. t.67. 4.phy.t.35 4. cæl. 22. 35. 2.de an.39 & 7. Eud. c.18.

e 2. phys. t.24.

f D.Th.1.p. q.44.

g 12.meta t 52.53.

h 1.de Piet. Arist.c.2.

### *Deus, qua primum ens est; vt gubernet omnia entia.*
### *Caput V.*

PRæterea vero si Deum consideremus vt primum ens, quum sit primum esse per essentiam, a quo per participationem esse habent reliqua omnia, vt D. Thomas elicit ex rei natura, Platone, ac Aristotele, dicens: i *Omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter conuenit; sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem k supra quum de Diuina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum esse*

i 1.p.q.44. a.4.C.

k q.3.a.4.

*esse per se subsistens. Et iterum ostensum l: est quod esse subsistens non possit esse nisi vnum, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi vna; quum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quod alia a Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur quod omnia, quæ diuersificantur secundum diuersam participationem essendi, vt sint perfectius, vel minus perfecte, causari ab vno primo ente, quod perfectissime est. Vnde & Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere vnitatem. Et Aristoteles dicit l. 2. Metaphys. m quod id, quod est maxime ens, & maxime verum, est causa omnis entis, & omnis veri; sicut id, quod maxime calidum est, est causa omnis caliditatis.* Quare Deus, vt primum ac simplicissimum ens per essentiam, gubernat & regit entia reliqua omnia per participationem, quibus per actum productionis qualiscumque tribuit esse, conueniens eorum singulorum naturæ, illudque in illis conseruat, & gubernat in omnibus ipsorum operationibus obeundis, non destruens, at perficiens eorumdem singulorum essentiam & proprietatem. Qua de re præclarum habemus Aristotelis testimonium asserentis: n *Semper vero, vt dictum est, continua erit generatio & corruptio, & nunquam deficiet, propter eam, quam diximus, causam. Hoc autem rationabiliter o contingit. Quoniam enim in omnibus inquimus quod melius est desiderare naturam semper: melius autem esse quam non esse: esse autem quot modis dicimus in alijs dictum est: hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quod longe a principio distant: reliquo modo compleuit Deus totum, continuam faciens generationem: Ita enim maxime continuabitur ipsum esse; quia proxime est substantiæ fieri semper generationem:* tum quia semper generatio terminatur ad ipsum esse: tum quia generatio perpetuum reddit ipsum esse speciei; quod alibi notat Aristoteles aiens: p *Naturalissimum enim* ope-

l 1.q.11.a 3. & 4.

m tex.4.

n 2.de gen. t.58.

o tex.59.

p 2.de an. t.34.

*operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud quale ipsum: animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper & Diuino participent secundum quod possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius gratia agunt* q tex. 35. *omnia, quæcumque agunt secundum naturam.* q *Ipsum autem cuius causa duplex est: hoc quidem cuius, illud vero cui. Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & Diuino continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere, secundum quod potest participare vnumquodque, sic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus: & permanet, non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum.* Ex his apparet, Deum, qua primum ens est, ac ipsummet Esse per essentiam, gubernare cuncta entia reliqua, quæ obtinent esse participatum: eaque regere sub ratione finis, cui singula cupiunt assimilari secundum æternitatem ipsius esse, quam consequuntur a Deo conseruata semper aut in numero, aut in specie per continuam generationem, pro modo suæ cuiusque naturæ, & conditionis. Et sane Finali causæ, siue Deo sub ratione finis, quatenus est primum ens, cui cupiunt omnia in esse perpetuo assimilari, conuenire rationem Primi entis Gubernantis, atque regentis vniuersa; non solum ait D. Thomas r 1.p.q.44. a.4. r cui, *Deus quum sit primum agens, primus quoque finis omnium est.* & mox. *Sed primo agenti, qui est agens tantum, non conuenit agere propter acquisitionem alicuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est bonitas (* & entitas*). Et vnaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis, & bonitatis diuinæ. Sic ergo diuina bonitas est finis rerum omnium;* atque adeo diuina entitas, quæ cum bonitate conuertitur & coincidit. Verum etiam multo prius asseruit Aristo-

ſtoteles, cui, ſ *Perſcrutandum etiam hoc, quonam modo natura Vniuerſi habeat ipſum bonum, & ipſum optimum: Vtrum ſeparatum quiddam & ipſum, an per ſe, an ipſo ordine. An vtroque modo, quemadmodum Exercitus. Etenim bene eſſe eius in ordine, & Dux ipſe eſt; ac magis ipſe: non enim ipſe propter ordinem, verum ordo propter ipſum eſt. Cuncta autem coordinata quodammodo ſunt, verum non ſimiliter & natantia, & volatilia, & plantæ: Nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum; ſed ſunt ad quippiam; ad vnum namque coordinata ſunt omnia. Verum, quemadmodum in domo liberis quidem minime licet quodcunque facere, ſed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata ſunt: mancipijs vero & beſtijs parum, quod ad commune conferat, ſed vt plurimum quodcumque contingit (tale namque principium cuiuſque eorum natura eſt) t Dico autem pariformiter quod neceſſe eſt omnia in diſcrimen venire: & alia ſunt, quibus omnia communicant ad Vniuerſum.* Sic ergo Deus, ſub ratione Primi entis, veluti Dux exercitum, & veluti Paterfamilias domum gubernat; nam vt in exercitu Dux incutit ſui deſiderium Centurionibus, Decurionibus, & alijs Præfectis ordinem ſeruare coordinando milites omnes ad vnum Ducem imitandum, & illi obtemperandum exacte; lixis autem & calonibus permittit non ita religioſe ſeruare præſtitutos ordinis, at eſſe prorſus indifferentes ad ordinem militarem ſeruandum, & non ſeruandum, ex illorum arbitrio; & quemadmodum in domo Pater liberis ordinata facere cuncta ſecundum normam inuariabilis honeſtatis, & rectitudinis præſcribit: ſeruos autem, & beſtias permittit indifferenter ſe habere ad contingentia; ſic omnino Deus vt primum ens ad alia cuncta ſe habet; etenim æternis & immutabilibus entibus, tam incorporeis, quam corporibus cæleſtibus, ordinata præſcribit opera, functionumque genera, quæ ſibi non licet egredi; ſunt enim

ſ 12. meta. t. 52.

t tex. 53.

veluti Præfecti, seu Centuriones in exercitu, ac veluti liberi in domo: caducis vero cunctis, & hominibus in hac vita degentibus permittit indifferentiam, quasi calonibus, & seruis, lixisque pariter ac bestijs, qua possunt, prout contigerit, a recta regula deuiare, vel etiam rectum ordinem seruare. Quocirca Deus in ista Gubernatione Metaphysica, vt primum ens, adeoque veluti primum ac summum bonum Vniuersi, primusque finis atque supremus omnium, ad quem cuncta coordinata sunt, incutit omnibus reale desiderium se se Deo summo enti, ac summo bono quomodocunque possunt, assimilandi in æternitate, perpetuitateque sui esse, proprieque bonitatis, saltem in perennitate speciei. Quæ quidem gubernatio ex parte Dei consistit in actu conseruandi, perficiendique vniuersum, & singula entia pro illorum capacitate, ac dispositione; nam actus actiuorum omnium apti nati sunt fieri in patiente disposito, & accipi per modum recipientis, vt non semel docuit Aristoteles, omnibus illi subscribentibus.

2. de an. t. 24. 26.

*Deus, qua Dominus & Princeps, vt politice, siue moraliter gubernet omnia. Caput VI.*

AT vero Deus in Mundi Gubernatione considerari Theologice potest, atque Moraliter; etenim Theologia Practica Moralis est, & Politicam diuinam continet, in qua Deus inspicitur, vt Princeps omnem creaturam sibi subditam optime gubernans; quum Theologia speculatiua Deum referat ad alias res omnes, vt ad creaturas earum Creatorem. Si quidem agamus de Theologia practica, quæ speciatim agitat nostram Quæstionem Prouidentiæ, ac Prædestinationis; ista Gubernatio Dei Theologica Politicã humanam rectam habet vt-

vtcumque similem; & de ipsa sapienter ait *x* Aristoteles: *At entia nolunt male gubernari: non est bona multitudo principatuum: Vnus ergo Princeps:* Cuius bonam gubernationem alibi declarat inquiens: *y At nunquid secunda fortuna est, vt Deorum quædam cura? An id minime videri debet: talium siquidem Dominum præficimus Deum, vt bona malaque meritis distribuat; at fortuna, & quæ a fortuna, tam vere, quam vt sors tulerit, fiunt. Quod si huiusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum iudicem faciemus, neque iustum: id nefas Deo deputare.* & mox; *Præterea neque cura, neque beneuolentia, quæ a Deo, videatur esse felicitas* (hoc est, secunda fortuna) *quoniam malis attribuitur: atqui Deum malorum curam habere fas non est.* Vbi vocabulo *cura* signat Aristoteles beneuolentiam, & fauorabilem protectionem, gratiamque dilectionis; qua Deus non prosequitur impios, verum eos oderit, iustos tantummodo diligens, ac de probis curam benignæ custodiæ gerens; qui propterea dixit: *z Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* & alibi: *a Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* vbi Lyranus in persona Dei erga iustos, *idest, solicite vos custodiam, sicut custoditur oculi pupilla: licet enim tunc Christus permiserit fideles corporaliter perturbari* (ob venialia crimina, in quæ *b septies in die cadit iustus) tamen custodiuit eos solicite in spiritualibus bonis, in quibus tunc creuit Ecclesia merito & numero fidelium magis quam tempore pacis: Quod fuit figuratum in filijs Israel, qui quanto magis affligebantur ab Aegyptijs, tanto magis multiplicabantur c & crescebant.* Nempe Deus, vt summa iustitia est, nullum bonum irremuneratum sinit, & nullum malum impunitum; Quia vero nemo viuit hominum adeo malus, quin aliquas actiones bonas edat; nemoque iustus est adeo, quin cadat in die septies; proinde Deus malorum bonas actiones iustas munerat prosperitate

*x* 12. meta. t. vlt.

*y* 2. mag. mor. c. 9.

*Diuina prouidētia culta ab Arist.*

*Deus vt malorū curam non habet Arist.*

*z* Malach. 1. Rom. 9.

*a* Zachar. 2.

*b* Prou. 24.

*c* Exod. 1.

fortunæ; prauas, in quibus moriuntur, punit æterno gehennæ supplicio: Viceuersa bonorum crimina purgat afflictionibus malæ fortunæ, pænisque Purgatorij, si non sufficiant illæ; sed actiones probas, in quibus vitam obeunt, æternæ vitæ præmio remunerat. Ceterum *curæ* nomine si gubernationem accipias, curam etiam malorum fas est habere Deum, & vere habet, qui *d Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos:* nam, vt ait D. Augustinus, *e Ne putetis gratis malos esse in mundo, & nihil boni de illis agere Deum: Omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur; aut ideo viuit vt per illum bonus exerceatur:* & iccirco Deum gubernationem quoque malorum hominum fas est habere.

d Math. 5.

e in ps. 54.

*Deus, qua Creator est, vt gubernet vniuersum.*
*Caput VII.*

SIn autem loqui velimus in proposito secundum Theologiam speculatiuam, quę Deus vt Creator omnium omnia mire gubernat; ponit & ista Deum omnia ab se condita gubernare, conseruando singula, prouidentiamque cunctorum habendo: Quod & Aristoteles innuit, aiens: *f Palam autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quidpiam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus?* Quod quidem dogma D. Paulus ad Theologiam transtulit, Atheniensibus inquiens: *g Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli & terræ quum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo; quum ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia: Fecitque ex vno omne genus hominum, inhabitare super vniuer-*

f 7. eud. c. 18.

g Act. 17.

*uersam faciem terrae, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant; quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt.* Sumus enim in ipso Deo, tanquam in prima forma, cuius proprium est omnia *b* continere, & omnibus dare esse: viuimus in ipso Deo, tanquam in primo & vltimo fine rerum omnium, vnde ipsis *i* pendet esse & viuere, his quidem exactius, his autem obscurius. Mouemur in ipso Deo, tanquam in prima omnium motuum causa gubernatrice, conseruatriceque regio quodam regimine cuncta, speciatimque mortales homines in proposito nostro. Qua quidem in re sicuti multa conueniunt inter diuinam gubernationem, & humanam politicam; ita differunt in vno, quod est cardo totius difficultatis nostrae Quaestionis; etenim homo princeps in sua Gubernatione prouidere conatur futuris subditorum euentibus, quorum certam notitiam non habet: Deus autem in suo regimine noscit optime, quae sunt hominibus in tempore ventura, non adhuc existentia: sed sibi plane praesentia in aeternitatis momento stabili. Sic igitur multiplici ratione Deus, vt causa communis omnium, immensitate suae bonitatis, virtutis, & naturae, intimus cuique rei, gubernat optime mundum, & singulorum entium naturas conseruat, virtutesque regit, & fouet, atque speciatim humanam voluntatem in omni sua functione moderatur, non quidem eius libertatem destruens, in qua suum esse consistit; id enim non esset gubernare, sed corrumpere; verum ipsam illibatam omnino seruans, atque perficiens, fouensque. *Deus* enim, vt legimus in Ecclesiastico, *k ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.*

*b* 2. phys. t. 67. 4. phy. t. 35 4. cael. t. 23. 35. 2. de an. t. 39. *i* 1. cael. t. 100.

*k* cap. 15.

*Qua-*

*Quæstionis cardo proponitur.*
*Cap. VIII.*

HIs ita præhabitis, accedentes nunc ad propriam Quæsiti substantiam, cardinemque difficultatis, Quando quæriturmodus, quo valeant ab homine geri libere in tempore, quæcunque Dei decreto æterno, & immutabili sunt ordinata, præcognitaque illius infallibili scientia; ratio postulatur, quomodo possit in actionibus humanis vna stare libertas agendi, dependens a natura voluntatis humanæ, quæ causa proxima est promouens immediate tales actiones; & diuinum decretum æternum immutabile, prædefiniens easdem actiones, quæ ab ipso dependent velut ab efficiente causa prima, communi, & vniuersali, propter immutabilitatem suam illis ingerente necessitatem: quin etiam Dei scientia certa & infallibilis de cunctis actionibus ab homine promendis in tempore futuro; quæ quidem infallibilis certitudo futurorum, tollere videtur ab eis indifferentiam, illisque necessitatem imponere, quæ perimat arbitrij nostri libertatem: proindeque nunc inquiritur, Quomodo eadem actio futura possit esse simul contingens & necessaria, siue libera & necessaria; namque libertas contingentiam inuoluere videtur, & indifferentiam intrinsecus includere, necessitatemque penitus excludere. Difficultas in eo sita, quod necessitas inuariabilitatem dicit, Aristotele *l* decernente, Necessarium esse, quod non potest aliter se habere; contingentia viceuersa simul & indifferentia, libertasque variabilem, mutabilemque naturam designat, aliterque se habere potentem: modo contradictionem implicare manifestam existimant, & repugnantiam habere, actiones humanas esse liberas, & necessa-

*l* 1.periher. c.6.

cessario prædefinitas æterno Dei decreto immutabili: esse contingentes ac indifferentes ad esse, ac non esse, & certa Dei scientia infallibili cognosci futuras.

*Afferuntur fundamenta solutionis habendæ: & ex illis deducitur duplex solutio. Cap. IX.*

POrro nodi solutio, si qua potest humanitus haberi de re, quæ captum humanum plane superare videtur, e triplici fonte valet hauriri: primus est varia necessitatis natura; quarum vna libertatem, & indifferentiam omnino tollit; altera secum admittit. Secundus est, varia futuræ contingentis actionis habitudo ad hominem eius proprium actorem, & ad Deum eiusdem primam & communem causam, & cognitorem. Tertius est, distinctio naturæ tum entitatis propriæ actionum humanarum, tum finis, cuius gratia fiunt ab homine: Quæ varietates non difficulter forsan omnino tollent contradictionem, & implicantiam, hactenus ingenia doctorum tantopere torquentem. Prima sit ergo distinctio Necessitatis, de qua Magistrum habemus Aristotelem ita scribentem: m *Quum igitur in entibus sint quædam semper similiter se habentia, & ex necessitate; non ea, quæ secundum vim dicitur; sed quam dicimus eo quod non contingit aliter:* & infra distinctius, n *At si quid mouetur, contingit etiam aliter se habere. Quare si latio prima etiam actus est, quo mouetur, hoc modo sane contingit aliter se habere secundum locum, quamuis non secundum substantiam. Quum autem aliquid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens, hoc nullo modo contingit aliter se habere: latio namque prima mutationum est: huius autem, quæ circularis est: hanc autem illud mouet. Ex necessitate itaque est ens: & prout necessitas bene est: & sic principium. Necessarium namque toties dicitur,* quod-

*Necessitas triplex.*

m 6. meta. t. 5.

n 12. meta. t. 38.

*quoddam vi, quia præter inclinationem: quoddam, sine quo non bene esset: quoddam, quod non aliter contingit se habere, sed simpliciter est. A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet.* Vnde triplicem habemus Necessitatem, vnam violentiæ; secundam perfectionis; tertiam immutabilitatis. Quam quidem tertiam Aristoteles hic attribuit primo mouenti immobili, cuius substantia, & actu ens est, & nullo modo contingit aliter se habere. Quæ quidem necessitas conuenit etiam æterno Dei decreto; quod est reuera inuariabile, nec aliter se habere potest: cohæretque necessitas ista cum eiusdem Decreti diuini libertate; Deus enim libere Decretum illud fecit, quia prodijt ab eius voluntate libera, non coacta; quæ natura sua indifferens ad illud promendum, & non promendum, ac indeterminata, semetipsam ab æterno libere determinauit ad ipsum promendum prorsus immutabile in tota æternitate: Quam indeterminationem in diuina natura ponit aperte cum o Damasceno p D. Thomas inquiens, *Et ideo quanto aliqua nomina sunt minus determinata & magis communia & absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo a nobis. Vnde & Damascenus dicit, quod principalius omnibus, quę de Deo dicuntur nominibus, est, Qui est; totum enim in seipso comprehendens, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum.* Ita sane Deus in æternitatis momento liberam voluntatem habet indeterminatamque ad promendum, & non promendum immutabile decretum, & semetipsum determinat ad promendum; nisi enim haberet voluntatem indifferentem, sed determinatam solum ad promendum, neque liberam voluntatem haberet, neque infinitam. Itaque si cohærent in Deo, nec inuicem repugnant, Indifferentia liberæ voluntatis ad promendum & non promendum immutabile decretum, & necessitas immutabilitasque diui-

1. Solutio nodi.

o 1. de orth. fid. c. 12.

p 1. p. q. 13. ar. 11. C.

diuini decreti æterni: pariter inuicem cohærere poterunt in diuina Gubernatione, nec inter se repugnabunt, Indifferentia voluntatis humanæ ad promendos & non promendos actus, & immutabilitas diuini decreti gubernantis illos, & infallibilis certitudo scientiæ Dei cognoscentis eosdem in tempore futuros. Præterea si consideremus actionem primi mouentis, ea proculdubio necessitatem habet, non quidem ob violentiam vllam, quia Deus libere mouet simul & necessario, nulla tamen violentia coactus, vt ait Aristoteles ita: q *Præsens autem testificatur ratio quod ingenerabile, & incorruptibile. Amplius autem impassibile omnis mortalis difficultatis est. Amplius autem sine labore, propterea quod nulla indiget violenta necessitate, quæ prohibens detineat ipsum* cælum *aptum natura aliter ferri. Omne enim iam tale laboriosum est, quo magis sempiternum fuerit; & dispositionis optimæ expers.* & mox de motu æterno cæli a primo mouente: r *At vero nec ab anima cogente rationabile est manere sempiternum. Neque enim possibile est talem esse vitam animæ sine tristitia, & beatam: necesse enim est motum cum violentia existentem, si quidem mouet, quum ferri aptum natura sit primum corpus aliter, & mouet continue, negociosum esse, & omni carentem ocio mente concepto: si quidem neque vt animæ mortalium animalium requies inest ea, quæ circa somnum fit, corporis remissio: sed necesse est Ixionis cuiusdam fatum detinere ipsam sempiternum, & indomitum. Si itaque, quemadmodum diximus, contingit dicto se habere modo de prima latione, non solum de ipsius sempiternitate sic existimare melius; sed & solum vtique habebimus sic consentaneæ diuinationi ei, quæ de Diis est, enunciare concordes sermones.* Quemadmodum igitur in æterno motu secundum Aristotelem, quo Deus mouet cælum, cohæret libera voluntas Motoris non coacti, cum æterni motus inuariabilis necessitate; sic absolute cohæret im-

q 2. cæl. c. 3.

r tex. 6.

11. Solutio.

mutabilitas æterni decreti diuinæ gubernationis actionum humanarum cum libertate non coactæ voluntatis hominum. Primus enim motor necessario mouet, duplici libertatem non euertente necessitate; tum quia nisi moueret Deus, non bene esset ipsi mundo, quem eo motu bene gubernat; quæ necessitas est conditionata, ex suppositione finis, vt bene esse mundus habeat: tum maxime quia mouens & actu est, & simpliciter est, & non potest aliter se habere; quæ necessitas est absoluta. Verum ista necessitas mouendi non tollit libertatem a Deo, vel ab eius motu, quia Deus libere mouet, eo quod non coactus vlla violentia, sed ex propria voluntate, libera; quum actus sit, nulli potestati, & passioni admistus; vt iterum ait Aristoteles: *f Est aliquid, quod mouet. Quum vero id, quod mouetur & mouet, medium sit: est etiam aliquid, quod non motum mouet, quod æternum, & substantia, & actus est. t Mouet autem hoc modo: Concupiscibile & intelligibile mouet, non motum: Horum autem prima eadem sunt. Desiderabile namque quod apparet bonum: Primum vero voluntate affectabile, quod est bonum: magis vero appetimus quia videtur, quam videtur quia appetimus.* Itaque motus a Deo simul & libere fit, & necessario fit citra violentiam; libere quidem, quia prouenit a voluntate Diuina, quæ de se libera prorsus est, nec ab vllo cogi potest illi violentiam inferente: necessario autem, tum quia secus non bene esset vniuerso mundo sensibili, quem Deus bene gubernat eo motu perenni: tum quia Deus est actu mouens immutabile. Sicut ergo cohærent in motu cæli secundum Aristotelem citra repugnantiam libertas mouentis, non coacti de se indifferentis, ac semetipsum ab æterno determinantis ad mouendum: & necessitas motus inuariabilis, ac æterni; sic absque repugnantia cohærent in humanis actionibus libertas voluntatis indifferentis, eas

f 12. meta. t. 35.

t tex. 36.

li-

libere promouere valentis, seseque determinantis ad eas promendas: & infallibilitas eas promendi propter immutabile decretum Dei cooperantis homini in ijs agendis, & propter infallibilem Dei scientiam illas in æternitatis momento, simul omne tempus comprehendente, certo cognoscentis.

*Tertia & quarta Quæsiti solutio elicitur ex rei natura.*
Cap. X.

CEterum & id alia ratione probari posse videtur ex rei natura; nam actio quælibet ab humana voluntate proueniens, finito tempore mensuratur: actio namque nostra quælibet est motus, aut cum motu, vt ait u Aristoteles; cui tempus vniuersim est numerus, ac x mensura motus secundum prius & posterius. Quum autem omnis actio nostra trifariam ad tempus referri valeat, vel ad præteritum, posteaquam iam facta fuit: vel ad præsens, in quo fit: vel ad futurum, antequam fiat: Quomodocumque referatur ad tempus actio nostra, quatenus a voluntate non coacta prouenit, semper est libera; nam & heri libere scribebam de ista Quæstione tua, & hodie libere scripturam eandem prosequor, & libertatem habeo scribendi similiter in posterum, meditandique nobile tuum Quæsitum, indifferentiamque ad illud prosequendum pariter, & intermittendum obtineo: Quod Aristoteles intellectui nostro cognouit inesse, prout cum voluntate coincidit, & a sensu contradistinguitur; quia mens cum voluntate realiter identificatur, & est indifferens, liberaque facultas ad meditandum, & non meditandum hoc vel illud; ait enim alicubi: y *Causa autem, quoniam singularium quidem secundum actum sensus, scientia autem vniuersalium: hæc autem in ipsa quodammodo sunt*

111 *Solutio*

u 3. meta. t. 3.

x 4. physi. t. 101.

y 2. de an. t. 60.

*anima: Vnde intelligere in ipso est, quum vult; sentire autem non est in ipso necessarium est enim esse sensibile.* Profecto nostræ liberæ voluntatis actio, si referatur ad tempus præteritum, quo facta iam fuit, & libere facta fuit a voluntate prorsus indifferenti secundum se, quæ semetipsam determinauit ad eam faciendam: & posteaquam acta fuit, necessario gesta fuit; non quidem necessitate violentiæ, quia gesta fuit a voluntate non coacta, neque necessitate conditionata boni, sine quo non; quum potuerit actio fuisse mala, sicuti multæ factæ iam fuerunt huiusmodi: sed absoluta necessitate illa tertia, quod non aliter contingit se habere, verum simpliciter est, vt ex Aristotele colligas asserente: z *Nihil autem est eligibile, quod factum est: verbi causa Ilium expugnasse eligit nemo: non enim consultat quispiam de eo, quod factum est, sed de eo, quod futurum est, esseque aliter potest: quod autem factum est, quin factum sit, fieri nullo modo potest: iccirco recte Agatho inquit,*

z 6. ethi. c. 2.

„ Re namque sola hac ipse priuatur Deus,
„ Vt facta minime infecta possit reddere.

Sic igitur actiones humanæ iam factæ libertatem habuere cum absoluta necessitate coniunctam, nulla contradictione repugnantiave necessitatem illam & libertatem dirimente. Quod itaque non impedit cohærentiam necessitatis, & libertatis in actis iam actionibus, id impedire non potest eandem in agendis. Similiter autem si considerentur actiones humanæ, dum actu geruntur, itidem liberæ sunt, quoniam a voluntate non coacta proueniunt, & a semetipsa ad illas determinata; sed necessario fiunt, quia non potest esse quin fiant eo tempore, quo fiunt: Qua de re quoque præclaram habemus Aristotelis doctrinam huiusmodi; a *In ijs ergo, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem veram esse vel falsam: & in vniuersalibus quidem, vt vniuersaliter, semper hanc*

IV. Solutio.

a 1. periher. c. 6.

*hanc quidem veram, illam vero falsam esse; & in ijs, quæ singularia sunt*. & mox: *Igitur esse, quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne quod est, necesse est esse: neque quod non est, necesse est non esse: non enim idem est, omne quod est, necessario esse quando est, & simpliciter ex necessitate esse: similiter autem & in eo, quod non est*. Quum igitur actionis esse sit eius fieri; plane dum actiones fiunt a libera voluntate, non coacta, sed quæ semetipsam determinauerit ad illas, quo tempore fiunt, & liberæ fiunt, quia fiunt a voluntate libera, citra violentiam agente: & necessario fiunt, quia non possunt non fieri, quo tempore fiunt actu. Si ergo citra contradictionis implicantiam eadem actio, dum fit, simul necessario fit, atque libere; iam eadem actio simul etiam absque contradictionis implicantia potest antequam fiat futura esse tum libere, tum necessario. Si enim libertas cum necessitate conuenire potest in actione iam facta, & quæ fit actu præsens; cur non & in futura? nil vetat.

## *Quinta & sexta solutio maxime proprie Quæsitum explicans.* Cap. XI.

SIn autem, vt in Quæsito, considerentur actiones humanæ antequam fiant, in relatione ad tempus futurum, quo fieri possunt, hæ rursum triplici sub distinctione versantur; prima quidem distinctione considerari possunt actiones futuræ vel in relatione ad purum tempus futurum, quod antecedunt, absolute sumptum, secundum se simpliciter, abstrahendo a quocumque alio: vel in relatione ad tempus illud idem futurum, sed quatenus in æternitate continetur, in qua Dei decretum, & cognitio de talibus actionibus habetur. Si quidem actiones humanæ referantur ad tempus futurum absolute sumptum,

*V. Solutio.*

ptum,

ptum, præscindendo ab æternitate: tunc certe liberæ sunt;& non habent vllam necessitatem, sed puram indifferentiam ad vtrumlibet oppositorum, ad quod humana voluntas, earum effectrix, potest ex arbitrio illas determinare siue ad fieri, siue ad non fieri;& siue ad bonum, siue ad malum finem: At vero si referantur actiones humanæ, prius quam fiant, ad tempus futurum, quatenus id in æternitate continetur, longe diuersam conditionem adipiscuntur; etenim actiones illæ simul & liberæ sunt, quia prodire possunt ab hominis voluntate non coacta, & indeterminata: & nihilominus necessario fient; quia in æternitate, quæ momentum est indiuisibile, totum sui esse consistens simul habens, nihil præteritum, nihilque futurum inest, sed omnia sub ratione præsentis: quum actiones præsentes necessario fiant, etsi liberæ sint, vt ostensum est. Quam quidem theoriam euidentem atque certam habemus, tum ab Aristotele, tum a Theologis omnibus orthodoxis: ab Aristotele sane scribẽte, Deum in æternitate, continente tempus omne, supra vel extra temporis conditionem, beatam vitam agere, causamque supremam esse, vnde rebus alijs omnibus pendet esse ac viuere, dum disertissimis verbis agens de Deo sub ratione primæ formæ, finis, & effectricis causæ, gubernantis vniuersum ait: *b Extra autem cælum quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est. Manifestum igitur est, quod neque locus, neque vacuum, neque corpus est extrinsecus. Quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione: sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo: etenim hoc nomen diuine enunciatum est ab Antiquis. Finis enim, qui continet vitæ vniuscuiusque tempus, cuius nihil est extra secundum naturam*

b 1. cæl. t. 100.

*Æternitas exprimitur.*

*turam*

*turam, æuum vniuscuiusque vocatum est. Secundum eandem autem rationem & totius cæli finis, & finis omne tempus ac infinitatem continens, æuum est, ab eo quod sit semper, sumpta denominatione, immortale, & diuinum: vnde & alijs pendet, his quidem exactius, his autem obscurius esse & viuere. Etenim quemadmodum in vulgaribus sententijs circa diuina sæpe declaratur rationibus, quod diuinum ipsum intransmutabile esse necesse est omne primum ac maxime summum.* Ex quibus apparet, æternitatem, qua Deus permanens in se perseuerat omnia regens, continere tempus omne vitarum aliarum in successione positarum: & ipsam esse totam simul & a Deo minime distingui: Quod alibi clare protulit Aristoteles allatis ista consententia fatus: c *Dei autem operatio immortalitas est: hoc autem est vita sempiterna: itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse*, nimirum actionem totam simul, æternitate mensurabilem. Sed alio loco clarius de Dei vita & operatione dicit in eandem sententiam: d *Degentia vero, qualis nobis pauco tempore, optima illi est. Siquidem ita semper illud est: nobis autem profecto id impossibile est: quoniam & delectatio actus huius est. Et ob hoc vigilatio, sensus, intellectio maxime delectabile est: spes autem, ac memoria propter hæc. Ipsa vero intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est. & quæ maxime est, eius quod maxime est: se ipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit. susceptiuum enim intelligibilis, & substantiæ intellectus est, operatur autem habens. Quare istud magis quam illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere. & speculatio optimum & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est; quod si magis, adhuc admirabilius: at ita se habet. Ceterum vita quoque profecto inexistit: si quidem intelle-*

c 2. cæl. t. 17.

d 12. meta. t 39.

*lectus operatio vita est. Ille vero est actus: actus vero per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum, sempiternum, optimumque viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest. hoc enim est Deus.* Ex quibus apparet Aristotelem opinari, Deum in æternitatis momento cuncta perfecte intelligere, ac efficere, quæ nos aliquando, hoc est in tempore facimus. Aeternitatem autem, prout a tempore contradistinguitur, quod vniuersum in se continet, esse totam simul, nec habere præteritum quidsui, vel futuri, sed omnia præsentia, simulque consistentia, & permanentia; itavt partes temporis totius, in æternitate contenti, præteritum & futurum, sicut exuunt naturam fluxilem, induuntque stabilem consistentiam, ita fere proprias rationes præteriti futurique dependentes præsentis conditionem acquirant; quod vltro confitentur vnanimes Orthodoxi Patres, explicantes oraculum Psalmistæ: *e Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te;* nam D. Augustinus ait, *Hodie quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit; sed præsens tantum; quia quicquid æternum est, semper est; diuinius accipitur secundum id dictum, hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, qui est vnigenitus filius, fides syncerissima & catholica prædicat.* Quam sententiam ibidem coluit tum Ayguanus, Incognitus olim dicens: *Ego hodie genui te, idest, æternaliter: In æternitate enim nihil transijt in præteritum, nec in futurum expectatur.* tum Lyranus, aiens: *Hodie symbolum æternitatis, in qua nulla dierum vicissitudo, sed perpetuum Hodie, nullo initio incipiens, nullo fine conclusum, nullam habens præteriti, vel futuri successionem, sed esse stabile, sine alia temporis differentia, quasi momentum vnum perenniter consistens. Quocirca maxime proprius loquendi* mo-

*Æternitas vt erga se tempus habeat.*

e ps. 2.

*modus de æternitate est per præsens; vt ex eius temporisque differentijs notum est*. tum D. Thomas inquiens, f *In tempore aliud est, quod est indiuisibile, scilicet instans, & aliud est, quod est durans, scilicet tempus. Sed in æternitate ipsum Nunc indiuisibile est, & semper stans; vt supra g dictum est. Generatio vero Filij non est in Nunc temporis, sed in æternitate. Et ideo ad significandum præsentialitatem & permanentiam æternitatis, potest dici quod semper nascitur, vt Origenes dixit. Sed (vt Gregorius, h & Augustinus i dicunt) melius est quod dicatur semper natus: vt ly semper designet permanentiam æternitatis: & ly natus perfectionem geniti.* Origenis attamen effatum etiam verum est, quo dicit Filium a Patre semper oriri; quia Pater in æternitate semper seipsum intelligit; quum Filij generatio nihil vere sit aliud, quam intellectio, qua Pater semetipsum intelligens, consubstantialem sibi Verbum producit. tum k Boetius, a quo non discedit D. Thomas, nec l D. Bonauentura scribens: *Aeternitas est, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio; cui neque futuri quidquam abest, neque præteriti fluxit; sed sui compos præsens semper assistit, & infinitatem mobilis temporis necessario præsentem habet*: tum denique (vt plurimos alios prætercam) recte Card. Bellarminus asserens: m *Quintum mysterium æternitas est. Difficilius enim videtur, vt vnum instans durationis simul sit in diuersis temporibus, siue coexistat diuersis temporibus, quam vt vnum corpus simul sit in diuersis locis. Tempora enim fluunt, & impossibile est simul manere præteritum & futurum, vt loca simul permanent, licet distincta & separata ab inuicem. Iam æternitas est vnum instans durationis non fluens; & proinde coexistens toti tempori præterito, & futuro; & tamen nec ipsum instans diuiditur, nec tempora confunduntur; quod superat plane humanum captum.* (Atque proinde, vir eximie, proposita Quæstio tua difficultatem habere vi-

f 1. p. q. 42. a. 2. ad 4.
g q. 10. ar. 4.
h 29. moral. c. 1.
i ps. 2.
1. Hom. in Ioan. c. 1.
k 5. consol. pr. 6.
l in c. 18. Luc.
m 3 de Sac. Euch. c. 3.

detur inexplicabiliorem nodo Gordiano)& alibi Bellarminus aiens: *n Cur autem dixerit in futuro* ( Filius Dei de Spiritu Sancto, Ille de meo *o* accipiet) *ratio est, quia acceptio illa æterna est, & continet in se virtute omnia tempora, & ad omnia tempora accommodari potest: vnde Sanctus Augustinus exponens hunc locum, sic ait:* Erit, Fuit, Est: Erit, quia nunquam deerit: Fuit, quia nunquam defuit: Est, quia semper est. *Itaque quum omnia tempora in æternitate contineantur: & omnes propositiones de rebus æternis veræ sint, quocumque tempore exprimantur: Scriptura varia tempora exprimit, prout res, de qua agitur, postulat.* Sic ergo promendæ tempore futuro actiones humanæ, dum considerantur quatenus ob homine fieri possunt, indifferentes sunt, ac omnino liberæ, sine determinatione ac necessitate; dum vero spectantur eædem quatenus in æternitatis momento tum gubernantur, ac promuntur a Deo velut a causa prima; tum agnoscuntur a Deo velut a primo intellectu, ipsi præsentes omnino sunt, non futuræ, necessitatemque sortiuntur immutabilitatis, quæ tamen illis non adimit libertatem, contingentiam temporariam, ac indefinitionem naturalem. Sicuti tempus futurum in æternitatis momento habet esse stabile, simul atque præsens, non amittens ideo simpliciter propriam naturam fluxilem in successione positam, neque posterioritatem ad præteritum & ad præsens, nam æternitas ita cunctas differentias temporis in se complectitur illis coexistens, vt ipsas non destruat, neque confundat: Quo ergo modo tempus futurum in æternitatis momento simul suam naturam successiuam & posteriorem præterito sibi retinet; atque a coexistente sibi æternitate sortitur, vt Deo præsens sit: eodem modo prorsus actiones humanæ, quæ tempore futuro geri valent ab homine, prout referuntur ad hominem earum autorem, & ad tempus futurum,

*n* 2. de Christ. c. 22

*o* Ioan. 16

VI. Solutio.

fe-

secundum se ipsarum mensuratorem, incertæ sunt homini, indifferentes, contingentes, & liberæ; prout autem referuntur ad æternitatis momentum, quo sunt Deo præsentes, & ad ipsum Deum, qui semper illas infallibiliter cognoscit, necessario fiunt, & certæ sunt; nam in æternitate iam promuntur vt præsentes; atque adeo liberæ quidem sunt, quatenus a libera non coacta voluntate gestoris promuntur; & incertæ, indifferentesque sunt, quatenus in tempore futuro promi possunt, quod nondum aduenit, quando se voluntas ad illas determinauerit: sed necessitatem habent ab æternitate, in qua præsentes sunt Deo illas agnoscente, nam præsens actio, qua præsens est, necessario est; quæ tamen necessitas illis non adimit naturalem libertatem, ac indifferentiam, vt visum est.

## *Septima solutio depromitur ex alia distinctione causæ actiuæ.* Cap. XII.

SEcunda vero, siue tertia distinctio secundi generis eo est, qua sumi possunt actiones humanæ antequam fiant in habitudine ad duas causas effectrices, a quibus aguntur; nimirum ad sui causam propriam, quæ est homo, siue humana Voluntas: & ad causam communem, vniuersalem, ac primam, quæ Deus est, sine quo nulla causa secunda quicquam agere, nec esse potest; quum id fit, vt ait D. Paulus, *p in quo viuimus, mouemur & sumus*; & id, vt inquit Aristoteles, *q* sine quo causa secunda nihil agit. Ista vero Dei cooperatio, siue actio in productione humanarum actionum, nihil est aliud quam conseruatio entitatis tum hominis agentis, siue virtutis humanæ operantis, tum actionis ex eo prouenientis; & gubernatio voluntatis humanæ in ea functione obeunda.

VII. Solutio

p Act. 17.

q 8. phy. 33

da. Sed vt actio humana, prout a voluntate nostra dependet, est omnino libera, & finito tempore successionem habente mensurabilis, ac ante sui promotionem indifferens & contingens homini; sic prout dependet a Deo gubernante, conseruanteque causam secundam, non tempore fluxili, sed æternitate stabili, permanenteque mensurantur: etenim Deus vt causa communis & prima concurrit ad omnes operationes agentium secundorum, adeoque mortalium hominum, virtutes ipsorum, & actionum entitates conseruando, & gubernando, non in temporis fluxilitate, sed in æternitatis permanente consistentia; & propterea prout a Deo cuncta noscente videntur actiones illæ consistunt actu præsentes; vnde necessitatem obtinent, ea ratione libertati coniunctam, qua Deus omniscius in æternitate simul omnia sibi præsentia noscens, & omnipotens omnia simul agens cunctis agentibus secundis cooperans, copulatur in æternitate speciatim homini coagens, & conseruans, atque regens humanam voluntatem, dum suas actiones edit in tempore. Si enim non implicat, Deum omnia in æternitatis momento simul agentem, cooperari nobis gubernando liberam voluntatem humanam in tempore fluxili agentem: ita non implicat eandem actionem, prout a causa secunda potest in tempore futuro promi, liberam & indifferentem esse: prout autem a Deo prouenit, velut a causa prima gubernante secundas omnes in æternitatis momento, simul toti tempori coexistente præsenteque, non posse non fieri, atque necessitatem habere; non quidem violentiæ cogentis, nec ex suppositione finis boni, sed solum immutabilitatis, qua quod præsens est, non esse non potest; & quod fit, dum fit, non potest non fieri.

Octa-

*Octaua solutio ducitur ex habitudine realis entitatis actionum humanarum ad suum finem. Cap. XIII.*

QVarta distinctio est, quia in actionibus futuris, eliciendis ab humana voluntate, duo considerare valemus, propriam illarum entitatem, ac realitatem, siue naturam physicam, & præterea finem, cuius gratia eduntur, & in quem instituuntur: si quidem sermo sit de propria entitate, realitateve, siue natura physica functionum humanarum omnium; ea dependet tum ab humana voluntate in tempore tanquam a causa propria; tum a Deo in æternitatis momento, velut a causa prima & communi secundam gubernante, & conseruante: si vero consideremus finem, cuius gratia voluntas humana determinate agit; hic ab homine determinatur, quem reliquit Deus in manu *a* consilij sui, quo possit eligere quodcumque sibi placuerit, siue bonum, siue malum; istam vero determinationem, ac finis electionem, in humanis actionibus, non efficit Deus; tum quia causa prima & communis non determinat secundam & particularem; sed viceuersa, vt antea visum est: tum maxime, quia functionum humanarum entitas est indifferens tam ad bonum finem, quo redduntur meritoriæ; quam ad malum, quo fiunt culpabiles; nam Magdalena suum osculum ad bonum finem *b* dilectionis Christi determinauit, Iudas vicissim malum finem *c* proditionis: meritum autem ex voluntate prorsus est: Neque Deus ad malum finem, in quo consistit ratio culpæ, potest actionem voluntatis humanæ determinare; quia id non permitteret Deum esse summe bonum, neque summe iustum, si puniret hominem peccantem, quem ipse determinasset ad peccandum, efficaci determinatione. Quin etiam neque Deus

*a* Eccl. 17.

*Causa prima non determinat secundam.*

*b* Luc. 7.

*c* Luc. 22.

Deus determinat efficaciter actiones humanas ad bonum finem; quia tales actiones edentibus gloriam attribuens, non esset iustus, tribuens illis, quod ipsis non iure competit suo proprio, sed alieno; quum Deus ipse, non illi, functiones ad bonum finem efficaciter instituerit. Quemadmodum itaque non implicat, sed optime cohæret in actionibus humanis Deum in æternitatis momento concurrere ad illarum entitates promouendas, & conseruandas, atque gubernandas cum homine illas easdem in tempore gerente: simul & hominem solum suis actionibus determinationem, atque finem ad libitum in tempore constituere, sic non repugnat, sed optime cohæret eandem actionem ab homine habere indifferentiam & libertatem in tempore, a Deo necessitatem immutabilitatis in æternitate.

VIII. Solutio.

*Quomodo, quæ libere geruntur a nobis in tempore, sint æterno Dei decreto ordinata, & quomodo non: vnde nona solutio Quæsiti. Cap. XIV.*

Quæsiti particula considerantur.

QVare iam ad peculiaria tua dogmata, vir oculatissime, mihi proposita deueniam: Quod ergo primum ais: *Duo certa sunt apud Theologos communiter circa Gubernationem Diuinam: tum Naturalem, quæ Prouidentia dicitur: tum Supernaturalem, quæ Prædestinatio appellatur: Vnum est; Quæcumque, etiam libere, geruntur in tempore, æterno Dei decreto esse ordinata.* Id quidem indiget explicatione; quia verbum illud *ordinata* duplicem habet intellectum; vnus est, vt omnia sint a primo ente in rerum serie proprijs legibus ordinata in vnum Deum, velut in vltimum finem; quo sensu dogma verum est, nedum a Theologis, verum & a Philosophis acceptum, Aristotele scribente: ᵃ Mundi Gubernationem conceden-

ᵃ 12. meta. su. 2. c. 2.

dendam non esse Casui, neque Fortunæ, sed Intellectui Diuino, qui causa Mundi sit, totiusque ordinis; quod Anaxagoras, & Hemotinus eo prior asseruit, & inferius ait, Vniuersi bonum consistere in participatione Dei, qui Gubernat entia cuncta, recto quodam ordine a seipso, & in seipsum coordinata; quas sententias antea protulimus. At iste ordo, siue ista coordinatio Diuina non ponit vllam necessitatem, aut immutabilitatem in rebus ordinatis; quum illarum multæ contingentes, & variabiles sint, talesque a Deo factæ, permittantur habere naturam mutabilem; inter quas inueniuntur actiones humanæ, licet a Deo prodeant, vt a causa communi, & immutabili: quod obseruat Lyranus explicans illa verba Malachiæ: *Ego enim Dominus, & non mutor*. glossans: Non mutor, *in meipso, licet sit mutatio in effectibus meis secundum varietatem meritorum & demeritorum hominum*. Alius intellectus est, omnia æterno Dei Decreto ordinata esse vt fiant, quæcumque libere geruntur in tempore, ordinata, inquam, hoc est, iussa, siue præscripta, & imperata: Qui quidem intellectus tum ad Prouidentiam, tum ad Prædestinationem referri potest, vt recte mones: si quidem referatur ad Prouidentiam, quæ quum sit actus Diuinæ bonitatis, atque clementię, vt ait Damascenus, *u est cura ex Deo, in ea quæ sunt; siue voluntas Dei per quam omnia, quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt*. Quum autem curare, gubernareque singula, sit eorum naturam & essentiam conseruare, non destruere; profecto Decretum Dei fuerit gubernare naturam variabilem rerum contingentium, eas conseruando in sua indifferentia; non illas destruendo per incussam violentiæ necessitatem. Quare Deus æterno Decreto constituens mutabilia conseruare in sui natura variabili, voluntati nostræ libertatem naturalem non adi-

*s* 12. meta. t. 52.

*Ordinatio Dei non ponit necessitatem in entibus ordinatis.*

*t* cap. 3.

*Prouidentia est actus diuinæ bonitatis.*

*u* 2. de orth. fid. c. 29.

IX. *Solutio.*

adimit, nec amputat gladio necessitatis. At si referatur æternum Dei Decretum ad Prædestinationem, quæ proprie actus est Diuinæ Iustitiæ: huius decretum æternum inuariabile est, tribuere cuique suum ius; namque Iustitiam secundum se definitur *x constans & perpetua voluntas, ius vnicuique suum tribuens*: ius autem improborum est mulctari pro culpa, proborum munerari pro virtute: culpabilem hominem reddit actio praua; prauitas autem actioni non imprimitur, nec imperatur a Deo: *y quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: immo Deus toto decalogo iubet homines a peccatis abstinere. Probum autem hominem reddit actio proba; probitas actioni non inest nisi a fine bono, in quem dirigitur ab humana voluntate, vt visum est: Hominem autem malum non efficit Deus, qui summum bonum est; sed ipsemet homo seipsum prauum efficit, suam voluntatem determinans ad prauas actiones edendas: & si Deus concurrat ad illarum actionum entitatem realem promendam, conseruandam, & gubernandam, quæ bonum quid est; positiuum enim ens, res, & bonum conuertuntur in transcendentibus; quo nomine pridem ab z Aristotele citatus a Homerus: asserens.

*Prædestinatio est actus Diuinæ Iustitiæ.*

x Instit. tit. 1.

y psal. 5.

z 1. de an. t. 150.

a Odyss. 18. v. 135.

,, Talis enim mens est terrestrium hominum,
,, Qualem indies inducit pater hominumq. deorumq.

& * alibi tum

* Iliad. 20.

,, Iupiter autem virtutem viris augetque minuitque,
,, Prout voluerit: ille enim potentissimus est omnium.

tum de Glauco mala permutatione arma aurea pro æneis Diomedi tribuente:

b Iliad. 6.

,, b Tum vero Glauco Saturnides mentē abstulit Iupiter,
,, Qui cum Tydide Diomede arma permutauit,
,, Aurea æneis, centum bobus valentia nouem bobus valentibus.

At-

Attamen finem malum prauæ actionis non decernit Deus, at solum humana voluntas; quod asserit sacra pagina, *c Perditio tua ex te Israel*. Pari ratione Deus bonarum actionum entitatem, ac realitatem physice in promouet, conseruat, & moderatur; sed illis bonum finem determinat, easque prorsus eligit homo: quod & illud aperit D. Augustini, *d Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*; namque fecit Deus hominem, & *e* reliquit illum in manu consilij sui, vt eligat ad arbitrium, siue bona, siue mala, quæcumque sibi placuerint. Quæ quidem electio humana determinat Diuinam Iustitiam ad pœnas infligendas improbis, & præmia conferenda bonis: absque mutatione diuini decreti tribuendi ius vnicuique suum.

c Oseæ 13.

d To. 10. de verbis Apostoli serm. 15.

e Eccles. 15.

*Vtrum Deus prænoscat, & prædefiniat actus humanos futuros vnde colligitur decima solutio Quæsiti. Cap. XV.*

CEterum in isto Decreto Diuino immutabili nulla violentia prorsus est, cogente iussione imperans actiones humanas fieri læso nostræ voluntatis arbitrio; quod proponis in altero dogmate communiter accepto a Theologis, *Quæcumque ab homine, vt homo est, geruntur, libere ab eo fieri*. Quod autem adiungis de duobus istis, nempe de Diuino decreto æterno rerum in tempore libere gerendarum ab homine: deque libertate voluntatis humanæ circa suas actiones eliciendas: *Modum vero, quo sibi cohærent, vel saltem non aduersentur hæc duo, vix adhuc humana ingenia reperire potuerunt. Quomodo scilicet possit Deus actus humanos Prædefinire, si illos non determinat: aut quomodo possit eorum perfectam Prouidentiam, & Prædestinationem habere, si illos non Prædefinit*. Circa primum generatim, Cogita mecum, vir eximie, Quemad-

x. Solutio.

modum hactenus humana ingenia repererunt, adinuicem non repugnare, sed apte cohærere, coexistereque prorsus æternitatem, atque tempus; quorum æternitas est duratio permanens, constans, ac tota simul, absque successionis vllius fluxilitate: tempus vero duratio perpetuo fluens in successione posita, nihil habens permanentis, quum eius pars præterita non amplius sit, futura nondum sit, præsens absque constantia labatur: & quemadmodum inuenerunt in æternitate, quæ nihil habet præteriti, nihilque futuri, sed omnia præsentia, contineri sine repugnantia tempus vniuersum cum suis partibus, præterito, præsenti, futuro, fluxum naturalem, essentialemque successionem habentibus ex se, non confusis; ita dicendum videtur, Decretum Diuinum in æternitate residens immutabile ordinans omnia quæcumque, etiam libere geruntur in tempore: non repugnare, sed cohærere cum his, quæ ab homine libere peraguntur in tempore ad æternitatem non relato. Nam Deus in æternitate decernit, vnumquemque mortalium hominum illas actiones promere, ad quas promendas in tempore semetipsum ipse se determinauerit ex arbitrio propriæ voluntatis, cuius libertatem inuiolatam semper assidueque conseruare vult. Circa secundum, *Quomodo Deus possit actus humanos prædefinire, si illos non determinat*. Considera mecum, num vere Deus dicatur a Damasceno non præfinire omnia, quum omnia noscat; etenim æternitas, in qua Deus decretum suum promit, vniuersa simul consistens, nihil habet præteriti, nihilque futuri; quare Deus in ea non Prædefinit; quum Prædefinitio ex parte Prædefinitatis præteritum inuoluat, & ex parte prædefiniti futurum signet. Præterea vero actiones humanas Deus efficaciter neque prædefinit, neque determinat; sed id finit in arbitrio voluntatis humanæ, cui libertatem dedit se-

*Deus proprie nostrasiũ nil prædefinit: & cur.*

*Deus nõ determinat actiones humanas efficaciter: et cur.*

sese determinandi tam ad bonas, quam ad malas operationes. Insuper Deus in illo decreto subit rationem causæ primæ, ac vniuersalis gubernantis omnes causas secundas, & particulares: at vbique determinatio functionum, & effectuum singularium fit a causa particulari determinata, non ab vniuersali, quæ indeterminata est ad omnes effectus. Quare Deus non determinat, neque prędefinit actiones humanas æterno suo decreto; solum decernit earum entitates, & virtutes omnes conseruare, & gubernare, ad quascumque se determinauerit homo pro voto liberi sui arbitrij. Circa tertium, quo Quæris, *Quomodo possit Deus* humanorum actuum, & hominum in tempore degentium, & agentium libere, *perfectam Prouidentiam*, & Prædestinationem *habere, si illos non prædefinit*. Circa Prouidentiam, quæ Gubernatio, naturalis est, Deus ordinat quidem recte causas omnes in finem bonum, sed non prędefinit actionibus humanis bonum finem efficaci prædefinitione, verum id fit ab hominis voluntate seipsam determinante ad libitum; quod D. Thomas, inquit, dum ait, y *sub prouisione Dei, qui est vniuersalis prouisor totius entis, cadere modum necessitatis & contingentiæ; qui vtriusque modus non cadit sub prouisione aliquorum particularium prouisorum*; Nam Deus prouidentia sua conseruat pariter necessaria, & contingentia: & necessario consequitur suum effectum conseruandi singula tam æterna, quam contingentia in suis naturis, pro cuiusque conditione, & capacitate. Sed in supernaturali gubernatione, quæ Prædestinatio dicitur, & attinet ad Theologiam practicam, siue Moralem, Deus quidem æterno sui decreto ordinat, & determinat (si placet) atque prædefinit, vt iustus Princeps, & vt Medicus, sibi subditis quid agendum sit ad salutem consequendam, & quid non agendum ad euitandam perniciem tam tempo-

*Explicatur ratio diuina Prouidētię.*

y 1.p.q.22. 4.ad 3.

*Prædestinationis ratio explicata.*

talem, quam æternam; verum incolumi semper humanæ libertatis arbitrio parendi, vel non obtemperandi præscriptioni, iussionique Diuinæ; quod & Aristoteles nos edocet ex rei natura, simul & sacra pagina: Philosophus inquiens; z *In prioribus quidem ostensum est ut ratio dictat, quod idem est, ac si quis dicat se alimento sumendo omnia obseruare, ut Medicina, ac ratio dictat: quod verum quidem est, sed parum manifestum est. Oportuit igitur iuxta quod imperat, iuxtaque habitudinem & actionem imperantis vitam instituere, veluti seruus iuxta Domini placitum, singulaque iuxta conuenientem suum principatum. Quandoquidem & homo ex imperante subditoque constituitur: ac vnumquodque necessum habet ad Principis sui mores accommodare. Is autem duplex est; aliter enim Medicina, aliter Sanitas imperat; & huic illa destinatur. Sic & in contemplatione principatus habet. Neque enim iubendo Deus imperat, sed cuius gratia prudentia est. Quod vero alicuius gratia iubet, in alijs determinatum est, quoniam ille nullo eget.* Sicut ergo Medicus imperat ægroto, cui prædefinit tum agenda, præscribitque salutaria nutrimenta, & remedia ad finem bonæ valetudinis consequendum; tum etiam non agenda, sed penitus euitanda & omnino fugienda; imperatque talia non iubendo efficaciter, quia cogere non potest liberam voluntatem hominis curæ suæ commissi; sed solum annunciare valet illi spem salutis, vbi egerit præscripta, & periculum morbi atque mortis, vbi contrarias actiones edat; ipsumque relinquit determinare sibi promendam, aut non promendam talem actionem. Sicut etiam Princeps lege lata, decretove suo subditis imperat actiones honestas edendas, & prauas euitandas esse, proposito præmio bonarum actionum, & comminata pœna de malis; non iubendo efficaciter, neque cogendo vt bonas edant, aut euitent malas operationes;

z 7. Eude. c. 18.

quia

quia liberā subditorum voluntatem cogere non potest, quæ sola sibi determinare valet hanc aut illam actionem promendam; vel non promendam; sed relinquit vnumquemque subditum in manu consilij sui. Sic etiam Deus lata lege Naturæ, Scripta, & Gratiæ; quin & æterno decreto bene gubernandi singula, singulis hominum imperat speciatim, sed non iubendo: nam imperat illis vt edant semper actiones honestas, euitent omnino nefarias; non iubendo id efficaciter, quia non vult hominum libertatem destruere, voluntatem illorum cogendo violenter: Quod sane modo non iubendo Deus imperauit primis hominibus ab se conditis initio mundi: *a Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno Paradisi comedes; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Ita ergo prædefiniuit, determinauitque Deus agenda, & non agenda primis hominibus; prædefiniuit, inquam, & determinauit illo suo decreto dato mortalibus initio temporis; quod quidem decretum fuit immutabile ex parte Dei præcipientis; at illud eis imperauit non iubendo efficaciter ista, sed comminando pœnam transgressionis; non sane iubendo efficaciter, quia relinquens hominem in *b* manu consilij sui, noluit libertatem ipsius destruere, violentiamque voluntati mortalium inferre. Qua libertate miser homo mox abutens contra præceptum Dei semetipsum determinans ad malam & vetitam actionem, incurrit meritam delicto suo pœnam interitus. Quod autem de isto temporali Dei decreto dictum est, idipsum similiter asserendum de æterno, quo Deus decreuit recte gubernare mundum concurrendo ad singulas entitates rerum cum causis secundis promendas, abstinens a præfini-

a Gen. 2.

b Eccli. 15.

finitione finis efficaci malarum aut bonarum actionum; quam determinationem finis reliquit in hominis arbitrio, quo posset sibi merere præmia virtutis; neque valens illas ad malum determinare, quum sit summe bonus, quinimmo summa bonitas. Hinc apparet, non absolute verum esse primum dogma, sicuti proponitur: *Quæcumque, etiam libere, geruntur in tempore, æterno Dei decreto esse ordinata*. Nam Adam in tempore libere gessit actionem esus vetiti pomi; quem actum Deus vt illi prohibuit in tempore decreto nouo, sic eidem ordinare præscribereque non debuit, neque potuit æterno decreto; secus enim sibimetipsi repugnaret Deus in decretis; quod fieri non decet, neque valet. Agnoscit quidem Deus in æternitatis momento malum illum actum Adæ, simul & alios omnes posterorum; at illos malos actus in æternitate non prædefinit imperans, quia non potest summa bonitas malum imperare: nec illos determinat, quia causa communis non determinat; sed humana voluntas vt causa particularis illos determinat, siue ad illos ipsam se determinat: & vt prauitate infecta illos sibi præfinit ac eligit. Quare solus homo semetipsum determinat ad actiones tam bonas, quam malas aut promendas, aut non promendas: Deus autem vt causa communis prouidentia sua quicquid in illis actionibus est entitatis, realitatisque physicæ, siue transcendentalis, id homini cooperans promit, conseruat, & gubernat; relinquens homini determinationem finis illorum actuum, tam boni, quo redditur homo dignus mercede sua; quam mali, quo culpa reus efficitur, & pœnam meret. Potest quidem Deus perfectam habere prouidentiam actuum humanorum, etiamsi eos non prædefiniat, neque determinet; quia sat est ad perfectam Prouidentiam, vt omnes actus humanos, etiam in tempore futuros, in æternitate tamen

*Prouidentia non necessario prædefinit, aut determinat.*

vni-

vniuersum tempus continente, sibi præsentes vniuersalis causa prima promoueat, conseruet, & regat quoad ipsorum entitatem realem; & eosdem primus intellectus agnoscat, non propriè prænoscat; tum quia præsentia cognoscuntur, non prænoscuntur: tum quia æternitas coexistit ipsi tempori non ipsum antecedit; quum simul tota consistens, omne tempus, & speciatim futurum contineat; Quare Deus actus humanos omnes, de se in tempore futuros, in æternitatis momento præsentes cognoscit, vere non præcognoscit; quum in æternitate nihil habeatur præteriti, nihilque futuri. Nam actiones humanæ futuræ, quatenus ponuntur sub æterno decreto Dei, non sunt in tempore futuro simpliciter absoluto, sed in eo, quatenus comprehensum in æternitate, illas præsentes decernenti Deo, non autem futuras offert; quare non præuidentur a Deo, sed videntur; de quibus præsentibus curam & prouidentiam perfectam habet; quas vt causa prima promouet, conseruat, & regit, quoad illarum entitatem, vt dictum est antea. Quod postea subdis, CL V. *Prædefinire autem, post quam scientia visionis præuidit Deus libere futurum illum actum, non sufficit ad exactam & propriam rationem Prouidentiæ; quum huiusmodi Præfinitio, vt pote consequens ad futuritionem effectus iam præuisi, non habeat erga illum rationem causæ.* Magnum quidem videtur habere momentum contra ponentes præuisionem, & prædefinitionem effectuum futurorum in æterno Dei Decreto. Sed si dicamus Dei Decretum æternum in illo momento fieri, quod totum simul indiuisibile permanens, nihil respicit vt præteritum, nihil vt futurum, sed omnia sub ratione præsentium; erga præsentia vero Deus sese habet vt prouisor, & vt causa communis; non vt præuisor, & vt præfinitor. Sufficit enim ad exactam & propriam rationem prouidentiæ, vt causa

*Deus vt non prænoscat; sed agnoscit.*

suos

suos effectus præsentes recte ordinet ad suum finem; causam vero in actu, qualis est Deus in momento æternitatis cuncta gubernans, & effectum præsentem, simul esse, clare nos edocet *e* Aristoteles. Quod etiam vlterius addis: *Nec satisfacit, Prædefiniri absolute, postquam effectus est præuisus scientia conditionata; nam ista Præfinitio absoluta, adhuc post illam scientiam conditionatam (quam dari minime liquet) est antecedens ad actum humanum absolute promendum: ergo infert illi necessitatem, & tollit indifferentiam: posita enim hac præfinitione absoluta, & efficaci, impossibile est, aut (quod idem importat) implicat contradictionem (etiam sensu non composito) actum non promi: quis enim Dei voluntati resistere potest?* Nostra positio, Deum in æternitatis momento non prædefinire, neque præuidere proprie mortalium actiones in tempore futuras, sed eas sibi præsentes intueri, promouere, conseruare, gubernareque reales illarum entitates; concedereque humanæ voluntati vt eas determinet, ac præfiniat in tempore: nostra positio hæc, inquam, non videtur huic instantiæ obnoxia. Ceterum Deus actus humanos futuros in tempore, ceu caussa prima illos promouens in æternitatis momento, ac veluti mens prima illos agnoscens simul in eodem instanti permanente, non tribuit illis necessitatem in tempore, sed nec in æternitate; licet in æternitate quum præsentes sint, non possint non esse; hanc tamen necessitatem sortiuntur ex sui præsentia, sicuti nouimus ex *a* Aristotele, non ex Deo ipsos prædefiniente; similiter præsentia, quam sortiuntur in æternitatis instanti, ob ipsius indiuisibilitatem actus illi, tollit ab eis etiam indifferentiam; quia dum actu sunt, non sunt amplius indifferentes ad esse, & ad non esse. Sunt actus humani futuri tantummodo citra necessitatem dum referuntur ad tempus futurum absolutum in se; in habitu-

*e* 2. phys. t. 37.

*a* 1. perihe. c. 6.

dine

dine ad hominem qui poteſt illos actus edere; nam humana voluntas indifferens eſt, ac libera prorſus ad illos edendos, & non edendos. At ſi ſumantur actiones hominum futuræ, quatenus in momento ſtabilis æternitatis conſiſtunt Deo præſentes, & quatenus æternitas continet in ſe tempus futurum, illique coexiſtit; actiones illæ non amplius abſolute futuræ ſunt, & indifferentes, at neceſſariæ. Sed tamen iſtam neceſſitatem habent ex natura præſentiæ, quam ſortiuntur ab æternitatis indiuiſibili permanentia coexiſtente tempori toti, & futuro ſpeciatim.

## *Diuinæ voluntati cui reſiſti poſſit, & cui non poſſit.* Cap. XVI.

NEque vero negauero voluntati Dei abſolutæ, ac efficaci quemquam, aut quicquam reſiſtere poſſe; verum in Gubernatione Mundi, tam naturali, quæ Prouidentia dicitur, quam ſupernaturali, quæ Prædeſtinatio nuncupatur, Deum abſoluta, & efficaci poteſtate, voluntateque vti non dixero; nam hoc aſſerentes coarguit * Apoſtolus, ſed tantum ordinaria, quæ relinquens homines in manu conſilij ſui, & in libertate arbitrij, permittit multos reluctari ſibi; nam in Prouidentia, qua Deus naturaliter gubernat vniuerſum, cuncta Deus recte diſponit atque dirigit ad conſecutionem finis naturalis vnicuique rei phyſice conuenientis; quamque Damaſcenus definit eſſe *e Voluntatem Dei, per quam omnia quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt:* & de qua D. Thomas ait, *f In recta ordinatione ad finem, qui includitur in ratione prouidentiæ, importatur rectitudo conſilij & iudicij & præcepti, ſine quibus recta ordinatio in finem eſſe non poteſt:* in hac inquam naturali Gubernatione, qua

* Rom. 9.

e 2. de fid. c. 19.

f 1. 2. 49. 6. ad 3.

Deus actu Prouidentiæ voluntate sua bona recte dirigit omnia in finem cuiusque naturæ congruum, non aspicio voluntatem Dei absolutam & efficacem, cui resisti nequeat; sed ordinariam, & sufficientem, quæ relinquens omnia in sua cuiusque natura, proindeque materialia cum indefinitione materię, ceterisque materialibus conditionibus, & hominem speciatim cum liberæ voluntatis arbitrio, permittit sæpe multa sibi repugnare, nec ad eum finem peruenire, ad quem illa recto consilio, iudicioque disposuit, ac recto præcepto ordinauit: etenim quum finis vniuersalis omnium, qui prouidentiæ terminus est, sit participatio diuini esse per sempiternitatem, quam vt consequantur in specie caducorum singula, Deus illis dedit virtutem generandi, & imperauit actum generationis; attamen hunc finem in entibus, non semper consequi potest Diuina voluntas, cui repugnat indefinitio tum materiæ, tum libertatis humanæ. Quam theoriam & ab Aristotele didicimus, & a sacra pagina; siquidem Aristoteles, vt late superius ostensum est, asseruit primum quidem, g *In omnibus inquimus quod melius est desiderare Naturam* (Diuinam scilicet voluntatem, quæ in actu Prouidentiæ est Natura prima; quum prouidentia sit naturalis gubernatio rerum a Deo, vt optime posuisti) *semper melius autem esse, quam non esse: hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quod longe a principio distant* (nimirum ab immortali Deo, qui principium est omnia recte gubernans, ob immaterialitatem semper ens; quum materialia propter materię culpam inepta sint a Deo recipere perpetuum esse) *reliquo modo compleuit Deus totum continuam faciens generationem: ita enim maxime continuabitur ipsum esse, quia proxime est substantiæ fieri semper generationem*. Quam veritatem etiam habemus apud Mosem, qui monet ab initio Deum imperasse cun-

*Prouidentiæ finis qui.*

g 2. de gen. t. 59.

ctis entibus generationem sobolis, qua singula caduca perpetuum esse, speciei saltem adipiscerentur: *h Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* & mox. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram.* & infra: *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. i Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Et post diluuium similiter animantibus cunctis, & hominibus superstitibus imperauit Deus generationem prolis ad perennitatem speciei, dicente Mose: *k Locutus est autem Deus ad Noe dicens: Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum, cunctaque animantia, quæ sunt apud te; ex omni carne tam in volatilibus, quam in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum; & ingredimini super terram. Crescite, & multiplicamini super eam.* Posterius autem legem hanc dedit Deus populo suo: *l Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Ad quæ loca respiciens Aristoteles asseruit, *m Reliquo modo compleuit Deus totum, continuam faciens generationem,* & cetera, post alia ibi proposita. Sic ergo Deus mundum recta

h Gen. 1.

i Gen. 2. Matth. 19.

k Gen. 8.

l Deut. 25.

m 2. de gen. t. 59.

voluntate sua gubernat, per prouidentiam ordinans etiam caduca singula ad finem esse Diuini sempiternique participati. Sed hanc Dei voluntatem non esse prorsus absolutam, & efficacem, cui nemo resistere valeat; verum ordinariam, & sufficientem, cui passim multa resistant, ob indefinitionem siue materiæ, siue causæ particularis agentis, edocent itidem Aristoteles, & sacra pagina; quandoquidem Aristoteles primum ait: n *Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habeat; est facere aliud, quale ipsum, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipsô semper, & diuino participent, secundum quod possunt: Omnia enim illud appetunt, & illius gratia agunt, quæcumque agunt secundum naturam*, &c. Diuinę voluntati ergo, qua Deus præcepit ab initio per actum prouidentiæ suæ plantis & animalibus generatim vt crescerent, & multiplicarentur, non obediunt omnia, sed aperte resistunt propter materiæ indefinitionem, hoc est indispositionem ad generandum, viuentia tum imperfecta, tum mutilata, tum sponte genita; quare Prouidentia, qua Deus Mundum naturali gubernatione regit, non est efficax, & absoluta, cui resisti nequeat, sed solum sufficiens, & ordinaria, non cogens, sed imperans non iubendo, suumque promouens effectum actumque solum in materia disposita. Qua de re clarius idem Aristoteles agit alibi dicens de Deo naturali sua prouidentia, ministerio motuum cælestium promouente generationes omnes in elementari mundo, vocans ideo Deum nomine Naturæ, tribuensque illi voluntatem prouidentiæ, in hanc sententiam: o *Natura igitur ita sibi vult, vt eorum siderum, motuumque cælestium numeris generationes & obitus numeret. Sed exquisite id facere nequit, propter materiæ indefinitionem, & quod multa*

n 2. de an. t. 34.

o 4. de gen. an. c. 10.

prin-

*principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones sæpe impediant, atque ita causa sint earum, quæ veniunt præter naturam.* & alibi, p Quoque non ita exquisite nostratium mutationes regi motibus cælestibus ait, propter horum confusionem, vt antea visum est. Insuper Celtas, & alios vitare naturalem feminarum congressum, q inquit: *Præsertim quum viri sint mulieribus obnoxij, quod accidit omnibus ferme militaribus bellicosisque gentibus, præter quam Celtis, aut si qui alij coitum masculorum palam receperunt.* At etiam in sacra pagina legimus Pentapolitas eo vitio Diuinam iram in sui combustionem incitasse, ciuitatumque r subuersionem. & adhuc infra: s *Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est: Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et ideo percussit eum Dominus eo quod rem detestabilem faceret.* Sic igitur voluntati diuinæ, recta prouidentia mundum naturaliter gubernanti, resisti potest; adeoque Deus in actu Prouidentiæ mundum gubernat, non voluntate absoluta prorsus & efficaci, cui nihil reluctari valeat, sed ordinaria tantum, & sufficienti, quæ non tollit libertatem, ac indefinitionem tam materiæ, quam libertatis humanæ, quæ resistere potest Prouidentiæ diuinæ, mandataque illius irrita facere. Consimiliter asserendum est de supernaturali gubernatione, qua Deus optime, iusteque regit homines, & proprio nomine Prædestinatio vocatur: namque Prædestinatio, prout est Gubernatio supernaturalis, ita finem supernaturalem habet, ad quem Deus in ea gubernatos homines dirigit, vt Iustus crea-

tu-

p 2. de gen. t. 58.
q 2. polit. c. 7.
r Gen. 19.
s Gen. 38.

turas rationales imperio principatuique suo subditas: Finis autem supernaturalis iste nullus est alius, quam Gloria perennis, consistens in aperta Visione, ac Fruitione Dei; ad quam homines Deus Prædestinat, & ordinat per obseruationem suorum mandatorum, speciatimque præceptorum Decalogi; iuxta illud, *t Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Voluntas autem Dei, Prædestinantis est, *qua vult u omnes homines saluos fieri*. & qua dicit, *x Viuo ego dicit Dominus Deus. Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius a via sua, & viuat*. Atvero quis non agnoscit istam Dei voluntatem non esse absolutam & efficacem, cui resistit non possit, sed ordinariam & sufficientem, cui multi quotidie resistunt, & damnantur? & alibi Dominus: *y Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & renuisti*. Sic ergo Voluntas, qua Deus gubernat homines, vt Princeps iustus in Prædestinatione distribuens meritas pænas impijs, & debita præmia bonis, est ordinaria, & sufficiens, cui resistunt improbi, parent omnino probi; non autem absoluta, & efficax, cui nemo resistere valeat; cuiusmodi fuit illa, qua Deus iubendo z imperauit tum paralytico, vt surgeret sanus: tum puellæ Principis mortuæ vt viua resurgeret, filio quoque viduæ a defuncto, Lazaro b quatriduano; tum c Dæmonibus: tum ventis, & d mari, & multis alijs rebus etiam insensibilibus, quæ confestim obediuerunt ei, nequeuntes illis voluntati iubenti resistere. Qua de re subtiliter D. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium * in hæc verba: *Hæc sunt magna opera Dei, exquisita in omnes voluntates eius: & iam sapienter exquisita, vt quum Angelus & humana creatura peccasset; id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem*

t Matth.19
u 1.Tim.2.
x Ezech. 23.
y Matt.23. 4.Esdr.1.
z Matth.9.
a Luc.7.
b Ioan.11.
c Marc.1.
d Marc.4.
* Tom.3. 62.c.

*dem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse voluit: bene vtens & malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos iuste prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benigne prædestinauit ad gloriam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque * Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec vtique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius multoque certius voluntate. Nam illius mala voluntas esse nunquam potest*, &c. Sic igitur impij resistunt bonæ voluntati Dei ordinariæ ac sufficienti, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, & non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat: verum resistere non possunt voluntati Dei absolutæ ac omnipotenti, qua non sineret eos male facere si nollet; sed humanæ voluntatem cogere non vult, quia sic non esset eam gubernare, verum destruere; nec iuste damnaret ad pænam, quos peccare coegisset, nec iuste prædestinaret ad gloriam, quos bene agere coegisset. Nam ideo pænarum, & gloriæ solum capaces sunt rationales creaturæ, quia liberam habent voluntatem praue, ac probe agendi, ad quod vtrumlibet ipsæ sese determinant; quas reliquit Deus in manu consilij sui; quum aliæ creaturæ carentes arbitrij libertate, neque pænarum æternalium, neque gehennæ capaces existant; adeoque nullo pacto prædestinentur aut ad gloriam, aut ad gehennam.

* Psal. 110.

Con-

*Contradictionis implicantiam vere non esse Diuini decreti aeterni cum hominis libertate.* Cap. XVII.

QVod vlterius affers: *Nec difficultatem effugit, qui ait, Implicare quidem actum non promi, non vero tolli potentiam ad non promendum actum: Quis enim non videt si, posito tali decreto, implicat non fieri actum, implicare quoque potentiam ad illum non faciendum? quum Fieri & Facere, Actus & Potentia sint inuicem relatiua?* certe tutum non est id effugium ea quoque ratione, quoniam actio humana, de qua loquimur, est de se motus, aut cum motu, sicut ait *e* Aristoteles: motus autem ab *f* eo definitur, actus entis in potentia quatenus in potentia; nimirum, vt ipse *g* mox explicat, actus vnus & idem tum motiui, quatenus est in potentia actiua, tum mobilis, quatenus est in potentia passiua: Quare si contradictionem implicat, actum non promi, pariter implicat, tolli potentiam ad non promendum; quum actus ille nitatur essentialiter actiua potestate agentis. Verum enimvero, si libere fateri debeo, quod mihi de proposito Quaesito demum in mentem venerit, existimo nullam proprie vereque contradictionis implicantiam hic inueniri; quum omnes eam sibi metuant in hoc argumento, cunctique plurimum ab ea torqueri videantur; quia si de natura contradictionis Aristotelem consuluerimus, quo nemo doctior in Logicis, eum ipsissima scribentem inueniemus: *h Quare manifestum est, quod omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposita. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem aequiuoce, & quaecumque cetera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.* Vnde recte colligunt omnes vnanimi consen-

*e* 3. meta. t. 3.
*f* 3. phys. t. 6.
*g* tex. 8. & seqq.

*Propria sententia tollens contradictionis implicantiam.*

*h* 1. perih. c. 4.

su,

su, contradictionem esse oppositionem secundum affirmationem eiusdem prædicati de eodem subiecto: non æquiuoce, sed penes eandem rationem vtrisque sumptis. Dum ergo considerantur actiones humanæ, prout edi possunt ab homine in tempore futuro, competit illis indifferentia, & incertitudo, propter humanæ voluntatis libertatem, & arbitrij mortalium indefinitionem naturalem. Dum vero considerantur in æternitatis momento stabili, totum tempus, etiam futurum complectente, quatenus Diuino decreto, diuinoque intellectui subijciuntur, sub alia longe diuersa formalitate, rationeque sumuntur tum actiones humanæ, tum etiam tempus futurum; tempus quidem futurum, quia de se non adhuc est, ad homines acturos relatum: at in æternitate comprehensum, ac sub Diuino intellectu, vere futurum absens non est, sed Deo præsens, quia Deo nihil est futurum absens; itidem in æternitate, quæ tota simul permanens est indiuisibilis, coexistens toti tempori, complectensque in se totum tempus, nihil futurum est absens, at omnes partes temporis simul coexistunt æternitati præsenti, licet inuicem non confundantur. Actiones itidem humanæ ad futurum tempus relatæ, nulla relatione habita decreti, vel intellectus diuini, nullaque habitudine ad æternitatem, sunt indifferentes, contingentes, & liberæ ab omni penitus necessitate, mereque futuræ: sed si considerentur vt in æternitatis momento promouentur a Deo tanquam a causa prima, cognoscuntur ab eodem tanquam a prima mente, tunc Deo non sunt futuræ, ac indifferentes, & incertæ; sed præsentes, necessariæ, atque certissimæ; quia præsens actio non potest non esse. Ceterum ista necessitas non tollit illis indifferentiam & libertatem, quatenus in tempore futuro prouenire possunt ab homine, sicuti late superius ostensum est. Im-

plicaret quidem contradictionem dicere futuras actiones hominis prout ab homine geri possunt in tempore, præscindendo ab omni alio respectu, esse liberas, & non esse liberas: esse necessarias, & non esse necessarias. Itidem implicaret contradictionem dicere functiones hominum, quatenus a Deo noscuntur, & promouentur in æternitatis momento, simul esse necessarias, & non esse necessarias: simul esse indifferentes, & non esse indifferentes. At vero dicere functiones, quas homo potest imposterum edere, de se libertas & indifferentes esse; nullaque necessitate vinciri, dum ad purum hominem sui causam proximam & peculiarem referuntur; & ad tempus futurum: e contra necessario fieri, non esse contingentes, vbi spectantur in æternitatis momento præsentes Diuino intellectui, & dependentes a prima & vniuersali causa, semper cooperante quibusque secundis: hoc non est contradictionem implicare, sed diuersas propositiones veras afferre de eodē varia sub ratione sumpto. Seseque compatiuntur ista duo; quia functiones ad hominem, & ad tempus futurum relatæ, sunt quidem indifferentes ad vtrumlibet; sed vbi cōsiderantur in habitudine ad æternitatem sub Dei virtute actiua, & cognitiua; quia Deus illo momento æternitatis cognoscit omnia simul; & habet omniū hominum actiones pręsentes, quæ aliquando præsentes futurę sunt homini in tempore, sub decreto Diuino præsentes non habent amplius indifferentiam; quam exuent aliquando apud homines in tēpore, quando futurum eas mēsuraturum aduenerit; quum igitur futurum in æternitate iam sit; propterea functiones futuræ, prout sub ęterno decreto consideratę pręsentes sunt indifferentiam non habent; quam habent apud homines illas in tempore gesturos. Ita reor eximi posse clauum contradictionis, qui tandiu cruciauit humanas mentes.

*Vt euitetur a positione nostra, libertas coacta & prouidentia nutans. Cap. XVIII.*

QVod vltimo profers, *Cupiens igitur euitare Carybdim coactæ libertatis, nollem incidere in Scyllam Nutantis Prouidentiæ, ne cogar dicere cum i Damasceno, Omnia quidem Deus prænoscit, non tamen omnia præfinit; prænoscit enim, quæ in nostra sunt potestate, non tamen ea præfinit.* rectissime profers. Etenim primum vere coacta libertas euitanda, tanquam mystica quædam Carybdis, quæ plurimas mortalium mentes absorbet in barathrum errorjs, reijcitque in pœnas æternas; quia libertas cogi non potest; vbi namque libertas est, ibi nullum adest violentiæ vinculum:& vbi cogens est violentia, non adest ibi libertas. Istam sane Carybdim euitat positio nostra dicens, Deum in æternitatis momento stabili, continente simul omnes temporis partes impartibiliter, habere sibi præsentes cunctas actiones hominum, etiam ab illis in tempore futuro libere gerendas; quas vt æterna mens prima, semper in eo momento cognoscit: vt summa bonitas, mira prouidentia gubernat, conseruans earum entitates reales, & realem hominis eas aliquando gesturi libertatem, illi cooperans vt causa prima communissima in eis promendis; non ipsum cogens eas promere, seseque ad illas promendum determinare; sed sponte promentem, atque sese ad eas promendas libere determinantem, absque violentia, sed potius benei ficentia fouens & gubernans: vt summa iustitia semper tam bonas premijs meritis remunerans, quam malas condignis multans supplicijs æterna & infallibili Prædestinatione. Similiter etiam euitanda nobis est Nutans Prouidentia, quæ Scylla naues multorum ingeniorum in sa-

i lib. 2. fid. c 30.

xa traxit hæresum perniciosarum; quia Prouidentia diuina, quum in æternitatis momento stabili sedem habeat imotam, semperque permanentem, nutare nullo modo potest; & vbi natura nutans est, hoc nullatenus Deo potest aptari; qui dicit apud Malachiam, k *Ego enim Dominus & non mutor*. Positio vero nostra vitat huiusmodi Scyllam Nutantis Prouidentiæ diuinæ, statuens Deum in æternitatis momento stabili, quod vniuerso tempori fluxili coexistit, ipsumque citra fluorem totum intra se continet, sēper mirifica Prouidentia cognoscere cunctas actiones hominum liberas, easque cooperantem homini, ceu causæ secundæ liberæ, promouere, conseruando illarum entitatem natiuam, & libertatem essentialem, perficiendoque simul & fouendo libertatem voluntatis humanæ, sese ad illas determinantis, & eas ad arbitrium suum gerentis, in quocumque tempore se determinauerit, & illas determinate gesserit: perpetua namque stabilis & immota Prouidentia Diuinæ voluntatis est, cooperari mortalibus libere se determinantibus, & libere gerentibus ea, ad quæ sese determinauerint. Quæ quidem immobilitas, atque stabilitas Dei, nedum in eius Prouidentia, quæ Naturalis Gubernatio dicitur, sed etiam in ipsius Gubernatione supernaturali, quæ Prædestinatio vocatur, ex immutabilitate stabilis ac permanentis æternitatis, in se tempus omne continentis, & illi coextensæ reperitur: namque Deus, vt summe iustus, perpetua & constans voluntas est in æternitatis momento, sine sui mutatione semper Prædestinans; hoc est prauas actiones, in tempore factas quandocunque, semper sibi præsentes meritis pœnis multans in earum improbis autoribus; & probas actiones, in tempore pariter quandocumque gestas, itidem sibi præsentes munerans condignis præmijs in earum autoribus. Et licet homines

k cap. 3.

va-

varie mutent in tempore suas actiones, & inde mutentur ipsi, dum ex improbis euadunt iusti, vel ex iustis improbi, non tamen vnquam mutatur Diuinæ Iustitiæ decretum tribuendi ius vnicuique suum, ac munerandi cunctas actiones probas, multandi cunctas improbas; quia mutatio hominum, & humanarum actionum fit in tempore non permanente, fluxilem naturam habente in partes varias distributā; sed prædestinatio fit a Deo in æternitatis impartibili momento stabili sine fluore continente partes omnes temporis in fluxu constitutas. Cuius rei præclaram habemus doctrinam apud *l* Aristotelem ex rei natura dicentem: *Maxime vero proprium substantiæ esse videtur, quum vnum & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse: quale in alijs quidem non habet quisquam quod proferat tale, quæcumque non sunt substantiæ: quod, quum sit vnum numero, susceptibile contrariorum sit; velut color, qui est vnus & idem numero, non dicitur albus & niger: neque eadem actio & vna numero, praua & studiosa: similiter autem & in alijs, quæcumque non sunt substantiæ. Substantia vero, quum vnum & idem numero sit, susceptiua contrariorum est: vt quidam homo, quum vnus & idem numero sit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger; & calidus, & frigidus; & prauus, & studiosus: in alijs autem nullis aliquid tale videtur. Nisi quis forsitan instet, dicens orationem & opinionem contrariorum esse susceptibilia: eadem enim oratio vera & falsa videtur esse: veluti si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente ipsa eadem falsa erit. Similiter autem & de opinione: si quis enim verum putet aliquem sedere, surgente eo, falso putabit, eandem de ipso opinionem habens. Sed si quis & hoc suscipiat, tamen modo differt. Nam ea, quæ in substantijs sunt, ipsa quidem mutata susceptibilia sunt contrariorum: frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo;*

*l* præd. subst.

*similiter autem & in alijs vnumquodque eorum mutationem suscipiens, susceptibile contrariorum est. Oratio autem & opinio ipsa quidem immobilia omnino perseuerant; quum vero res mouetur, contraria circa ipsa fiunt. Oratio namque eius quod sedeat aliquis, permanet eadem: quum vero res mota sit, aliquando quidem vera, aliquando autem falsa dicitur: similiter est in opinione. Quapropter saltem modo proprium substantiæ est, vt secundum mutationem sui ipsius susceptibilis sit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, Orationem & opinionem susceptibilia esse contrariorum, non est hoc verum. Oratio namque & opinio, non eo quod ipsa aliquid recipiant, contrariorum susceptibilia esse dicuntur: sed eo quod circa alterum aliqua passio facta sit: nam eo quod res est aut non est, eo etiam oratio vera vel falsa esse dicitur: non eo quod ipsa susceptibilis sit contrariorum: simpliciter enim a nullo, neque oratio, neque opinio mouetur; quapropter non erunt susceptibilia contrariorum; quum nulla contrarij sit passio in eis facta.* Quæ diligenter inspecta mirifice nobis aperient immutabilitatem Diuini decreti, tam in prouidentia, quam in prædestinatione, simul & libertatem humanam ad varias actiones a prouidentia, & prædestinatione diuina gubernatas, mutabilem ex arbitrio: nam vna mecum cogita, V. C. Decretum Diuinæ Prouidentiæ simul & Prædestinationis in æternitatis immutabilis momento stabili semper idem immotum, & inuariabile permanere; quo Deus immutabiliter decernit semper tum actiones peccatoris iustificati cunctas sibi præsentes, quoad sui portionem prauam multare supplicio afflictionum temporalium in hoc sæculo, fortassis etiam in Purgatorio, post peractam pœnitentiam culpa deleta: quoad portionem vero bonam potiorem & vltimam remunerare præmio gloriæ perennis: tum actiones Iudæ similiter omnes in æternitate sibi præsentes, quoad sui portio-

tionem bonam minorem munerare præmio magno beneficiorum in vita mortali; quoad portionem autem maiorem, & vltimum vitæ suæ spacium complectentem, digne multare supplicijs æternæ damnationis. Quare iam decreto Dei prorsus immutabili semper eodem in æternitate, mutatio facta fuit in tempore tum Petri ex periuro in pœnitentem, tum Iudæ ex Apostolo in proditorem Domini. Quod proportionabiliter asserendum est de quocumque alio; nam Dei decretum attingit immutabiliter simul omnes vniuscuiusque mortalis actiones, ad arbitrium agentis hominis variabiles; & vltimas vitæ functiones interitu dignas proscribit ad ęternamdamnationem, præmium merentes munerat æternitate gloriæ; quia decretum hoc est proueniens a Diuina Iustitia; iustum autem est, vt ait m Aristoteles, omnia determinare a fine. Stante vero Diuini Decreti stabilitate tam in Prouidentia, quam in Prædestinatione immutabili, libertatem habere mortales in suis actionibus indifferentem atque variabilem, certum est; quia sicuti dictum hominis vel opinio quod Petrus sedeat, non incutit necessitatem sedendi Petro; sed ei liberum relinquit sedere, ac non sedere; sic omnino decretum diuinum damnans actiones malas Iudæ, remunerans bonas Petri, non incutit necessitatem Iudæ vt praue agat in fine vitæ suæ desperans de summa Dei misericordia: neque Petro vt pœnitentiam agat post negationem toto tempore vitæ sequentis; at hoc vtrumque liberum fuit vnicuique; quia poterat & Iudas, vt Latro, in fine vitæ contritionem delictorum subiens veniam mereri; & Petrus pœnitentia non admissa, damnari. Cognitio namque diuina res non mutat, sed eas agnoscit Deus, & iudicat, prout sunt, atque merentur. Hanc autem libertatem hominum, & variabilitatem humanæ voluntatis in actionibus promendis sub im-

m 2. de an. t. 49.

immutabilitate diuini decreti satis, respicientis omnes actiones, & iudicantis iuxta postremarum conditionem, clare proposuit Ezechiel ita de Prædestinatione dicens, ex præscripto Dei, n *Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui. Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit* (quia præcedens opus bonum a subsequente malo prorsus extinguitur) *& impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua* (quia subsequens pœnitentia, & eleemosyna exinguit peccatum antecedens, sicut aqua ignem, vt ait o Ecclesiasticus) *Et iustus non poterit viuere in iustitia sua in quacumque die peccauerit* (quia peccatum præsens interimit ac extinguit omnia bona opera præcedentia, vt venenum vitam corrumpit) *Etiam si dixero iusto, quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur* (Quia damnatio æterna debetur, non voluntati priori iustæ, vel a Deo collaudatæ, sed intermissæ: verum iniquæ volũtati postremum acceptæ, in qua perseuerasset homo, si diutius vixisset, vsque ad vltimum suæ vitæ spiritum; Deus enim prædestinans respicit vltimam hominis voluntatem, non antecedentem, quam bonam remunerat præmijs temporalibus; at vltimam malam, quæ foret æterna, si homo semper viueret, æterno supplicio punit) *Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vitam viuet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei. Iudicium & iustitiam fecit, vita viuet.* Quare mutatio est penes hominem ex impio in iustum, ac vt ait Aristoteles, ex prauo in studiosum: Dei decretum, dicens impio, quod morte morie-

tur,

n cap. 33.

o cap. 3.

tur, non mutatum fuit, sed immutabile permanet, quia vita viuit non impius ille permanens, sed iustus in quem mutatus est: & quia decretum Dei non respicit damnando ad gehennam, vel prædestinando ad gloriam, hominis vitæ partem, & actiones priores, sed vniuersam vitam illius, & posteriores, in quarum qualitate perseueraffet, si diutius vixiffet; prioribus illis actionibus impijs temporarijs abiectis irrogans pęnas temporarias in hoc feculo, vel in Purgatorio; postremis iustis, in quibus perennaffet, si diutius vixiffet, adhibens præmium gloriæ perennis. Quare voluntas humana non cogitur ab immutabili decreto diuinæ prædestinationis, & prouidentiæ, sed libera semper in manu consilij sui relinquitur, & bona præmijs condecoratur, praua condignis pęnis affligitur.

*Deum proprie non prænoscere, neque prædefinire quicquam. Cap. XIX.*

DE sententia vero Damasceni, postremum abs te proposita, Vir Cl. cui ferme coactus videris assentire, quid dicam? certe protulit ille sententiam huiusmodi: p *Operæprecium est agnoscere, omnia præscire Deum, non autem omnia prædiffinire, atque prædestinare. Præscit enim & ea quæ in nobis; non prædiffinit autem hæc; nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti; quare præscire iussionis diuinæ opus est prædefinitio: prædiffinit autem ea, quæ non in nostra potestate sunt, secundum præscientiam suam. Nam præscientia iam prælegit omnia Deus secundum bonitatem, & iustitiam suam. Ceterum virtus ex Deo naturæ data est, & ipse omnis boni principium & causa est: & sine eius cooperatione & auxilio impossibile est nos aut bonum velle aut agere. At in nobis est immanere virtuti & sequi Deum*

p 2. de Fid. c. 30.

*nos ad illam vocantem: aut deserere virtutem, quod est in malum prolabi, & sequi Diabolum ad illud, vim non inferendo, vocantem.* Certe verum est, Deum non prædefinire, quæ sunt in nostra potestate, sed ea nobis præfinienda relinquere; tum quia mala prædefiniri non decet a summo bono, neque potest ea nobis Deus iniungere facienda; sed eorum præfinitio, & determinatio ad ea peragenda purum putum opus est humanæ voluntatis prauitate affectæ: bona præterea nobis quidem imperat facienda Deus, quod ait Damascenus, Deum nos ad illa facienda vocare, ac inuitare, vel præmio proposito: sed non iubet efficaciter nos ea facere, sed sinit ea nos eligere, nostramque voluntatem ad ea se sponte determinare; licet eiusmodi determinationem, & electionem peragere nequeat homo, nisi cooperante, ac auxiliante Deo, tanquam prima causa. Quod autem prædefiniat Deus ea, quæ non sunt in nostra potestate, secundum præscientiam suam: videtur habere difficultatem, quia Deus omnia noscit distinctissime in æternitatis momento, etiam illa quę non sunt in nostra potestate; quibus tamen certos non præfiniuit terminos; quod etiam illorum pleraque sunt indefinita, & indeterminata: sed causæ secundæ sunt illæ, quæ præfiniunt pro modo dispositionis materiæ ad suscipiendum terminum etiam fortuitum; quum Deus vt causa communis cooperetur solum causis secundis, & eas gubernet, earumque virtutes: Deo vero non apte videtur assignari terminus fortuitus, inordinatus, & incertus præfiniendus; nam est causa *q* ordinis omnibus. At vero Deum præscire omnia, non ita simpliciter asserendum videtur, si formaliter, & subtili philosophia loquendum sit; etenim Deus cognoscit omnia in æternitatis momento, quod toti tempori coexistens impartibiliter, nihil habet futurum, cui præcedat: Quare vt in æternita-

*q* 1. meta. su. 2. c. 2. & 12. meta. t. 52.

te semper omnia regit simul, ita semper omnia cognoscit, non vnum ante aliud; quocirca nil prænoscit ratione sui. Si ergo consideremus actiones hominum in relatione ad Gubernationem Diuinam tam Prouidentiæ, quam Prædestinationis appellatæ; quam vtramq; Scholæ vocant æternum Dei decretum; accipiuntur istæ functiones, quatenus id tempus, quo promuntur ab homine, continetur in æternitate, qua mensuratur illud Dei Decretum; & quum in æternitatis momento non inueniatur aliquid sub ratione præteriti, vel futuri, sed omnia sint sub ratione pręsentis; iam Deus in æternitatis instanti cunctas actiones hominum, ad quamcumque partem temporis habeant habitudinem, sibi præsentes semper gubernat, & omnes ac singulos homines ipsarum autores semper iustissime reprobat impios, & remunerat probos, non proprie præuidens illorum actiones in tempore futuras, nec illarum intuitu mouetur ad impios damnandos, & ad iustos remunerandos; at eas omnes præsentes sibi semper intuens, ex actu suæ iustitiæ, propriæque voluntatis constantis tribuens ius vnicuique suum prædestinat ad Gloriam bonos, condemnat ad gehennam impios: quod expressis verbis nos edocet Apostolus asserens * de gemellis Isaac: *Quum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante: dictum est ei:* r *Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est:* f *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quibus D. Paulus non adimit operibus omnem rationem causæ damnationis impiorum, & glorificationis iustorum, aliter ac sentire videtur hoc in loco Lyranus, inquiens; merita vt præscita esse ordinata ad gloriam vt ad finem; nulloque modo recte ordinantem velle finem propter ea, quæ sunt ad finem, sed e conuerso; & ideo

* Rom. 9.

r Gen. 25.

f Malach. 1.

merita vt præſcita a Deo, ſiue præſcita meritorum non poſſe eſſe rationem prædeſtinationis, ſed pendere ex mera liberalitate diuina; hocinquam non videtur accipiendum, tum quia finis & ea quæ ſunt ad finem ſunt ſibi inuicem cauſæ, vt ait Ariſtoteles, *t ſunt autem quadam & ad inuicem cauſa, vt laborare cauſa eſt bona valetudinis, & hæc laborandi: ſed non eodem modo, ſed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus:* quare ſicut exercitium, quod iubetur a medico propter finem ſanitatis vel acquirendæ, vel conſeruandæ, cauſa eſt efficiens vel conſeruans ſanitatem: ita bonum opus, quod inſtituitur a Deo propter glorificationem hominis, eſt cauſa producens in nobis meritum gloriæ: tum cauſa vero quælibet continet rationem eius quod eſt propter quid, vt ait * Ariſtoteles: tum quia prædeſtinatio, & reprobatio eſt actus diuinæ iuſtitiæ, quæ tribuit vnicuique ſuum; adeoque bonis gloriam, & malis pœnam propter opera meritoria vel gloriæ, vel pœnæ, non tamquam propter finem, ſed tanquam propter cauſam efficientem. At Apoſtolus hic dicens electionem Iacob non ex operibus fuiſſe, ſed ex vocante, vult non ſolum vocationem ortum habuiſſe non ex operibus puris, quæ tunc nondum vlla fuerant, ſed ex vocante, nimirum qui norat opera futura: ſed etiam magis quia Deus eſt primaria cauſa prædeſtinationis independens; nam illam a ſemetipſo promouet, qua iuſtus eſt: opera vero ſunt a Deo conſtituta cauſa ſecundaria, ſine qua non prædeſtinat, ſeu non damnat, neque glorificat; vt expreſſe vidimus apud *u* Ezechielem; & aperte conſtat ex eodem Paulo ſcribente: *x Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit: Nam & qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitime certauerit.* & infra: *y Ego enim iam delibor, & tempus reſo-*

t 2.phyſ. t.30.

* 2.phyſ. t.27.

u cap.33.

x 2.Tim.2.

y cap.4.

*solutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: Non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* Et Iacobus ait, z *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Verumenimvero D. Paulus hic a attulit effectum prædestinationis, non in causam posteriorem, ac minus principalem, dependentem ab alia, & sine qua non; cuiusmodi sunt opera; sed in supremam, & independentem, cuiusmodi est Diuina iustitia, siue Deus iustus iudex vocans bonos ad gloriam, & pellens malos ad pœnas. Quo loco seruauit scientiæ præceptum, ab Aristotele propositum huiusmodi: b *Oportet autem semper causam vniuscuiusque summam quærere, vt & in alijs, vt homo ædificat, quoniam ædificator est: ædificator autem est secundum ædificandi artem: hæc igitur prior causa est: & sic in omnibus.* Pari ratione, probi prædestinantur ad gloriam, quia bonis operibus affluunt; per bona vero opera prædestinantur ad gloriam, quia Deus iustus iudex reddit vnicuique suum, nec relinquit vllum bonum irremuneratum: similiter improbi proscribuntur ad gehennam, quia malis facinoribus infecti sunt; per mala vero facinora damnantur ad pœnas, quia Diuina iustitia reddens vnicuique suum ius, non relinquit vllum malum impunitum. Nonne clare Dei filius ait? c *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* & alibi: d *Tunc dicet Rex his, qui a dextris erunt. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere,* &c. & mox: *Tunc dicet & his qui a sinistris erunt, Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius; esuriui enim, & non dedistis mihi man-*

z cap. 2.
a Rom. 9.
b 2. phys. t. 38.
c Matth. 16
d cap. 25.

du-

*ducare* &c. Quibus aperte constat, Deum sub ratione iusti Iudicis præparasse ab æterno cæli gloriam iustis, quos per opera bona probos esse constituit & merentes tanti præmij; vicissim gehennam impijs, quos per opera praua malos effectos agnoscit, & pœna dignos æterna. Ceterum in æternitatis momento prædestinatione vocans Deus iustos, quorum opera bona cognoscit, & reprobans impios, quos videt esse malis operibus inquinatos, iuste reddens vnicuique secundum opera sua, proprie non præuidet, quia nihil in æternitate prius, aut posterius est; quum sit indiuisibilis tota simul consistens; & quia nihil est posterius æternitate vt in ea quid posterius præuideri valeat; quum æternitas simul toti & vniuerso tempori coexistat; licet opera tam bona, quam mala, gerantur ab homine in tempore simpliciter & absolute sumpto secundum se, nulla prorsus ab hominibus habita relatione sui temporis ad æternitatem; quum diuinum decretum prouidentiæ, prædestinationisque fiat in æternitatis momento, prout coexistit simul vniuerso tempori, continet in se prorsus omnia tempora, siue temporis vniuersi partes omnes, omnesque differentias præteriti, præsentis, & futuri labentis, sub ratione momenti stabilis & permanentis præsentis. In hoc enim differt humana voluntas a Diuina; cuius opus est prædestinatio, quod humana voluntas fertur in præcognitum; quoniam agit in tempore, cuius præteritum antecessit præsenti, & præsens antecedit futuro: sed voluntas diuina prædestinans in æternitatis momento, in quo simul habet omnia sibi præsentia, nihil præteritum, nihil omnino futurum; prædestinat non ex præuisione meritorum, sed ex natura propriæ iustitiæ videns præsentia cunctorum opera singula, simulque tribuens vnicuique suum ius, bonis operibus præmium, & malis pœnam, non quia mala vel

bo-

bona sint primario, sed quia ipse iustus: Quod sibi vult, Apostolus, dum ait Prædestinationem fieri non ex operibus hominum, sed ex vocante Deo, qui nempe non præuidet opera, sed videt digna vel præmio, vel pœna; quæ duo illis irrogat non impulsus ab operum conditione, sed sponte motus a sua iustitia tribuit vnicuique meritum ius.

### *Epilogus, & conclusio dictorum omnium in proposito Quæsito. Cap. XX.*

DIfficultas igitur ista maxima, quæ tantopere cruciauit hactenus omnia doctissimorum hominum ingenia, sese contradictionis implicantia metuentium, nunquam non irretiri, pendet omnis ex eo, quia contradictionem sibi metuunt, vbi nulla vere contradictio reperitur. Nos ergo contradictionis exempto clauo, non difficulter omnem difficultatem euitamus, inuenientes modum, quo Decretum æternum Dei cohæreat cum actionum humanarum indifferentia & libertate; nam quum hucusque ceteri considerauerint actiones humanas futuras, prout referuntur ad tempus venturum præcise; conferunt simul illas ad æternum Dei decretum immutabilis Prouidentiæ Prædestinationisque, non habita ratione temporis futuri actionum gerendarum libere, prout in æternitatis momento stabili præsentique tempus illud nobis futurum continetur Deo prouidenti, & prædestinanti præsens consistit, non vere præterfluit, aut labatur: Etenim quod futurum nobis est, id in æternitatis momento præsens est Deo, & præsenti coexistit æternitati. Præsens autem actio Deo, libera prorsus est in se, at non indifferens, verum necessaria; non quidem necessitate cogente liberam hominis acturi libertatem,

non

non necessitate cogentis violentiæ, neque necessitate suppositionis finis vt bona sit, sed necessitate immutabilitatis, quia præsens actio libera non potest esse non præsens; & quod fit, non potest non fieri, dum fit; mala non potest non esse mala, bona non potest non esse bona. Ceterum eadem actio, quæ relata simpliciter ad tempus futurum, quo potest ab homine geri, ratione libertatis humanæ prorsus indifferens est ad hoc vt geratur, & non geratur, nullam necessitatem habet, qua penitus oporteat eam geri: sed dum consideratur sub æterno Dei decreto, prout ab homine geri potest in æternitatis momento sub diuina gubernatione posito; & prout quod est homini futurum tempus, id ipsi Deo præsens est, iam eadem actio in æternitate spectata, libere fit prout ab homine prouenit, at necessario, prout a Deo cooperante geritur, a quo nulla violentia voluntati mortalium ingeritur, nec eorum indifferentia libertasque tollitur. Eandem vero actionem dicere necessariam esse prout a Deo promouetur in momento æternitatis gubernante hominem, ipsam efficientem; non esse necessariam, prout ab homine promoueri potest ad libitum in tempore futuro, id contradictionem non implicare censeo: similiter contradictoriam repugnantiam non esse, dicere hominem indifferenter ac indeterminate se habere ad promendam, & non promendam aliquam actionem in tempore futuro simpliciter: & asserere hominem non indifferenter ac indeterminate se habere ad promendam, & non promendam aliquam actionem in tempore futuro, non simpliciter accepto, sed prout continetur in æternitatis momento stabili sub æterna Dei gubernatione iudico: siquidem, vt notauimus ex *a* Aristotele, contradictio est oppositio affirmationis & negationis eiusdem prædicati de eodem subiecto secundum

a 1. periher. c. 4.

ean-

eandem rationem consideratis; at in proposito non seruatur eadem ratio, dum idem tempus futurum modo spectatur secundum se absolute, modo prout in æternitate continetur. Quæ varietas rationis etiam facit, vt idem tempus futurum sit fluidum, & non fluidum; præsens, & non præsens: præsensque tempus idem sine contradictionis implicantia pariter sit labens, & non labens: stabile, & non stabile; siquidem tempus futurum secundum se fluidum est, in æternitate contentum non fluit; quia nihil in ea fluxile reperitur: futurum tempus secundum se non sit præsens, at in æternitatis momento, quod totum simul præsens est, nihil præteriti vel futuri continens, præsens sit: & ipsum tempus præsens absolute secundum se labitur, in æternitate non labitur: secundum se non sit stabile, sit autem in æternitate stabile. Quocirca sicuti cohærere potest tempus fluxile cum æternitate stabili, tempus partes non sibi coexistentes ac totas simul habente cum æternitate tota simul existente, prorsus impartibili, sine contradictionis implicantia; sic omnino modus haberi potest, quo sine metu repugnantis contradictionis cohæreant hæc duo passim a Theologis orthodoxis accepta: *Quæcumque, etiam libere, geruntur in tempore, æterno Dei decreto esse ordinata*: &, *Quæcumque ab homine, vt homo est, geruntur, libere ab eo fieri*.

Ex habitis duo mihi colligi posse videntur argumenta plane conuincentia, Diuinam Gubernationem, tum naturalem, quæ Prouidentia dicitur, tum etiam supernaturalem, quæ Prædestinatio nuncupatur, non tollere, sed ex intima sui natura conseruare libertatem arbitrij voluntatis humanæ cunctis in actionibus, etiam futuro tempore gerendis; quorum vnum est, quia nulla gubernatio, siue naturalis, siue supernaturalis destruit essentiam & naturam rei gubernatæ, neque demolitur vllo pacto

essentialia naturaliaque illius attributa: quum itaque Prouidentia sit gubernatio naturalis, qua Deus sub ratione summi boni vt clemens omnia regit, atque speciatim humanum genus; Prædestinatioque sit gubernatio supernaturalis, qua Deus vt iustus regit humanas voluntates; tribuens ius vnicuique suum: quumque certum sit, arbitrij libertatem esse de natura voluntatis humanæ, ac attributum illi penitus essentiale; iam certissimum est a Prouidentia, Prædestinationeque Diuina non tolli voluntatis humanæ libertatem. Alterum est, eodem fere fundamento nixum: quia Gubernatio quævis, potissimum Diuina, tam naturalis, quam supernaturalis, conseruat, & perficit res gubernatas, earundemque naturales & essentiales proprietates: Quum ergo libertas arbitrij sit naturalis & essentialis proprietas voluntatis humanæ; Prouidentia vero sit gubernatio naturalis, & Prędestinatio sit gubernatio supernaturalis, quibus Deus vt Bonus & Iustus gubernat omnia speciatimque voluntates hominum in cunctis eorum actionibus; propterea Prædestinatio, & Prouidentia Diuina conseruat & perficit necessario libertatem humanæ voluntatis: non eam demolitur, aut violente cogit; Gubernationis etenim essentia constituta prorsus est in conseruatione, perfectioneque rerum gubernatarum, nec non in tuitione iuris proprij cuiuslibet illarum.

Hæc ea sunt, Vir eximie, quæ mihi videntur afferenda pro solutione tui nodi plusquam Gordiani; quam quidem tentaui, non gladio feriens aut libertatem humanæ voluntatis, aut immutabilitatem Diuini decreti æternæ Prouidentiæ, atque Prædestinationis: verum vtrisque saluis, eximens e curru Quæstionis huius clauum contradictionis, ac speciatim e tempore futurarum actionum humanarum, comprehenso in æternitatis permanentis

natura indiuisibili, clauum posterioritatis; quo subducto, non reclamantibus vllis Theologorum, sed plane fatentibus, capita duum istiusmodi loramentorum inuenimus, ducentia Mentis humanæ vehiculum (vt Platonis vtar metaphora, in Phædro proposita) ad Regiam Veritatis, hactenus occultam, & inaccessam. Tuum iam erit ferre iudicium æquum de propositis, mihique tuam censuram ingenuam communicare. Vale ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Museo, Nonis Februarij M DC XL VII.

*De vetusta lapidis inscriptione tenebricosa, Neapolitani Cœnobij Dominicanorum Puteum cisterna dudum illustrantis. Cap. XXI.*

INter ænigmata Veterum obscura, Dasiadis Aram admiratur in Lexiphane Lucianus: Theocriti, siue Nonarij pariter Aram suspiciunt insignes eruditi: Elia Lelia Crispis Epitaphium nemo non ore stupenti legebat hactenus in literario Mundo: Magurtiani lapidis Inscriptionem æuo nostro viri literatissimi confessi sunt inintelligibilem. Meas horum explicationes in editis operibus quum legisset Inclytæ Prædicatorum Familiæ Concionator eximius Fr. Reginaldus Scambatus Neapolitanus, æstate proxime præterita Patauij degens valetudinis ergo; me conueniens aliquando, significauit in Cœnobio suo Neapoli reperiri priscum ænigma sculptum in silice, quod nemo potuerit hactenus intelligere, licet hominum ex omni natione myriadibus inspectum, & diligenter animaduersum fuerit, idiomateque Latino scriptum habeatur, carmine purissimo, dictionibus vsitatissimis, & euidentissimis, non ænigmaticis, neque confictis; e quibus tamen vllus adhuc integer sensus hauriri

minime potuerit, in quo mens acquiescere valeat. Pollicitus est, se breui Neapolim peruenturum, indeque totam historiam ænigmatis ad me transmissurum. Interim significare, Lapidem inscriptionis marmoreum esse, dudumque Puteo Cœnobitarum insertum adhæsisse: postea vero (qua de causa, prorsus incertum) a Puteo remotum, & in vicini parietis partem translatum. In lapidis angulo sculptum esse Cœnobitam ex ordine Famulorum, quos Conuersos, vel Tertiarios appellant, orantem, rectum, flexo poplite paulisper: Cuius orationis, exaratæ carmine, primus versiculus hic esset:

NIMBIFER ILLE DEO MIHI SACRUM INVIDIT OSIRIM:

Se reliquos memoria non conseruare; sed ad me quamprimum perscripturum, vbi Neapolim peruenerit. Discessit Patauio Vir Cl. bonæ valetudini restitutus. Ego vero quum optarem quantocyus habere totam versiculorum seriem, & ænigmatis historiam, frustra plures hebdomadas expectatis literis eximij Scambati, perscripsi Neapolim ad Cl. Virum, Marcum Aurelium Seuerinum, eruditissimum, & mihi summa necessitudine coniunctum, rogans vt adiret inscriptum lapidem, & ad me scriberet vniuersam Inscriptionem, ad amussim exaratam, cum tota illius historia, qua maiori diligentia fieri posset, indicatis omnibus & singulis lapidis, & loci conditionibus, non abstinens a minutissimis, quæ forsan alicui quisquiliæ videri possent inutiles ad propositum. Qui Vir, pro summa sua benignitate, singularique beneuolentia, qua me prosequitur, genuinam communicauit mihi faciem ænigmatis, cum luculenta lapidis historia, simul & ingeniosam solertissimæ suæ mentis coniecturam de sensu Griphi tenebricosi.

### *Affertur Aenigma Neapolitanum, cum explicatione Cl. Seuerini.* Cap. XXII.

Amplifs. Viro D. Fortunio Liceto, mundo virtutum ac disciplinarum
Marcus Aurelius Seuerinus Bene Beateque Agere.

HAbes heic, optime Licete, descriptionem Lapidis, profecto σκανδαλιώδης, in quem quisque tentatorum pedem nedum impegit, sed infregit. Ipse, qui μάντις, ac Delio Natatore maior es, terminum iam & absolutionem, vt alter in Gordiano Alexander, myriadum experimentis impones. Mihi per te, generose Licete, licuerit historiam, quam subodoratus sum, prælusisse, &(vt dicunt) acu pupugisse. Lapis est candidi marmoris, olim Puteo Cœnobitarum insertus, aquas non de terra scaturientes habenti, sed ex compluuio defluentes haurienti. Tabulæ nanque marmoreæ Cœnobiticæ Neapolitanæ, Heracliteo more contectæ, & Sphingica cum ambagum libidine exaratæ (quam autoritate tua, præstantissime Vir, facies Smaragdina Hermetica præstantiorem, & clariorem) iussu tuo peruisæ, & vndique discretæ, mitto dimensum plane palmarem, id est filo comprehensum, tum longitudinem, tum latitudinem æquante. Marmor candidum, & vulgare, notis fuit maioribus Latinis appellatis totum inscriptum; quarum magnitudo orbitam oculi communem propemodum exæquat. Quarta versiculi primi vox (MICHI) legitur, antiqua Longobardorum iam exoleta cacographia. Puteus, seu Cisterna sub Ioue frigido in Pomerij impluuio scatet extimo Claustro: Cui cisternæ proxime seposita, conclusaque labra sunt eluacra. Scopulus autem,

Scandali

[illegible]

tem, ad quem alliſerunt, & naufragata ſunt ingenia multa, ideſt Lapis Inſcriptionis proximo parieti Coenobitarum cura agglutinatus eſt annis non multo ſuperioribus; quem aiunt attiguum Puteo fuiſſe. Hic eius ſitus, & hæc omnis habitudo eſt marmoris epigramma complexi. Cuius ſenſus perſpicuitas, aut verborum elegantia nulla, niſi tamen ſententiæ energia condita profundius eruenda ſit. Facies autem Lapidis inſcripti, & inſculpti genuina ſequens eſt:



NIMBIFER ILLE DEO MI-
CHI SACRVM INVI-
DIT OSIRIM
IMBRE TVLIT MVNDI
CORPORA MERSA
FRETO
INVIDA DIRA MINVS
PATIMVR FVSAMQVE
SVB AXE
PROGENIEM CAVEAS
TROIVGENAMQVE
TRVCEM
VOCE PRECOR SVPERAS
AVRAS ET LVMINA
COELO
CRIMINE DEPOSI-
TO POSSE PARARE
VIAM
SOL VELVTI IACVLIS
ITRVM RADIANTIBVS
VNDAS
SI PENETRAT GELI-
DAS IGNIBVS ARET
AQVAS

Lapis e candido marmore, longitudine ſex pedum Romanorum, latitudine fere trium, nempe dutum, & ſpithamæ,

Epigramma secus D. Dominici Cœnobij Neapolitani Puteum, sine annorum notatione, sine interpunctione vlla, & præter elegantiam amplissimi characteris sensus perspicuitas, aut verborum elegantia multa, sed etiam sententiæ energia condita profundius eruenda sit. Hypomnema quid creditum a nostrum alijs reconditæ doctrinæ. Sic tum physicum materiæ primorumque corporum adumbramentum, tum Hermetici lapidis rudimentum existi mulctis. Sunt & qui threnos putarint, extincto per naufragium Iuuene perdilecto. Alijs vero non ita, sed serium commentum, verum τὸ διαφορητικὸν liberius, & φαντασιῶδες. Neque enim desunt, qui pædagogicon experimentum, aut scioli literatoris exercitamentum censuere. Sed & plerisque visum ludi fiendis ac torquendis perscrutatorum ingenijs confictum. Verum has singulas multorum diuinationes, ut phantasia fallat, [illegible] nostra concutit Hermincia, probabili satis historiæ fide subnixa; quam interpretationem cum respondentibus rei subiectæ numeris omnibus & momentis comprobare ac [illegible] [illegible]. Vtinam dicendo post nongentos valeam postremus. Illa quidem mihi lux primum ex appictæ habitu personæ, ex loci conditione principio lapidem complexi; ex ordine gentis inquilinæ, ritu, more affectionibus; fundamenta & hypotheses primas deducet, quas breui temporis præscripto complexus ordinaqui composuique. Appictus homo tunica manicata talari rugosa, & per animi demissionem citra morem incincta inferne, superne vero cum extremo modiculo collari vix inuerso Cœnobitam refert laicum quidem, verum, vt suo se ausu monstrat, non ἰδιώτην, aut ineruditum; cui sacerdotij spe aliquando intercepto, mox frustrato & excluso per id; quod inscriptionis clausulæ multæ, lapisque supremæ cisternæ coagmentum obseruantibus no-

c Incendium & insitum frontispicio commentum.

e Liberius, ac leuioris commenti diuinationes.

f Historia [illegible] momentis

Interpretatio nostra.

g Personæ, rerumque accidentium indicia.

h Nimbifer, [illegible]

*facrum Osiridem, dira minus patimur, prognostica, crimine deposito.*

*i Fullonica mulctatus autor inscriptionis.*

*k Satyricū hoc commētum.*

nobis indicant. In patrati cuiuspiam criminis suspicio, fullonicam detergendorum Cœnobij pannorum ministerium cum laicis demandatum fuit. Qui demum lauatus intermino consertoque vestium *i* ministerio perluendarum, qua fuit ὀξυθυμία animi turbidioris impetu commotus & indignatus, in exacerbationē amaritudinis suæ, ac partim vltionis, partim ambitionis gratia, memorabile parauit amicis & posteris querimoniæ monumentum, non sine felle, latentisque *k* Satyræ mordicibus. Quo quidem instituto materiæ mansit scommatum, ac dicteriorum obscuritas necessaria.

*Nimbifer*

*l Satyrica metalepsis.*

Orion, & per *l* metalepsim imbris & aquæ pluuiæ fullonica perpetua manuum Immadidatio.

*Ille*

*m Artificiosa epigrammatis inductio.*

Non sine inuidia & animi angore vox expressa, qua pronominis emphasi consueuimus vti demonstrandi Casu, principio producentes inimicum astrum, Fortunam, Sortem, tragico videlicet schemate altius repetita denunciatione. Incipere *m* autem ab ipsa re, negotijque origine, sine circuitu, methodi est veritatis, quæ affectu nititur. Sic autem ex recto incipit Casu, quemadmodum nos docet Hermogenes in formis eloquutionis. Facit aliquantulum illud Petrarchæ (hauriam enim vnde suppetunt exempla)

„ Quel sempre acerbo & honorato giorno: &

„ Quell'antico mio dolce empio Signore. hoc est:

„ Ille semper acerbus, & honoratus dies: &

„ Ille anticus meus dulcis impius Dominus.

atque alia apud alios exempla. Verborum autem ordo est: *Ille nimbifer inuidit mihi Osirim sacrum* & nuncupatum *Deo* summo veroque. *Sacrum*, inquam, *Osirim*, idest debitam habitudini, institutoque meo *n* Sacerdotij digni-

*n Osiris sacerdotium.*

gnitatem. *Imbris* autem vox aptissima visa est ad aquam pluuiam indicandam; quippe quæ pannis emundandis, & candidandis fontana, & fluuiatili o probatior, vt quæ nitro plurimo detergentior est. Sic & *Mundi* vocula industrie decerpta est, vt munditìes appareret pannorum bifariam alborum, idest tum primo suo colore, tum per lotionem instaurato. Toto autem versiculo tantumnon oculis videas deseruientis in fullonicos vsus aquæ pluuiæ fluenta, quæ ex compluuio per glaream in puteo collecta partim tympanis, partim per aquarias machinas in subiectum labrum, Eluacrum Catoni vocatum, largis imbribus versatur: in quo tunicæ sodalium Religiosorum, ex intruso aere turgentes, *Corpora mersa freto* videntur. Et hic ab Autore vna metonymiæ figura censentur, Cataclysmo per tapinosim isto cum altero crescentis Mundi collato.

o *Aqua pluuia detergendi facultate probabilis.*

*Inuida dira minus patimur*

Quum *patior* fuisset rectius dicendum; numerus quidem plurium delectus est, instituta satyrici sermonis obscuritate. Resipientis p autem Christicolæ dictum illud videtur, vt cum vulgo maiora nostra delicta, quam immissa merentibus supplicia confitemur. Alius sensus est, vt hæc Inuidiæ tetrioris minima sint effecta. Quæ verba quum consolationi potuerint esse producta, retulerim equidem exaggerationi potius; vt inde tempestiue dependeat id, quod sequitur

p *Correctio.*

*Fusamque sub axe, Troiugenamque trucem*

In qua interim parte saucius proloquutoris animus recurrit, vt persæpe fit, excandescentius ad q fermentum indignationis, & quasi diris deuota sodalium insidiosorum turba, demonet incautos, suique ordinis amicos, vt quam fieri potest, maxime declinent perfidiam proditorum, & assectarum vel a patria priuata, vel rectius allusione ad

q *Reuocant se facile ad iram animi offensi.*

L An-

Antenorem, aut Æneam, quos ex eo genere habuit, r Troiugenam appellauit. Fusa vero sub axe per exaggerationem dicta improborum delatorum, quæ longe lateque diffusa est, turba.

r Troiugena qui.

*Voce precor*

Quasi dicat acuta & clamosa,

*Superas auras & lumina cælo*

Quas superi Dij crediti sunt inhabitare; implorat, inquam, ardua voce summos Diuos, Qui mortalium bene maleve facta dispiciunt, puniunt, retribuunt.

*Crimine deposito*

Id est, depurgato, supplici Deut

*Posse parare viam*

Ad sacrosanctum agendæ rei Diuinæ munus assequendum: aut certe tanta sub animi ægritudine saluti tum demerendæ s contumelias & iniurias pacatæ passis Christicolis promissæ. Interim ambiguitatem plurimam hic excitat vox

s Persequutionem perpessos cælestis retributio manet.

*Itrum*

Ancipitibus nobis, quum t syncope mutilum id vocabuli sit, vtrum fuerit ab Incisore reponendum *Iterum*, id est, vt continenter

t Itrũ mutilum verbum.

*Radiantibus iaculis*

Omnipotentis ictu Solis u obfirmate pertentans debeat excitare Cor istorum præfractum: an vero fuerit insculpendum, *Vitrum* quod certe probabilius videtur, illo sensu; vt quia partim sua virtute, partim x speculis, lenticulisque vitreis Archimedeis radius Solaris exiccare consueuit torrentes; sic Dijs aspirantibus, demum exolutum, ac discussum iri debeant supplici despectæ aquæ.

u 1. comparatio.

x 2. comparatio.

*Aret*

Pro *Arefacit*, in Neutro-passiuum pro Actiuo, præter licentiam poeticam y Atticè; quod fecit plus semel Aristo-

y Attica phrasis.

ſtoteles,teſte Talentonio in lib.2.varię diſciplinę cap.19.

Sic explicatum eſt votum aculeatum ingenui & magnanimi Cœnobitæ, præluſum & προγύμνασον a me Seuerino;quippe patrio viro doctiſſimis alijs, præſertim diligentioribus atque exteris, qui penitius enucleent nodum,millenis iam hominum experimentis Herculeum & Vulcanium exiſtimatum. Quam ob cauſam aliquot ab hinc annis, creſcente vndique confluxu perquiſitorum, itum eſt in nonnullam Inſcriptionis publicandæ difficultatem; frequenti enim importunitate, ac tædio Cuſtodes affecti, ſatius obruere monumentum, quam propalam tenere plus ſemel ſunt arbitrati: & feciſſent vtique, ni pietatis, & honeſtatis veneranda nomina reueriti fuiſſent. Præterquam quod inde velificari ſuis honoribus Reuu. Patres abunde valent, quod in ſinu ſuo foueant tam ſingulare, tamque conſpicuum monumentum; qui quanti fines ſint literarum & eruditionis, eatenus exteros ſummæ notæ *a* ſuſcitant ad ipſum peruiſendum, expendendum, & comprehendendum: Inter ceteros ab extrema Italia magnum Licetum ex L. Com. qui Gordiano perplexiorem hunc nodum, vnus ex Chyliadibus prudentium Europæorum expedire geſtiat: & certo certius expediturus eſt, qui ſecretarum artium, & Naturæ Myſta ſapientiſſimus ad extricandos Griphos Virgilio, Aeſopo Phrygio, Apollonio, Oedipo maior, noſtras ambages definire, aberrationes dirigere, tenebras illuſtrare, ac diſceptatus doctorum hominum quotidianos ſopire datus eſt ætati noſtræ, exornatore Fortunio Fortunatæ.

*z Deſperata iam interpretationis epigramma.*

*a Mira vis epigrammatis diſtantiſſimos ad ſe rapiens.*

De Satyra Cymmeria iam ſatis.

Ad limbum epiſtolæ quum peruenerim, hic ſiſto, nunquam non ſiſtens Excellentiæ obſeruantiſſimum me tuæ. Vale Cl.Licete. Neapoli, Prid. Non. Nouemb. A. 1646.

*Resp. Liceti, Aenigmaticum epigramma interpretantis de Putei querela propter nimiam ariditatem ab Orione inuectam. Cap. XXIII.*

## Cl. Viro Marco Aurelio Seuerino Fortunius Licetus B. A.

EQuidem exosculor eruditionem atque solertiam ingenij tui, mi Seuerine, cuius Interpretationem ceteris aliorum hactenus allatis huic obscurissimo Pęgnio lõge pręferendam video. Verum enimvero quoniam ænigmata singula multas & varias explicationes habere posse videntur: & quia Scambatus eximius ille meam opinionẽ de sensu tenebricosi griphi iam efflagitauit, enixe, non ita pridem Patauij degam: cui morem non gerere nequeo; propterea mei quantulascumque vires ingenij periclitari lubet in isto studio: In quo metam attingere, sane gloriosum fuerit: non attingere tamen non erit inglorium; quum id extiterit paria facere plurimis, ijsdemque viris ingenio præstantissimis, qui conatibus irritis ante te defecerunt in cursu, nec ad metam accesserunt, nedum eam non attigerunt. Inscriptionem itaque iam adiens, primum eam generatim contemplabor, deinde singulas illius partes animaduertam accurate pro virili. Inscriptio legitur (vti refers) in lapide, qui prius Puteo Claustrali S. Dominici Neapoli fuerat insertus; dein, qua de causa latet, amotus a Puteo, vicino parieti coagmentatus est. Puteus autem iste non est fons aquæ viuæ de terra surgentis e Putei fundo; sed cisterna, pluuias e tecto Cęnobij per canales parietibus inclusos deuolutas in caueam Putei suscipiens. Constat ænigma versibus octonis hexametris & pentametris alternis purissimo stilo com-

*Inscriptionis locus.*

compactis æque ac obscurissimo: delineatum characteribus Romanis grandioribus rudiori forma ductis. Arbitror hoc ænigma factum olim fuisse, quando literæ fere vigebant penes Cœnobitas, ante nostrorum auorum ætatem: Positumque poematium existimo dudum a viro doctissimo simul & in Cl. Prædicatorum Familia primas habente; penes quem vt eruditio singularis edendi monumentum id admirabile, sic esset etiam ius & autoritas lapidem conspicuum in loco publico statuendi. Vetustam Inscriptionis originem ostendit non solum amissa latensque memoria temporis, quando lapis inscriptus impositus primum Puteo fuit: verum etiam tum literarum Romanarum rudes characteres antiqui, detritos apices & angulos elementorum obtinentes: tum habitus, figura, positiove laici claustralis in silice sculpti sub orantis effigie: siquidem non orat flexis vtrisque genibus ad terram, vt posteriori seculo fieri cæptum est: sed erectus dextero tantum poplite curuato, claudorum instar, & manibus, oculisque sublatis ad cælum; qui mos orandi perantiquus extitit; nam & Homerus ideo Preces describit esse claudas, quas homines oppressi calamitate Numini porrigunt, vt a noxa liberentur; ait enim in *a* Iliade:

Antiquitas.

*a* 9. ver. 498 & seqq.

*Etenim Litæ (* idest, Preces *) sunt Iouis filiæ magni,*
*Claudæque, rugosæque, strabæque oculis:*
*Quæ & post Aten (* idest, Noxam *) curant euntes:*
*Ate vero robustaque, & pedibus integra: ideo omnes*
*Longe præcurrit: anteuertit autem omnem per terram*
*Lædens homines: illæ vero medentur post modo.*

Phurnutus, ac ex eo Spondanus, hic ait ab Homero Preces poni claudicantes, quod se in genua deijciant, qui preces faciunt. At in subterraneæ Romæ locis, ad quæ metu Gentilium Ecclesiam primitiuam persequentium,

con-

confugiebant antiqui Christicolæ frequentes ad orandum, orantium Fidelium imagines muris depictæ spectantur erecto corpore stantes, manibus ad cælum sublatis. Quo modo pariter orabat pro populo Dei, vt contra hostes dimicans vinceret, antiquissimus ille Moses; qui dum eas graues demittebat, dimicans Israel vincebatur; stabat autem Moses orans erectus; licet præ senio diuturnam stationem, & manuum eleuationem non tolerans, postea sedere coactus fuerit, & fulcimento manus eleuatas tenere; sic enim legimus in sacra pagina. *b. Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum Solis.* Autoris autem epigrammatis eruditionem summam tum alia multa significabunt, adnotanda posterius: tum quoque speciatim aperte signat ænigmaticus ille stilus artificiosior illo Lycophroniano; quia Lycophron vocabulis nouis, inusitatis, ab se confictis propriæ sententiæ sensum obscurauit: atvero Poeta noster vocibus vsitatissimis & euidentibus, vnica *Itrum* excepta, quæ potuit esse sphalma fabrile, versiculos ex arte compegit, obscurissimam sententiam includentes. Eiusdem vero Poetæ dignitatem, & autoritatem inter Cœnobitas ostendit ius, & autoritas, vt dicebam ponendi magnum & celebre monumentum istud in publico celebrique loco Cœnobij. Scopus autem & artificium, occasioque Pœgnij, me iudice, fuit, vt ab eruditissimo Cœnobita, post immanem ariditatem a cælesti constitutione autumnali pariter & hiemali succedente siccissima productum in Puteo speciatim Cœno-

*b Exod. 17.*

*Eruditio & artificium.*

*Autoris poematij dignitas.*

*Intentio, artificium, & occasio griphi.*

no-

nobij Prædicatorum, introducatur Puteus per prosopopæiam sub persona fraterculi famuli, siue potius fraterculus in persona Putei, totiusve Cœnobij, conquerens de Constellationis Orionis imbriferi natura sua, nimbus tamen præter modum negantis inuidia; cuius malignitate Puteus ipse contabuerit aridus: & preces adhibens, quibus auras, & placata propitioraque lumina, siue Numina flecteret ad salutarem necessariamque sibi pluuiam concedendam; parareturque via tum imbribus ad se refocillandum, tum etiam radijs solaribus ad eliquandas niues, & glacies; quarum liquore fluente Puteus impleri valeat; ne superuenientis æstiui Solis radij potentiores conglaciatæ niuis & aquæ paucæ substantia tenues in halitus vniuersa dissoluta penitus arescat. Quæ singula mirificam eruditionem doctrinamque continere constabit ex animaduersione singularum partium lapidis ænigmatici. Primo quidem imago Cœnobitæ loquentis, & orantis, apertissime pro Puteo ponitur (qui nunc introducitur eloqui, non aliter ac olim a Dosiada, Nonario, Publilioque introducitur Ara loqui, & a Theocrito Syrinx in ænigmaticis eorum poematijs; quæ dudum explicauimus) quia non Clericus Cœnobita, neque Conuersus appellatus, ast omnium Cœnobitarum famulus accipitur Tertiarius nuncupatus; quum enim Dominicanus ordo triplici contineatur hominum Classe: in prima Clerici degunt, qui sacris ordinibus initiati, vel actu sacerdotio funguntur, vel ad sacerdotij dignitatem ipso iure mox promouendi sunt; qui singuli sacris officijs ex officio semper incumbunt, atque Prædicationi speciatim, vnde sumpsere nomen Prædicatorum; hi caput habent clericali corona capillorum redimitum: induti candido scapulari nuncupato, duplicique caputio, nimirum albo, & super album nigro contecti, superamictique nigra cappa spe-

*Imago Cœnobita quid propriè significet.*

*Dominicanorum Clerici.*

Conuersi quales.

spectantur. In secunda classe sunt alij, qui Conuersi cognominantur: hi famulantur Clericis omnibus, & corporalis roboris ministerium Cœnobio præstare tenentur, non autem ingenio pollent; ita namque legitur in Constitutionibus Ordinis: *Declaramus quod Fratres Conuersi vocantur ad opera corporalia in Conuentibus exercenda, vt in sudore vultus sui vescantur pane suo*. Hi rarenter ad sacerdotium promouentur: non habent clericalem coronam capillorum in capite, sed æqualiter vniuerso capite detondentur supra aures, infra raduntur: non gerunt album scapulare, neque candidum caputium, sed nigrum tantummodo: nec habent appellatam Cappam: ita sancientibus ordinis Constitutionibus: *d Conuersi indumenta tot habeant, quot ceteri Fratres, præter Cappas; loco quarum habeant scapularia longa, & lata vsque ad iuncturam inter pugnum & brachium: quæ etiam non sint alba, sicut & tunicas; sed similis coloris Cappis Clericorum*, adeoq; nigri coloris. Post hos omnium infimi sunt, qui Tertiarij nuncupantur: hi nullum caputeum, nullumque scapulare gerunt, sed simplicem tunicam: neque clericali corona capillorum exornantur in capite, verum vti Conuersi detondentur: meri famuli sunt, purum putumque seruitium omnium Cœnobitarum: & post biennium Nouitiatus ascendunt ad ordinem Conuersorum: sic enim de illis in Constitutionibus: *e Vbi est consuetudo recipiendorum Tertiariorum, statuimus vt nullus ad habitum Conuersorum recipiatur, nisi prius per annos duos in habitu Tertiarij Conuentui inseruierit; vt sic spiritus, atque vires, quibus præcipue in Fratribus Conuersis Ordo noster opus habet, probentur*. Quorum ætas iuuenilis esse debet; etenim prius decretum fuerat in Constitutionibus, quod *f Nullus Conuersus recipiatur infra decem & octo annos*. Quę singula diligenter præmittere necesse fuit, vt agnosceretur conditio

c dist. 1. c. 13.

d c. 15.

Tertiarij qui.

e ibid.

f c. 13.

Fra-

Fratris Orantis, vnde maxime pendet ænigmatici scrupi declaratio. Profecto qui delineatus est in lapide Fraterculus orans, non est in prima classe Clericorum, quia clericale signum coronæ capillorum non habet in capite. Neque recenseri debet in secunda classe Conuersorum, quia scapulare, caputeoque nullo contegitur. Quare iam Tertiarius est, purum putumque Cœnobij seruitium, famulitiumque; nullum ad aliud omnino destinatus officium, præterquam ad inseruiendum vniuersis atque singulis Cœnobij Fratribus. Ita iam ego scripseram de iuniore Cœnobita Dominicano, nixus ipsius illo schemate, quod cum epigrammate primum ad me transmiserat eximius Seuerinus: Qui tamen audita mea sententia de iuuenili ætate Fraterculi depicti, me posterioribus literis admonuit iconem marmori sculptam non adolescentem imberbem referre, sed rasum senem euidentissime repręsentare; misitque nouam effigiem ex ipso lapide adamussim expressam, ad verbum nouissime perscribens inter cetera: *Veruntamen quod Iunior, ac pauco rerum vsu fuerit is autor, qui condidit hoc octastichon, opinionem fortasse commutabis, si spectaris illam ipsam speciem, quam marmore præsefert homo depictus, maturioris hercules ætatis quam adultæ, florentiorisve. En autem, quæ ad inania sculpturæ spacia madens oppressa pagina figuram refert: abraso scilicet pilo, capillitioque modico, sicut Tertij Ordinis est Cænobitarum. Nemo autem nostrorum ciuium existimauit adolescentulum, aut imberbis ætatis hominem. Ipse igitur expensis faciei lineamentis, hominis ætatem adiudica.* Simulachrum autem secundum hoc ad me delatum, huiusmodi faciem habet:



Sic ille vir, quibus apte coniecturam mihi confirmauit, qua censeo figuram istam non repręsentare verum autorem epigrammatis obscuri, sed Puteum sub persona famuli Cœnobitarum; quia Tertiarij literis imbuti non esse solent, sed viribus corporis pollentes; qui post biennium famulitij promouentur ad sublimiorem gradum scilicet Conuersorum; vt aperte liquet ex ipsismet Constitutionibus Dominicanorum. Puteus autem vetus in claustro Fratrum, sub persona famuli siue Tertiarij, siue Conuersi senioris a Poeta decenter introduci potuit, ac debuit eloquens illustri & apta Prosopopæia: siquidem vetustas & antiquitas Putei belle signatur senili ætate famuli Cœnobitarum; quibus ab antiquo priscus iste Puteus

teus inseruiuit, aquas eorum vsibus assidue subministrans. Ista iam ad Typographum excudenda quoque transmiseram: quum ad me Cl. Seuerinus nouam de Tertiario perscribit animaduersionem ipsissimis plane verbis: Inclyto Viro Fortunio Liceto Marcus Aurelius Seuerinus B.A. Ad Excellentiam tuam Bibliopolarum dum expedio litteras, resumo postremum de Religioso illo marmorea tabula inscripto precatore sermonem. Nam Dominicanorum nostrorum aduersione, meaque rerum suarum lectione comperi, Cœnobium D. Dominico dicatum, quod nunc est a Reuu. hisce Patribus cultum, fuisse alias inquilinorum Benedictinorum sedem: in quam ob dissidia, super religione inter hos orta, subrogati Paschalis Pontificis Summi placito fuere Dominici Prædicatores, qui controuersias antecessorum passim abolecuerunt: historiam enarrante Aegidio Engenio Ciue nostro libro Neapolis Sacræ, qua de D. Dominici templo dissertum est. Quo fit, vt apte Tertiarius habitu Benedictino, non autem Dominicanus laicus is sit. De quo stat item integra nostra prior interpretatio; atq; etiam fortasse commodior, si partes interpretamenti nostri præcipuæ comprobentur. Ne quid autem aberratus Monachi genuinus habitus ambiguitatis, aut difficultatis faciat, est ansa fallaciæ mature præcauenda; & qua demum causa Benedicti sodalis persona in Dominici familiam irrepserit, ratio contexenda. Quod quum significarim, tuum est, absolutissime vir, ambages tollere, ac sensus lectitantium rectos præstruere, falsa duorum commutatione declarata. Sapientem autem legatum ne cures, inquit adagium, multis curiosius informare; quippe superuacuo abuteris labore. Ipse igitur, quod facto sit opus generose vir, præsta; tua nos gratia foue, ac felix Tychonios annos viue. Neapoli Pridie Festi Annunciationis A.D. 1647.

Certe videtur apprime figura sculpti Fraterculi repræsentare Monachorum S. Benedicti Conuersum, siue laicum, Tertiariumve nuncupatum; cuius illa si figura dicenda sit, vt non immutat vllatenus explicationem meam, ita maximopere demonstrat hoc epigramma vetustius esse Religione Dominicana, quæ post Benedictinam instituta fuit: etenim D. Dominicus Prædicatorum Familiæ Fundator diem obijt A.D. Millesimo ducentesimo vigesimo primo, Monasterium autem Neapolitanum a Monachis D.Benedicti translatum fuit ad Fratres S.Dominici sub A.D. Millesimo ducentesimo trigesimo primo, decennium ante mortem S.Dominici, siquidem Io:Michael Piò Dominicanus lib.1. cap. 19. sui voluminis, cui titulum fecit, De nobili & generosa progenie P. S. Dominici in Italia, sic habet: *S. Dominicus de Neapoli datur Fratribus de Anno Millesimo ducentesimo trigesimo primo*. Id autem actum a Paschali summo Pontifice, sicuti referre dicitur Aegidius Eugenius ciuis Neapolitanus in suo libro Neapolis Sacræ, mihi videre non licuit, enimvero Paschales duos tantum reperio fuisse Pontifices summos, quorum primus genere Romanus Ecclesiam rexit anno Domini octingentesimo decimo septimo, multum ante sæculum D. Dominici: secundus e Flamminia vixit anno salutis millesimo nonagesimo nono, siue Millesimo centesimo, vt aiunt alij, quod æuum etiam vetustius extitit ortu D. Dominici, qui diem obijt anno Domini Millesimo ducentesimo vigesimo primo, & multo magis donatione Monasterij Benedictini Cœnobitis Dominicanis acta salutis anno Millesimo ducentesimo trigesimo primo. Porro quum Puteus absolute sit institutus ad vsum omnium pariter Cœnobitarum, artificiose proponitur a Poeta sub persona Tertiarij Fraterculi. Orat autem iste stans, non in genua decumbens,

*Puteus cur sub persona Fratris orãtis introductus.*

bens, quia putei natura figuraque recta est & inflexibilis: poplite tamen curuato ponitur, tum vt orantis hominis imago melius exprimatur in angustia positi, quod preces ab Homero claudæ dictæ sint; tum vt curuatura rotunda Putei quadantenus insinuetur. Incinctus autem est Frater Orans Puteum repræsentans, quia Puteus nullo vinculo ligatur, sed apertus est, libere patens omnibus in Cœnobio. Precatur autem ore ad cælum aperto Cœnobita, quia Puteus hiatum oris apertum semper ostentat cælo; speciatim iste, qui sub dio manet. Quum autem multæ forent orantium formulæ penes antiquos, pro varietate orationum; etenim pro mortuis orantes olim sedebant, ita legitur apud Edimerum Anglum in vita S. Anselmi Episcopi: *Corpus Osberni monachi de more lotum, vestitum, & in feretro compositum in Ecclesiam delatum est. Tum circumsederunt Patres, psalmos pro eius anima decantantes*. Pœnitentes autem, Dei misericordiam pro delictis implorantes, genuflexi penitus orabant; *decet enim eos*, vt ait g Tertullianus, *adgeniculari; quum exomologesis, prosternendi & humilificandi hominis sit disciplina*. Laudes autem Deo concinentes, gratiasque postulantes a Numine, stantes orabant. De laudes Deo canentibus, ita Philo: *h Extant hymni inter sacra canendi astantibus*. & *i* alibi: *Vbi viderint deuictum aduersarium, conuenit pulcherrimumque hymnum canere datori victori Deo: ita vt duo Chori, alter e virili, alter e mulicbri conclaui e diuerso stantes, alternis carminibus sibi respondent*. Ita profert Cl. Ant. Caracciolus; k De gratias vero petentibus idem Philo: *l Priusquam discumbant, stantes vna serie decentes, sublatisque ad cælum manibus atque oculis, his quoniam didicerunt spectare cælestia: illis vt pote interruptis a muneribus, & a quæstu illicito, precantur vt Deo placeat id conuiuium. Absolutis precibus seniores discumbunt*, ac

*Orantes qui sederent.*

*Qui genuflexi.*
g de pænit.

*Qui stantes.*
h de vit. contempl.
i de agric.

k I synopf. vet. rit.
l de agric.

*ac mox alij, pro cuiusque dignitate.* Mox idem Philo de laudante Deum: *Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit: aut recens a se compositum, aut desumptum ab aliquo ratum veterum.* Dionysius item de Carpo viro Sancto loquens precante cum indignatione contra virum infidelem, & alium ab Ecclesiæ fide ad impietatem abductum, m *Stans ad diuinam precem, & collocutionem non satis intente, irreligiose tristabatur, & ferebat grauiter: iniquum esse dicens, si impij homines, & qui vias diu peruerterent rectas, adhuc viuerent: & hæc dicens, precabatur Deum, vt amborum vitam turbine aliquo, & fulmine prorsus abrumperet.* Cyrillus item Monachus in vita S. Ioan. Silentiarij, n *Pachomius,* inquit, *reuersus ad gymnasium veritatis, inuenit quidem Fratres congregatos ad preces: & stans cum ipsis impleuit hymnodiam.* o Gregorius Turonensis ait, siue de precantibus, siue laudes, gratiasve Deo referentibus: p *Clericorum psallentium stare mos est.* Chrysostomus item infit: *Quum ante lucem gallus emittit vocem, omnes cum reuerentia dimisso sopore consurgunt, a Præsule excitati suo, adstantque sacro instituto choro; protinusque expansis manibus; sanctos concinunt hymnos.* q Metaphrastes item ait: *Quamuis autem Quiriacus ad tantam peruenisset ætatem, centum scilicet & septem annorum, & esset tam profunda senectute; ne tantillum quidem remittebat de sua statione ad diuinos hymnos.* His alia nuper adiecta ab eruditiss. Caracciolo non addam; referam tamen vlterius frequentissimum orandi precandique morem effecisse pridem, vt orationes, atque preces in aliqua Sanctorum Ecclesia nuncuparentur r *Stationes*; quod nomen frequens habetur in Missali, & alijs libris noui testamenti: Qua de re Polydorus Virgilius: *Appellauit Gregorius ea solemnia sacra non indecenti vocabulo Stationes, quasi statas, id est, certis anni diebus ac statutis celebres; nam sic stata caremoniæ, vt Festo Pompeio pla-*

m epist. 8.

n c. 68.

o de Glo. mun. l. 1. c. 10.

p 14. hom. in 1. Tim.

q c. 17. vit S. Quir.

r 8. de rer. mu. c. 1.

*Stationes vnde dictæ.*

*placet, dicebantur sacrificia, quæ certis quibusdam diebus & statutis celebrabantur: quæ non mutarentur, sed stabilia & firma starent: Vnde Cato: Sacro stata, & solennia sancta seruasti. Alij stationes dictas volunt ex militari exemplo, quod perinde hæc sacra, siue hæ Aedes sacræ, in quibus illa fiunt, statutis diebus custodiantur, frequententurque, ac soleant loca ad custodiam assignata militibus, quando stant vigilantes. At Stationes nostræ sunt, & manent, quando Sacerdotes in Choro stantes canonicas recitant horas; atque olim esse cæperunt apud Christianos Conuentus, quum illi in templo, die præsertim dominico stantes precarentur: vt est apud f Marcum Euangelistam: Et quum steteritis orantes: De quibus Tertullianus, de Corona militis, inquit: Iam & stationes aut alij magis faciet, quam Christo? aut & dominico die, quando nec Christo? igitur stationes nostras a stando dictas esse, & D. Gregorium tam nomen, quam consuetudinem pristinam intermissam retulisse, instaurasse, renouasseque, satis certum est.* Denique vero Greg. Nissenus de S. Gregorio Thaumaturgo scribit: *t Quasi animi oculis intueretur ea, quæ fiebant, diuinum auxilium pro ijs, qui nomine Fidei decertabant, innocabat. Quumque aliquando Deum precaretur, repente angore percelli, & veluti sono quodam ad aures eius pertingente, aures admouere videbatur: ac postquam ita multo tempore erectus, & immotus permansisset, deinde quasi propositum spectaculum bonum euentum habuisset, ad pristinum statum rediit: & clara voce Deum pro victoria laudauit, dicens: Benedictus Deus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.* Quartus modus orandi fuit, non quidem in simplici situ, vel sedendi, vel genuflectendi, vel standi; sed misto; qui quidem vel coactus ex imbecillitate fuit; de quo sacra pagina loquitur in Mose, qui preces offerens Deo pro dimicante populo prius erectus orabat elatis manibus; at præ senio non valens diem totam eo situ stare, coactus est in petra se-

f cap. 11.

t in vit. Thau.

*Precitemista positione coacta.*

ſedere,manusque ſuper Aaron,& Hur detinere; legitur enim: u *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim. Dixitque Moyſes ad Ioſue, Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec. Cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Ioſue vt locutus erat Moyſes: & pugnauit contra Amalec. Moyſes autem, & Aaron,& Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Quumque leuaret Moyſes manus,vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Manus autem Moyſi erant graues. Sumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum eſt vt manus ipſius non laſſarentur vſque ad occaſum Solis. Fugauitque Ioſue Amalec,& populum eius in ore gladij.* Non aſſentire poſſum Cl. Viro Cornelio a Lapide ſcribenti: *Videtur autem Moſes leuaſſe & extendiſſe manus iunctas, itavt vola vna alteram, qua virgam tenebat,complecteretur: nec enim virgam, vtpote paſtoritiam & grandem vnica manu tamdiu in altum eleuatam tenere potuiſſet:* tum quia Moſes ipſe dicit habere ſe virgam Dei in manu ſua, non in manibus ſuis; quando vero de manuum eleuatione tractatur, in numero multitudinis agitur ſemper manibus: tum quia virga licet inſignis facile ſtringebatur ab vna manu; quæ ſuffulta ſuſtentataque ab Aarone, vel ab Hur, nullo negotio tandiu virgam eleuatam tenere potuit; nam ſat erat eam complecti, ſiquidem onus totum & manus grauis, & virgæ ſuſtinebat vel Aaron, vel Hur manum cum virga ſuſtentans. Conſimiliter miſta poſitio precantis memoratur a Nicephoro tractante de Syriæ Monachis ita: x *Horum opus eſt, frequentes genuum inclinationes, & graues rurſus ſtationes, deſiderio ſolo corpora eorum ſuſtinente, & voluntariam imbecillitatem recreante. Quum enim egregium virtutis opus peragendum, & preces ad Deum fundendæ ſunt, tum robur no-*

u Exod. 17

x l. 14. c. 10

*nduum, & corpus mirifice viuidum cernas, etiamsi senio id iam confectum, & exoletum admodum sit.* In Concilio Aquisgranensi legitur itidem. y *Mox vt datum fuerit signum, festinato omnes Canonici ad Ecclesiam conueniunt; quam non pompatice, vel inhoneste, vel incomposite, sed cum reuerentia, & Dei timore, ingrediuntur: Nec cum baculis in Choro (exceptis debilibus) sed religiosissime illis standum, & psallendum est. Sunt enim quidam Clericorum, qui in secularibus negotijs, & disceptationibus, pene totum infatigabiliter deducunt diem, & mox in Ecclesiam ad diuinum officium vt intrauerint, peragendum, ita fatigati videntur, vt nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant; sed potius sedentes, non diuinis, sed vanis instare solent loquelis.* De qua mista positione precum videtur agere Sophronius inquiens: z *Ioannes Abbas Eunuchus, rursus nobis enarrauit dicens, Ingressus sum in eodem Cœnobio Cellulam senis cuiusdam, vidique quia vbi stare ad precationem solebat, tabula erat supposita: vbi autem genua figebat, & manus, concauum erat plusquam digitorum.* Qui vero situm precandi mistum seruabant voluntarium alij variabant alternatim vniuersum situm, de quibus ipse Philo scribit: a *Extant autem eius generis carmina prisca versu trimetro, & hymnicum suis accentibus inter sacra canendi ante altaria, vel a stantibus, vel a choreas ducentibus moderatas varijs flexibus atque reflexibus. Præsulem mox imitantur ceteri decenti ordine.* Et mox: *Vbi omnes consurrexere, duo Chori fiunt in medio Cænaculo, alter virorum, alter feminarum: cuique suus incentor præficitur, honore præstans & canendi peritia: deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos varijs metrorum carminumque generibus: nunc ore vno, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus atque accentibus: modo stantes, modo prorsum retrorsumque gradum mouentes, vtcumque res postulat. Deinde postquam vterque chorus seor-*

y c. 131.

z in Prat. c. 184.

*Precandi positio mista voluntaria.*

a De vita contempl.

*sum expleuit se his delicijs, velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti in rubri sinus litore post mirandum prodigium, quando mare Deo iubente alteris salutem, alteris perniciem attulit: Diductis enim violenter aquis, & vtrimque consolidatis in parietum speciem, medium interstitium latam viam & siccam populo præbuit, per quam ad continentis aduersæ loca editiora traijceret: aquis deinde in suam regionem pristinam hinc illinc refluentibus, & medium solum paulo ante nudatum inundantibus, ausus eos persequi hostis mersus internecione perijt. Accepto autem hoc tam insigni & insperato beneficio, correpti numine viri pariter ac mulieres, & in vnam Choream conglomerati, hymnis gratias Seruatori Deo canebant, præcinente viris Mose propheta, Mariamne vero prophetide feminis. Ad horum maxime imitationem hic theraupeutarum theraupetidumque Chorus compositus, & mistis ad graues virorum acutis femineis vocibus concinne temperatus, concentum reddit suauissimum vereque musicum; pulcherrimis enim verbis includuntur sententiæ pulcherrimæ, religiosis choreis accedentibus. Horum porro vniuersorum finis vnus & idem est pietas.* Alij vero positione mista simul orant voluntarie situm componentes ex recto corpore stantes & altero poplite curuato; quemadmodum cælatus Cœnobita noster in lapide griphi; nam gratiam pluuiæ postulans a Deo cisternæ suæ stans erectus orat, simulque crimine deposito se per pœnitentiam disponens ad gratiam impetrandam a Deo, quem sciebat non exaudire peccatores, vna stans alterum poplitem curuat pœnitentium orantium more, preces veluti claudas Homero nuncupatas efformans; etenim claudum magis repræsentat iste, qui stans poplitem dextrum incuruat orans, quam qui positis vtrisque genibus orare visuntur. Verum enim vero non solum pœnitentes olim positis genibus orabant

bant voluntarie, sed etiam qui præ corporis imbecillitate stare non poterant; quum enim statio laboriosa sit, vnis musculis totum corpus ægre sustinentibus, vt ait Galenus *b* summam extensionem, ac tensionem vltimam perpetientibus; motumque tonicum habentibus, etsi quiescere corpus videatur; propterea diu stare, sicuti neque manus extentas eleuatasque tenere nequeunt homines, præsertim senio debiles (vt in Mose notatum fuit) ac mærore confecti; nam vt in gaudio spiritus & calor influit a centro corporis ad partes extremas, ita mærore spiritus & calor ad intima viscera contractus, extremas partes, adeoque musculos crurum deserit; qui calore destituti maxime, diu tendi non valent, ac in actione motuque tonico perseuerare, stationem promouere, corpusque stantis erectum sustinere, quocirca magno mærore conflictati preces offerre Deo nequeunt ac in oratione diu consistere stantes, at coguntur positis genibus orare; quod obseruare licet in Christo Domino, & in eius Apostolis; etenim Dominus ingenti tristitia velut oppressus in horto positis genibus orauit, dicente Luca, *c Et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Nimirum præ mærore summo, cuius anima tristis *d* erat vsque ad mortem, calore contracto toto ad intima destitutis partibus exterioribus ad se prolapsum sanguinem pro sui nutritione siuerunt per poros cutis in speciem sudoris effluere, languida facultate retentrice sanguinem alimentarem in partibus illis continere nequeunte. Petrus item fessus ex itinere Lydda Ioppen, ductusque in cœnaculum vbi defuncta Dorcas inter viduas flentes iacebat, *e ponens ge-*

*Orantes positis genibus ex imbecillitate, ac impotentia standi.*

*b* 15. de vs. par. c. 8. 1. de mot. musc. c. 78. & l. 2. c. 2.

*c* cap. 22.

*d* Matt. 26.

*e* Act. 9.

*nua orauit, & conuersus ad corpus dixit: Thabita surge: at illa oculos aperuit, & viso Petro resedit.* Stare vero non poterat Petrus itinere lassus, & mærore mortuæ discipulæ conflictatus. Et Paulus quum f Ephesijs triste nuncium dicens eos non amplius visuros faciem suam, *positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium.* Et mox: *Qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Ierosolymam. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs vsque foras ciuitatem: & positis genibus in litore orauimus,* mæstissimi abeuntes a dilectis, quos amplius nunquam eramus inspecturi. Quum itaque Cœnobita noster iuuenis sit, non senio confectus, nec ex itinere fessus, nec intensissimo mærore conflictatus, orare ponitur apte recto corpore stans, & poplite dextero curuatus. Precatur ore ad cælum aperto Cœnobita; quia Puteus oris hiatum semper apertum ostentat cælo. Loquitur autem in hac inscriptione Cœnobita sub persona Putei, siue Puteus in figura Fraterculi; tum querimonias habens de siccitate nimia, tum preces afferens pro salutaribus atque necessarijs aquis obtinendis; vnde partitur Inscriptio poematij octosticha in duo disticha, iuxta illud g Horatij,

f Act. c. 20. & 21.

*Diuisio Inscriptionis in partes præcipuas.*

g in Art.

„ Versibus impariter iunctis querimonia primum,
„ Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Primi quidem quatuor versus continẽt querelam de causa siccitatem aduehente, negatione salubrium & necessariarum aquarum: secundi quatuor preces habent ad aquas impetrandas, & ariditatem abigendam. Hos itaque versiculos iam singulos explicemus accurate, particulis eorum omnibus attente diligenterque consideratis.

NIMBIFER ILLE DEO MICHI SACRVM INVIDIT OSIRIM

Triplex est huius versiculi constructio, prout illa particula

cula *Deo* necti potest aut cum dictione *Nimbifer*, ita:

*Nimbifer ille Deo, inuidit mihi Osirim sacrum:*

aut cum particula *mihi*, sic:

*Nimbifer ille inuidit mihi Deo Osirim sacrum:*

aut cum vocula *sacrum*, ad hunc modum:

*Nimbifer ille mihi inuidit Osirim sacrum Deo.*

Quæ varietas constructionum minime variat sententiam epigrammatis, aut mentem Autoris, vt in singularum dictionum explicatione patebit, ad quam accedimus.

NIMBIFER

Conqueritur Puteus de inuidia Nimbiferi, qui sibi negauit aquam imbrium, quam ex compluuij, tectorumque Cœnobij stillicidijs, per canales arte factos in parietibus haurire solebat; inque cauitate sua retinere, conseruareque ad vsus omnium Cœnobitarum. Nimbiferi vero vocabulo designat apte constellationem Orionis, qui *Nimbosus* audit apud Virgilium; h cui

h 1. Æn. v. 539.

„ Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

Plinius Orionem numerat inter noxia sidera scribens: *i Ante omnia autem duo genera esse cælestis iniuriæ meminisse debemus: vnum, quod tempestates vocamus: in quibus grandines, procellæ, ceteraque similia intelliguntur; quæ quum acciderint, vis maior appellatur: Hæc ab horridis sideribus prodeunt: vt sæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hædis. Alia sunt illa, quæ silente cælo, serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi quum facta sunt.* Ista vero sunt excedentes ariditates, post diuturnam serenitatem, atque siccitatem aeris, de quibus conqueritur in hac inscriptione Puteus. Ita quoque passim alij multi diffamant Orionem Nimbiferum, quia tempestates excitat immanes, tam ortu, quam occasu suo: De ortu quidem Virgilius allato carmine; namque signanter ait, *assurgens:* De occasu vero sideris Orionis Horatius in Mæuium poetam,

i l. 18. c. 28. f. Orionis astrorum malum.

*nua orauit, & conuersus ad corpus dixit: Thabita surge: at illa oculos aperuit, & viso Petro resedit.* Stare vero non poterat Petrus itinere lassus, & mærore mortuæ discipulæ conflictatus. Et Paulus quum f Ephesijs triste nuncium dicens eos non amplius visuros faciem suam, *positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium.* Et mox: *Qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Ierosolymam. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs vsque foras ciuitatem: & positis genibus in litore orauimus,* mæstissimi abeuntes a dilectis, quos amplius nunquam eramus inspecturi. Quum itaque Cœnobita noster iuuenis sit, non senio confectus, nec ex itinere fessus, nec intensissimo mærore conflictatus, orare ponitur apte recto corpore stans, & poplite dextero curuatus. Precatur ore ad cælum aperto Cœnobita; quia Puteus oris hiatum semper apertum ostentat cælo. Loquitur autem in hac inscriptione Cœnobita sub persona Putei, siue Puteus in figura Fraterculi; tum querimonias habens de siccitate nimia, tum preces afferens pro salutaribus atque necessarijs aquis obtinendis; vnde partitur Inscriptio poematij octosticha in duo disticha, iuxta illud g Horatij,

f Act. c. 20. & 21.

*Diuisio Inscriptionis in partes præcipuas.*

g in Art.

„ Versibus impariter iunctis querimonia primum,
„ Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Primi quidem quatuor versus continẽt querelam de caussa siccitatem aduehente, negatione salubrium & necessariarum aquarum: secundi quatuor preces habent ad aquas impetrandas, & ariditatem abigendam. Hos itaque versiculos iam singulos explicemus accurate, particulis eorum omnibus attente diligenterque consideratis.

NIMBIFER ILLE DEO MICHI SACRVM INVIDIT OSIRIM

Triplex est huius versiculi constructio, prout illa particula

cula *Deo* necti poteſt aut cum dictione *Nimbifer*, ita:

*Nimbifer ille Deo, inuidit mihi Oſirim ſacrum:*

aut cum particula *mihi*, ſic:

*Nimbifer ille inuidit mihi Deo Oſirim ſacrum:*

aut cum vocula *ſacrum*, ad hunc modum:

*Nimbifer ille mihi inuidit Oſirim ſacrum Deo.*

Quæ varietas conſtructionum minime variat ſententiam epigrammatis, aut mentem Autoris, vt in ſingularum dictionum explicatione patebit, ad quam accedimus.

NIMBIFER

Conqueritur Puteus de inuidia Nimbiferi, qui ſibi negauit aquam imbrium, quam ex compluuij, tectorumque Cœnobij ſtillicidijs, per canales arte factos in parietibus haurire ſolebat; inque cauitate ſua retinere, conſeruareque ad vſus omnium Cœnobitarum. Nimbiferi vero vocabulo deſignat apte conſtellationem Orionis, qui *Nimboſus* audit apud Virgilium; *h* cui

„ Quum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion.

*h* 1. Æn. v. 539.

Plinius Orionem numerat inter noxia ſidera ſcribens: *i Ante omnia autem duo genera eſſe cæleſtis iniuriæ meminiſſe debemus: vnum, quod tempeſtates vocamus: in quibus grandines, procellæ, ceteraque ſimilia intelliguntur; quæ quum acciderint, vis maior appellatur: Hæc ab horridis ſideribus prodeunt: vt ſæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hædis. Alia ſunt illa, quæ ſilente cælo, ſereniſque noctibus ſiunt, nullo ſentiente, niſi quum facta ſunt.* Iſta vero ſunt excedentes ariditates, poſt diuturnam ſerenitatem, atque ſiccitatem aeris, de quibus conqueritur in hac inſcriptione Puteus. Ita quoque paſſim alij multi diffamant Orionem Nimbiferum, quia tempeſtates excitat immanes, tam ortu, quam occaſu ſuo: De ortu quidem Virgilius allato carmine; namque ſignanter ait, *aſſurgens:* De occaſu vero ſideris Orionis Horatius in Mæuium poetam,

*i* l. 18. c. 28. F. *Orionis aſtrorum malum.*

tam,

k epod. 10. tam, cui tempestatem & naufragium imprecatur, k ait,

„ Nec sidus atra nocte amicum appareat,

„ Qua tristis Orion cadit.

l 2. meteo. su. 2. c. 2. Vtrumque coniungit Aristoteles, asserens: *l Orionis dirum esse ortum, occasumque*. Notat etiam in problematibus, Orionem oriri ineunte autumno, & occidere hieme; ac eius exortu dies maxime variare, flatusque importunos moueri; subditque: *m Et quidem difficilem esse Orionem, & quum oritur, & quum occidit, ex temporis varietate recte affirmant; turbulentum enim, atque inaequabilem esse necessum est*. Id ipsum ab Aristotele doctus ponit Theophrastus asserens: *n Ventorum autem inconstantiae sub ortum & occasum Orionis propterea contingunt, quod in mutationibus inconstantiae fieri soleant: nam in mutationibus semper omnia maxime varia ac incerta sunt. Oritur Orion initio eius aestatis partis, quae Opora dicitur, occidit autem sub principium hiemis: vt ideo & venti incerti & inconstantes sint; quod nondum certum constitutumque sit anni tempus, altero scilicet desinente, & incunte; quod anceps & non vnius naturae vtrumque sit. Et quidem difficilem esse Orionem, dum oritur, & dum occidit, recte affirmant, quod anni tempus terminatum ac certum non est; turbulentum enim & inaequabile sit oportet. Atque haec quidem, & quaecumque alia huius generis in aere ac caelo eueniunt, ita explicata sint*. Quo loci Theophrastus annum in duas tantummodo partes diremptum assumit, aestatem ac hiemem, dum ortum Orionis, qui contingit autumno, dicit esse initio eius partis aestatis, quae Opora dicitur; Opora siquidem autumnus est; etenim Oporotheca locus est, vbi fructus autumnales habentur, vt ait o Varro: quare ponit autumnum postremam partem aestatis. Aristoteles haec omnia Theophrastum docuerat in Meteorologia scribens: *p Incertus autem & molestus Orion esse videtur, & occumbens, & oriens;*

Marginal notes:

m 26. sec. prob. 14.

n l. de ventis.

*Opora dicitur autumnus.*

o 1. de re rust.

p l. 2. su. 2. c. 2.

*oriens; quia in transmutatione temporis accidit occasus, & ortus: æstate, aut hieme: & propter magnitudinem astri, dierum fit aliqua pluralitas: transmutationes autem omnium turbulentæ sunt, propter indeterminationem.* Scilicet Orion asterismus est semper noxius (Horatio canente:

,, Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion.)

& inconstans, atque varius; quia modo siccitates promouet acres, modo molestas inundationes; semper tamen malus, quia semper ventos magnos aduehit, qui nubes aut expellunt, aut attrahunt, induuntque. Multos autem dies perdurat eius mala siue ariditas, siue inundatio; quoniam eius asterismus magnus est, amplissimam cæli partem occupans; vt infra latius apparebit, quod pressius hic innuit Aristoteles; ad magnas etenim causas magni diuturnique consequuntur effectus. Hanc autem effectuum Orionis contrarietatem, post Aristotelem, qui paulo r antea dixerat: *Quapropter & circa Orionis ortum maxime fit tranquillitas, & vsque ad Etesias, & Prodromos*, obseruarunt Gesnerus, C. Stephanus, & Hortensius, asserentes ex Plauto, *Iugulum Oriona vocari, quod sit armatus gladio, stellarum fulgore terribilis. Hic si fulget, serenitatem: si obscurat, tempestatem denotat.* Mendum enim arbitror in textu cum Stephani, *armentorum gladius:* tum etiam Gesneri, *armatorum gladius.* Profecto si solus ensis Orionis hasce varietates lucis, & obscuritatis induat; minor est inde siccitas, atque tempestas; at si totus asterismus fulgidus oriatur & occidat, tunc magnas & diuturnas ariditates procreat, ob magnitudinem constellationis, vti nuper edocuit nos Aristoteles: Vbi vero totus obscura luce tegitur Orion oriens, & occidens; ingentes tempestates & inundationes ciet; vbi vero non totus, at eius ensis, & caput obscuratur, paulo minores nimbos aduehit. Totum autem quandoque

*Orionis mala diuturna*

r 2. meteo. su.2.c.2.

co-

coruſcare candenti luce notauit Aratus in Phænomenis ex Germanici verſione ſic Romane canens:

„ Tela, caput, magnique humeri, ſic balteus ardet,
„ Sic vagina enſis, & pernici ſic pede fulget.

De qua quidem ſiccitate, ſerenitateque producta virtute ſtellarum Orionis mire fulgentium, ita ſ Virgilius:

ſ3. Æn. v. 512. & 1699.

„ Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat,
„ Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
„ Explorat ventos, atque auribus aera captat:
„ Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
„ Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones,
„ Armatumque auro circumſpicit Oriona.
„ Poſtquam cuncta videt cœlo conſtare ſereno,
„ Dat clarum e puppi ſignum; nos caſtra mouemus,
„ Tentamusque viam, & velorum pandimus alas.

Cognouit autem inde ſerenitatem futuram, quod Orionis enſis aurea luce micaret, non obſcuraretur plumbea nebula. De tempeſtate vero Virgilius idem t infra:

t 7. Æn.

„ Quam multi Libyco voluuntur marmore fluctus,
„ Sæuus vbi Orion hibernis conditur vndis.

Orion autem, ſiue turbida luce terribilis ad nos nimbos ferat, ſiue clara luce rutilans a nobis nimbos ferat inducta ſerenitate, ſiccitateque, recte nuncupatur in ænigmatico pęgnio *Nimbifer*

ILLE

Quoniam ergo ſemper Orion infeſtam aut ariditatem Puteis, aut vndarum tempeſtatem nautis afferre ſolet; eius proprium nomen execratus Poeta, & Puteus, illud ſilentio contegit, atque damnat; deſcribitque tantum cum indignatione, propter imbres ſalutares & neceſſarios ſibi negatos, & ariditatem moleſtam inductam. Sic olim illius, qui ſacrilegus Epheſiæ Dianæ templum auguſtiſſimum, a tota penitus Aſia, ſicuti Plinius u affir-

u l. 36. c. 14.

mat,

mat, ducentis viginti annis factum, incendio consumpserat, vt inde tanti facinoris nomen famosum acquireret in vniuerso; vetitum Ephesiorum decreto nomen effari; licet vnus Theopompus legem non obseruarit; Aulo Gellio x scribente: *Illaudatus est, quasi illaudabilis, & innominabilis: qui neque mentione, aut memoria vlla dignus; neque vnquam nominandus est; sicuti quondam a communi consilio Asiæ decretum est, vti nomen eius, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat: ne qui vllo tempore nominaret*. Pariter & Valerio y Maximo scribente, *Illa vero gloriæ cupiditas sacrilega: inuentus est enim, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarū orbem differeretur. Quem quidem mentis furorem aculeo impositus detexit. At bene consuluerant Ephesij, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo: nisi Theopompus, magnæ facundiæ ingenium, in historijs eum suis comprehendisset*. Herostrato nominato; vt ipse Strabo z testatur. Consimiliter asserit in Perijgetem Eustathius. Ita Poeta nomen execratus Orionis, qui templi D. Dominici Puteum arefaciens, Cœnobitas intensiore quasi siti consumpserat, ac incenderat, damnata silentio diri nominis memoria *Nimbiferum illum inuidum* diffamauit. Quam quidem indignationem nostri Cœnobitæ, Orionem inuidum & inuisum sibi proprio nomine nunc accusare recusantis, ac *Illum* titulo stomachantis, aptissime videtur æmulari cultor etiam Christi Poeta, dum Cacodæmonum principem in teterrimo spirituum infernalium conciliabulo inducit contra Deum talia profari. a

x l.1.c.6.

y l.8.c.14.

z l.14.

a l.1 Christ.

„ Tartarei proceres, cælo gens orta sereno,
„ Quos olim huc Superi mecum inclementia regis
„ Aethere deiectos flagranti fulmine adegit:
„ Dū regno cauet, ac sceptris multa INVIDVS ILLE

O Per-

„ Permetuit, refugitque parem. quæ prælia toto
„ Egerimus cælo, quibus olim denique vtrinque.
„ Sit certatum odijs, notum, & meminisse necesse est.
„ ILLE astris potitur, parte & plus occupat æqua
„ Aetheris, ac pœnas inimica e gente recepit
„ Crudeles. pro sideribus, pro luce serena
„ Nobis senta situ loca, Sole carentia tecta
„ Reddidit, ac tenebris iussit torquere sub imis
„ Immites animas hominum, illætabile regnum.
„ Haud semper aspirare poli datur amplius aulæ.
„ Ingens ingenti claudit nos obijce tellus.

Quæ mirabiliter imitatus, ac tantum non Etrusco carmine reddidisse videtur ipse *b* Torquatus in Heroico suo poemate consimilem Cacodæmonum Principis ad asseclas orationem referens:

*b* Can. 4. Ger. st 9. 10.

„ Tartarei Numi, di seder più degni
„ La soura il Sole, ond'è l'origin vostra:
„ Che meco già da i più felici regni
„ Spinse il gran caso in questa horribil Chiostra:
„ Gli antichi altrui sospetti, e i fieri sdegni
„ Noti son troppo, e l'alta impresa nostra:
„ Hor COLVI regge a suo voler le stelle,
„ E noi siam giudicate Alme rubelle.
„ Et in vece del Di sereno e puro,
„ De l'aureo Sol, de gli stellati giri,
„ N'ha qui rinchiusi in quest'abisso oscuro:
„ Nè vuol che al primo honor per noi s'aspiri.

Ita Poeta noster in persona Putei, Fraterculive nunc indignatus ob ariditatem infestissimam ab Orione susceptam, abhorrens exprimere nomen inuisis Sideris, ipsum describit, *Nimbifer ille*

DEO

Dictio *Deo*, tum superioribus, vti dicebam, tum inferiori-

ribus adnecti potest: si quidem superioribus adhæreat, dicitur Orion, qui pluuias ciens aquam subministrabat replendo Puteo Cœnobitarum, congruenter imbrem, & aquam Deo ferre; propptereaque recte describitur *Nimbifer ille Deo*; nam quæ Cœnobio Cœnobitisque dantur, Deo tribui dicuntur; adspexit enim hoc sensu Poeta sermonem illum Domini: *c Sitiui, & non dedistis mihi bibere: quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Quin & ad illa verba Psalmistæ, de sacerdotibus potissimum lata: *d Ego dixi, Vos Dij estis, & filij excelsi omnes.* Sin autem dictio, *Deo*, posterioribus verbi adiungenda sit, iam cum particula, *Mihi*, & cum vocula, *Sacrum*, apte connecti valet: Si connectatur cum vocabulo, *Mihi*, Puteus Deum se prædicat; quod etsi Christianam Fidem redolere non videatur; attamen poetica quadam licentia potest in epigrammate quadantenus vsurpari: quo sensu Fatum, Destinum, & Fortunam (quæ tria non ita redolent orthodoxam Fidem) assumere consueuerunt in suis poematijs etiam Christi cultores, vnde Fonti Arquadæ in Euganeo Colle distichon inscriptum legitur, diuinitatem Fonti tribuens ita:

„ Fonti Numen inest: hospes venerare liquorem,
„ De quo bibens cecinit digna Petrarcha Deis.

Sed & Puteus etiam Cœnobij dici potest Deus a poeta fideli, tum quatenus Fraterculo repræsentatur, minimo Dei seruulo: tum quatenus est pars Cœnobij, cui quæ dicantur, Deo dicata censentur. Præterea vero Puteos, qui Fontes aquæ sunt, etiam apud *e* Euangelistam; cui *Erat autem ibi Fons aquæ: Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra Fontem.* & mox: *Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & Puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis Puteum: & ipse ex eo bibit, & filij eius,*

*Deus vt Cœnobita.*
*c* Matth. 25
*d* Psal. 81.
*Deus vt Puteus.*
*e* Ioan. 4.

*& pecora eius*. Est autem Puteus Fons opertus; quum aperti nomine communi generis appellentur *Fontes* absolute. Ceterum aquam fontis vniuscuiusque, siue operti, siue aperti Veteres omnes venerabantur, veluti Numen: ita *f* Iuuenalis,

f Saty. 3. init.

*Aqua, & Fons Numen antiquis.*

„ In vallem Egeriæ descendimus: ecce speluncas
„ Dissimiles veris: quanto præstantior esset
„ Numen aquæ, viridi si margine clauderet vndas
„ Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum.

Vbi Scholiastes Britannicus: *Numen aquæ fontis quanto præstantius esset: idest, excellentius, & proinde præstantius, si in natura sua mansisset, & non marmoribus incrustatum esset; vt ostendat, Deos humanis rebus non capi, sed bona sinceraque hominum voluntate gaudere, vt ait Seneca ad Lucilium:* Cogita Deos, quum propitij essent, fictiles fuisse: *quanto magis fontes natiuos?* Maximus Tyrius *g* ait, *Dianæ sacratæ sunt scaturigines fontium*. Et Virgilius iurans belli pactum sub Aeneæ persona, fontes inuocat inter Numina, *h* concinens,

g Ser. 38

h 12. Aen. v. 175. & seqq.

„ Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
„ Esto nunc Sol testis, & hæc mihi Terra precanti,
„ Quam propter tantos volui perferre labores:
„ Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
„ Iam melior, iam Diua precor: tuque inclite Mauors,
„ Cuncta tuo qui bella Pater sub Numine torques:
„ Fontesque, fluuiosque voco, quæque ætheris alti
„ Relligio, & quæ cœruleo sunt Numina Ponto.

i 7. Aen.

Huc etiam spectant, quæ multo prius *i* Maro posuerat, inquiens:

„ Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
„ Implicat: & Geniumque loci, primamque Deorum
„ Tellurem, Nymphasque & adhuc ignota precatur
„ Flumina ------

Quin

Quin & ipse Plutarchus in vita Demosthenis istam adhibet Iuramenti formam: *Per terram, per fontes, per fluuios, per latices*. Gyraldus etiam Deos Gentilium enumerans, ait; k *Iuno quoque ibi domicilium possidebat, Fons, & Nymphæ, Deique Nouensiles*. Itaque Puteus, qui Fons est aquarum, siue de cælo cadentium, siue de terra proxime scaturientium, poetice nomen Dei sibi sumere potuit. Sin autem vocula, *Deo*, connectatur cum dictione, *Sacrum*, constructio versiculi fuerit: *Nimbifer ille inuidit mihi Osirim sacrum Deo*; planiorque sensus erit; quia per Osirim intelligentes aquam concedentem in vsus Cœnobitarum; (qua de re postea late) hæc vbi muros claustri iam ingressa fuerit, iam Deo sacra facta est; quique vel prohibuerit eam ingredi sacrum locum inuitis Cœnobitis, vel ipsam inde violenter asportauerit, vel clam suffuratus fuerit in damnum & incommodum Cœnobitarum, sacrilegij reus euadit.

k Synt. 1.

MICHI

Duo sunt hic adnotanda, dictionis cacographia, reique significatæ natura: primum referri potest ad sphalma vel incisoris, quod aliquando vocat in Epistolis Marcus Tullius *erratum fabrile*; quum foret incidendum, *Mihi*; vel amanuensis, viro docto male seruientis, incisorique mendosum exemplar exhibentis; vel, si placet, autoris Poetæ, qui vitio Plotini laborauerit, cuius vitam describens eiusdem discipulus Porphyrius inquit veritati litans: *Mira componendi celeritas in Plotino: nunquam interrupta mentis intentio: negligentia characterum. Quum enim aliquid ille scripsisset; quod scripserat, respicere bis minime tolerabat: sed neque etiam semel legere, atque percurrere; propterea quod visus ei non satis sufficeret ad legendum: Dum vero scribebat, neque belle quidem literas figurabat, neque exacte syllabas distinguebat, neque vllam orthographiæ diligentiam adhibebat:*

Plotini cacographia.

*so-*

*soli videlicet intelligentiæ studens, atque (quod omnes admirabantur) id agere ad finem vsque vitæ perseuerauit.* At vero quum videam cetera cuncta longioris epigrammatis orthographiæ normas obseruare, præter hoc, & verbum, *Itrum*, ac interpunctiones omnino neglectas; arbitrari nequeo sphalma, *Michi*, refundendum in Autorem poematij; quare dicendum est aut Incisoris, aut Amanuensis. De secundo, referri potest vocula *Mihi* pariter ad loquentem siue Cœnobitam insculptum, siue Puteum illo designatum; & hoc siue Puteus Cisterna sit, imbres e tecti compluuio recipiens per tubos artefactos in pariete, stillicidijs excipiendis aptatos; qualis esse dicitur Puteus iste, cui primum lapis insertus inerat: siue foret etiam fons aquæ viuæ de terra surgentis in eius fundo; namque iure merito conqueri potest vterque Puteus de Orione Nimbifero, qui dire fulgidus nimiam serenitatem attulerit; qua tum immediate negans pluuiam cisternæ; tum exsiccati plane torrentes, & arefacti fere fluuij, non potuerint aquam viuam per occultos terræ cuniculos Puteo subministrare; quum certum sit, ac pluuiarum vbertatem & inopiam flumina proportionabiliter augeri, & imminui; pariterque ad fluuiorum augmentum, & imminutionem Puteos aquæ surgentis ex humo repleri similiter atque depleri. Namque flumen intumescens per latentes terræ venas omnem regionem finitimam irrigare fertilemque reddere compertum est; etsi non exũdet super vniuersam plagam, vti facit Aegyptum Nili fluuius; etenim, quod obseruat Q. Curtius, *l Euntibus aperit se læua Arabia, odorum fertilitate nobilis regio, campestre iter est inter Tigrim & Euphratem, tam vber, & pinguis soli, vt a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne manat, imo fere solo propter venas aquarum redundante.* Vbi Putei semper

*Puteorum duæ differentiæ.*

*Pluuius rō inundãs vt totã m regionem irriget.*

*l lib. 5.*

per

per affluentes, nunquam habentur defectu laticis inanes.

SACRVM

Profecto sacrum id omne prorsus est, quod concedit in vsus hominum Deo dicatorum, necnon in vtilitatem aut ornamentum loci Deo, cultuique Diuino consecrati; cuiusmodi sunt omnia donaria; quorum ablatione committitur sacrilegium. Quapropter aqua tam ex impluuio decidens in Puteum cisternæ, quam ex humo scaturiens in Puteum vulgarem Fratrum Claustralium, sacra vere dicenda, quam Orion inducta longiore serenitate Puteo

INVIDIT

Inuidiæ crimen efficit, vt inuidus etiam contra naturæ suæ conditionem operetur, dummodo noceat illis, quibus inuidet; ita sane natura sua Nimbosus Orion, ob inuidiam Puteo nimbos pluuiarum diutissime negauit. Quocirca Puteus penuriam aquæ suæ refert in crimen inuidiæ, qua sidus Orionis inducta nimia siccitate, ventorumque vi delatis alio nubibus imbrem afferre valentibus, per totum autumnum, integramque penitus hiemem, aquam Cœnobio salutarem atque necessariam in sufficiente quantitate negauerit. Quam quidem tempestatem diuturnę siccitatis, autumnum vniuersum, & hiemem totam occupantis, mire miserque mortales, adeoque Cœnobitas excruciantis, facile potuit Orion aduehere, vbi cunctis astris proprijs fulgenti nimium luce coruscauerit, qua vapores omnes e terræ circumfuso liquore, nubes imbre grauidas effecturos, exsiccauerit; & exhalationes aridas de terra sustulerit in altum; indeque ventos Aquilonares, plusquam nimium vrentes, & arefacientes concitauerit. Audit autem Orion ab omnibus inuidus, dirus, malignus, noxius, ferus, truculentus, iugula, sæuus, & improbus; vt non immerito Puteus, ab illo

ta-

tabefactus, & arefactus absque culpa, & contra temporis autumnalis & hiberni rationem (etenim hiemis est humida conditio, pluuijs abundans) Orionem insimulet inuidiæ culpa, cum sensu quodam amaritudinis, & indignationis dolens atque conquerens. Inuidum autem, & infaustum, prauumque nimis esse sidus Orionis, apparet euidenter ex eius Asterismi configuratione; quæ sic a Germanico Cæsare describitur in Commentarijs ad Arati Phænomena: *Orion, qui & Incola dicitur, ante Tauri vestigia fulget: & dicitur Orion ab Vrina, idest ab inundantia aquarum. Tempore enim hiemis habet ortum, quum mare, & terras aquis, & tempestatibus turbat. Nunc Romani Iugulam vocant, & quod sit armatus vt gladius, stellarum luce terribilis, & clarissimus. Qui si fulget, serenitatem portendit; si obscuratur, tempestatem innuit imminere.* & mox: *Habet autem stellas in capite claras tres, & quibus media est splendidior ceteris: in singulis humeris singulas claras: in dextro cubito obscuram vnam: in eadem manu vnam: in Zona tres: in gladio, quem tenet in manu, tres: in singulis genibus singulas: in mantili tres. Sunt omnes septemdecim: & decem ex his obscuriores.* Vocatur autem Orion Incola, quia plusculos dies insumit in ortu, & in occasu proprio, propter asterismi sui magnitudinem, vt ait *m* Aristoteles, quasi non moueatur in hemisphærio, sed ipsum incolat. Verum hoc de sæuitia Orionis, quod antea Germanicus, attulit etiam Hyginus, *n* & alij quicumque magis præcipuas Orionis stellas considerarunt. Quin & Iosephus *o* Scaliger obseruat, Orionis constellationem obtinere partes decem & septem secundum latitudinem, secundum longitudinem vero partes triginta. Manilius *p* autem in Astronomico suo, tribuit Orioni, stellas inter allatas septemdecim actuosas maxime, cunctarum principalissimas octo, dum ait:

*Orionis asperimus dirus.*

*Orion quandoque serenitatem, & quandoque tempestatem portendit.*

*Incola cur dictus Orion.*

*m* 2. mete. su. 2. c. 2.

*n* lib. 3.

*o* in not. ad Manil. l. 1.

*Orionis magnitudo.*

*p* lib. 1.

Cer-

„ Cernere vicinum licet Geminis Oriona
„ In magnam cæli tendentem brachia partem,
„ Nec minus extento surgentem ad sidera passu:
„ Singula fulgentes humeros cui lumina signant,
„ Et tribus obliquus demissus ducitur Ensis.
„ Ad caput Orion, excelso immensus Olympo,
„ Per tria subductus signatur lumina vultus:
„ Non quod clara minus, sed quod magis alta recedant.
„ Hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.

Clauius q autem in Orionis asterismo stellas enumerat octo supra triginta: quod adnotauit etiam Philaltheus inquiens: r *Orion comprehendit astra triginta octo: duo primæ, quatuor secundæ, octo tertiæ, quindecim quartæ, tria quintæ, quinque sextæ* magnitudinis, *vna nebulosa*. Quorum numerorum quilibet infaustus quum sit natura sua, demonstrat Orionis asterismum esse malignum & inuidum. Enimvero numerorum octauum Bongus agens de Mystica Numerorum significatione scribit Vulcano dicatum esse, nimirum ignium Deo, claudo, & terribilia fulmina Iouis fabricanti. Quamobrem octo stellæ præcipuæ, fulgentes in Orionis imagine, siccitatem igneam designant viuentibus omnibus infestissimam; quod vita maxime nitatur humido, sicut edocet s Aristoteles. Decimus septimus etiam numerus eidem Bongo semper malus obseruatur, priscis Theologis, vt latissime confirmat, semper inuisus: ait enim, *Quin & Aegyptij decima septima die mensis Nouembris (qui ab illis Athyr dicitur) Osiridem interijsse fabulantur*. Et quum Osiridem aquam esse significent omnem; Orionis astra septemdecim illustriora, quando maxime micauerint, aduehere siccitatem nimiam indicare voluerunt: de qua conqueritur Poetæ nostri Fraterculus, exiccatum puteum Orionis inuidia clamitans. Idque speciatim signarunt decima se-

q in 1. sph. sacrob.

r 2. cæl. p. 390. *Orionis astra quot.*

s de long. & br. vi. c. 3.

ptima Nouembris die, quæ cum proximis affligitur infaustis exortibus Orionis. Ariditatem autem aquarum vni mortalium maxme semper oderunt Aegyptij, quibus omne bonum in exundatione magna Nili consistit; Mærent enim parum exundante Nilo, gestiunt atque tripudiant illo campos & regionem omnem late supergrediente. Trigesimus etiam numerus partium in Orionis longitudine spectatus, nihilominus infaustus est, noxiamque siccitatem designans; etenim vel obseruatu Bongi, triginta numerantur maledictiones Dei contra eos, quicumque non obseruauerint præcepta Domini, sed abundauerint in peccatis; inter quas maledictiones habetur ariditas terræ, pluuiarum, & aquarum noxia penuria; legitur enim t ibi contra peccatorem; *sit cælum, quod supra te est, aneum; & terra, quam calcas, ferrea: Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem: & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris*. Et Dauid aduersus Iudam, qui triginta u denarijs Dominum prodidit, absumens Iusti sanguinem, triginta maledictiones imprecatur: vt etiam in Iudæos, qui triginta denarijs emerunt effundendum sanguinem Domini. Quin & autore Bongo, *Inest Tricenario proprietas alia: nam luctui dicatus habetur: Aaron Sacerdotem fato functum planxit Israel x humi prostratus triginta diebus: Atque eius sororem Mariam finientem dies suos, fleuit omnis populus totidem diebus lacrymis continenter manantibus. Sed & Moysem Dei amicissimum luxit vniuersa gens, lacrymis deflens per mensem y integrum, accedentibus ad publicum luctum priuatis affectibus*. Feralem esse tricenarium numerum, illud etiam ostendit, quod argentei triginta, quibus ille proditor Dominum vendiderat, a Iudæis in corbonam missi, non fuere, quod pretium sanguinis esset, verum eis emerunt agrum z figuli in sepulturam peregrinorum. Polydoro quoque a Virgilio,

t Deut. 28.
u Psal. 108.
x Num. 20.
y Deut. 34.
z Matt. 27.
a 6. de rer. inu. c. 9.

Apud

Apud Anglos luctus mortuorum triginta diebus finitur. Quin & in historia sacra, captiuæ mulieres antequam nuberentur victoribus, lugebant parentes suos per mensem; legimus enim: b *Si exieris ad bellum, & videris mulierem decora facie, & concupieris eam; rades omnes pilos capitis eius, & pilos abscindes, & indues vestimento lugubri; & sedebit lugens patrem & matrem suam; & post triginta dies erit vxor tua.* Lugubris itaque quum sit, & maledictiones continens, feralisque numerus trigenarius; optimo iure Poeta noster accusat Orionis asterismum inuidiæ crimine, qui triginta partibus in longitudine constitutus, luctuosam attulit Fratribus Dominicanis olim Putei claustralis ariditatem, septemdecim astris feralibus interempto illorum Osiri mystico. Consimiliter asserendum est de numero trigesimo octauo cunctorum siderum Orionis, asserente Bongo: *Numerus trigesimus octauus imperfectam & languidam charitatem erga Deum & Homines ostendit, infirmamque fidem: vnde paralyticus* c *triginta octo annos ad piscinam sedebat. At vero quomodo præsens numerus ad languorem magis spectet, quam ad sanitatem, accurate Aurelius Augustinus Tractatu decimo septimo in Ioannem.* Sapienter itaque Poeta noster Orionem taxauit inuidiæ, qui triginta octo stellis coagmentatus est, quibus agit in humanum genus; cui dum fulget, ariditate nocet; dum turbidus est, aquarum inundatione nimia magis officit: imperfectam semper & languidam, vel potius nullam charitatem erga mortales ostendens. Verum in Puteo nostro siccitatem noxiam efficiens intempestiua serenitate totius autumni simul & hiemis Cœnobitis *inuidit sacrum* aquarum laticem, cuius vsus quotidianus plurimus necessarius est in Cœnobio tum ad abluendas centum Cœnobitarum manus, ora, pedesque: tum ad potum illorum: tum ad panificium: tum ad elixanda quampluri-

b Deut. 21.

c Ioan. 5.

ma nutrimentorum genera : tum ad eluenda vasa compluria : tum ad emundandas albas omnium religiosorum vestes in fullonum eluacro cisternæ proximo ; tum ad id generis alios vsus : Merito queritur ergo Puteus, quod Orion sibi *sacrum inuidit*

OSIRIM

Osiris autem nomine licet aqua Nili vulgo significetur ; attamen sapientiores Aegyptij nomen Osiridis ad omnem penitus aquam trāstulerunt; vt admonet Plutarchus in opere suo *De Iside & Osiride* scribens : *Sed sacerdotum sapientiores non Nilum duntaxat Osiridis, mare Typhonis nomine accipiunt: sed Osiridem in vniuersum censent omne principium facultate humectandi præditum; vt pote caussam ortus & substantiæ seminis: & Typhonem omne siccum igneum, & quicquid denique exsiccandi vim habens aduersum est humori. Ideo rufum & subpallidum fuisse Typhonem censentes, non admodum libenter compellant qui tali colore sunt homines, ingrataque ipsis horum est consuetudo. Osirim autem nigro colore fuisse fabulantur, quia aqua omnem terram, omnem vestem, & nubes etiam nigras reddit admista.* & mox : *Existimant* d *Homerum etiam vt Thaletem ab Aegyptijs doctum, principium & ortum omnium rerum posuisse aquam: esse enim Oceanum Osirim, Thetyn Isim, quæ omnia enutriat, atque educat. Etenim Græci seminis emissionem Apusiam, & coitum Synusiam vocant : & filium Hyen ab aqua & pluuia, hydor, & hyin. Et Bacchum Hyen appellant, vt humidæ Dominus naturæ : Qui sane non est alius ab Osiride; quippe Hellanius Hysirin pro Osiride ponit*. Ex quibus apparet, non solum Oceanum, quem Osiridis nomine vocabant Aegyptij veteres, esse quamlibet aquam, sed speciatim pluuiā; de qua sub Oceani nomine locutus est e Aristoteles inquiens :
„ Manente autem terra, quod circa ipsam est humidum, a
„ radijs, & ab alia, quæ desuper est, caliditate, euaporans,

fer-

*Osiris aquā omnem significat.*

d Iliad. ξ. v. 246.

*Bacchus humidæ naturæ dominus*

e 1. meteo. su. 3. c. 1.

fertur sursum. Quum autem caliditas, quæ duxit ipsum „ sursum, dereliquit: & illa quidem disperditur ad superio- „ rem locum: hæc autem & extinguitur, propterea quod „ suspenditur longius in aerem, qui est super terram: co- „ gitur iterum vapor infrigidatus, & propter derelictio- „ nem caloris, & propter locum; & fit aqua ex aere; fa- „ cta autem iterum fertur ad terram. Est autem quæ qui- „ dem ex aqua exhalatio, Vapor: quæ autem ex aere in „ aquam, Nubes: Caligo autem, Nebulæ decidentia eius, „ quæ in aquam, concretionis: Quapropter signum ma- „ gis est serenitatis, quam aquarum, est enim Caligo, ve- „ luti Nebula sterilis. Fit autem circulus iste imitans Solis „ circulum: simul enim ille ad latera permutatur, & iste sur- „ sum & deorsum. Oportet autem intelligere hunc veluti „ fluuium, fluere circulariter sursum & deorsum, commu- „ nem aeris & aquæ; prope enim existente Sole, vaporis „ sursum fluit fluuius; quum autem elongatur, aquæ deor- „ sum: & hoc perenne vult fieri, secundum ordinem. Qua- „ re si obscure dicebant Oceanum Priores, forte vtique „ hunc fluuium dicebant circulariter fluentem circa ter- „ ram. Quum autem eleuatur humidum semper propter „ calidi virtutem, & iterum fertur deorsum propter infri- „ gidationem ad terram, proprie nomina passionibus im- „ ponuntur, & quibusdam differentijs ipsarum; quum enim „ secundum modica feratur, Guttæ; quum autem secun- „ dum maiores partes, Pluuia vocatur. Sic ergo quam Pluuiam obscure vocabant Oceanum Antiqui, pariter & Aegyptij sapientiores (vti Plutarchus ait) Osirim, eandem in obscurissimo suo poematio nuncupat Osirim Poeta noster. Constat igitur, Osiridis nomine Puteum, Cisternamque Neapolitani Cœnobij Dominicanorum, sub persona Tertiarij Fraterculi, dolentis aqua se carere, propter inuidiam Orionis, qui nimbos pluuiæ negans,

&

& alio ferens excitatis auersis ventis, Osirim sacrum sibi denegauit, intellexisse pluuiam aquam, quæ immediate per impluuium Cœnobij, tectique stillicidia, tubulosque parietum, in caueam Putei cisternæ descendere solita sit: quum Puteus ille non e terra sibi liquorem hauriat per abditos terræ cuniculos, ad instar fontis aquæ viuæ surgentis e solo: sed e cælo per compluuium imbres descendentes accipians, Cisterna proprie sit, adeoque locus, in quem descendit aqua pluuia per canaliculos arte sub stillicidijs tecti positos ad imbrem suscipiendum; nam vt ait Vlpianus, Cisterna non habet aquam viuam de terra surgentem, sed pluuiam de cęlo recipit. Quam sententiam explicationis allatæ de Osiri pro pluuia, & aqua generatim vndecumque accedente ad fontes, & ad puteos, qui sunt fontes quidam operti, non obscure nobis insinuatam legimus apud Diodorum asserentem, Osirim ad omnes mundi fontes peruenisse, his plane verbis, *f Haud vero inscius sum, a nonnullis scriptoribus tradi, horum Deorum sepulchra in Nysa Arabia sita; a qua Nysaeum Bacchum appellant: Esse autem vtrique dicatam Columnam sacris sculptam literis tradunt; inque Columna Isidis hac scripta esse:*

ff. de Fonte

f lib. 1. c. 2.

„ Ego Isis sum Aegypti regina, a Mercurio erudita. Quæ
„ ego legibus statui, nullus soluere poterit. Ego sum vxor
„ Osiridis. Ego sum prima frugum inuentrix. Ego sum
„ Ori regis mater. Ego sum in astro Canis refulgens. Mi-
„ hi Bubastia vrbs condita. Gaude gaude Aegypte, qui
„ me nutristi. *In Columna Osiridis hac scripta dicuntur:* Mi-
„ hi pater Saturnus Deorum omnium vltimus. Sum vero
„ Osiris rex, qui vniuersum peragraui orbem vsque ad de-
„ sertos Indorum fines. Ad eos quoque profectus sum,
„ qui Arcto subiacent, vsque ad Histri fontes. Et iterum
„ alias quoque Orbis adij vsque ad mare Oceanum par-
„ tes. Sum autem Saturni filius grandissimus, germen ex
pul-

pulchro & generoso ortum: cui non semen genus fuit. „
Neque vllus est in orbe, ad quem non accesserim locus, „
docens omnes ea quorum inuentor fui. *Hæc tantum in Columnis legi posse affirmant, alia (quæ plurima sunt) tempore esse corrupta.* Ex quibus aperte constat, Osirim esse aquam, quæ per omnes mundi plagas pluit, vsque ad mare; quod & pluuiæ pariter atque flumina desinant esse, vbi fluxerint in mare, quod est Typho interfector Orionis: & aqua quum Aegyptijs primum corpus sit, adeoque simplex elementum; prius quidquam non habet, ex quo tanquam ex semine producatur. Dicitur autem Saturni filius grandissimus; quia Saturnus est symbolum Temporis; aqua vero putatur ab initio temporis fluxisse in mundo: fluuios enim defluere fecit Deus e g Paradiso terrestri statim post primorum dierum constitutionem. Flumina vero pluuijs augeri, & siccitatibus aeris imminui, nemo non nouit: Quis etiam non videt, ad pluuiarum penuriam, & abundantiam, cisternarum puteos depleri, atque depleri? Quis non agnoscit item ad fluuiorum incrementum, & decrementum notabile, sensibiliter augeri, decrescereque vulgarium Puteorum aquas? id ego certe quotannis experior in meo puteo domi. Nec abest aperta ratio, quia fodientes puteum nouum, aquam non inueniunt prius quam peruenerint ad planum propinqui fluminis; quin & ad regionem eo plano decliuiorem; quoniam ab alueo fluuij per latentes omnino spongiosæ terræ cuniculos, veluti per occultas venas, aqua delabitur assidue fluens in caueam putei. Sic ergo Puteus, siue fons opertus ille sit, siue Cisterna, sub persona Tertiarij Dominicani, per aridum autumnum & siccam hiemem sequentem exsiccatus, culpam suæ siccitatis aridæ reijcit in inuidam naturam Orionis, qui semper eo tempore lucidissimus & oriens & occidens,

*Explicatio columnæ Osiridis.*

g Gen. 2.

dens,

dens, intempestiua serenitate sicca sibi negauerit Osirim Deo sacrum, impediens arefactis nubibus, aut excitatione ventorum Aquilonarium depulsis alio procul, ne pluuiæ descendant in solum Neapolitanum, vel paucas admodum, niuesve conglacians in Cœnobij tecto; propterea que prohibens ne ferri valeant aquæ per parietum tubulos, aut alios quosque meatus abditos in caueam Putei, ad quotidianum vsum Cœnobitarum Deo seruientium. Ceterum eo magis inuehitur contra malignam & inuidam naturam Orionis Puteus in persona Fraterculi, Cœnobitæve generatim, quo statim obseruat Orionem semper esse maleficum, nunquam omnino tenere modum salutarem; quia si dum clarus est, serenitate sicca nocet; dum obscuratur, aquarum inundantia necat; etenim

IMBRE TVLIT MVNDI CORPORA MERSA FRETO.

Refundit hic autor in Orionis asterismum vniuersalis diluuij causam effectricem immediatam sensibilem; quum causa præcipua Deus ipse fuerit, vsus Orionis malignitate, veluti ministra Diuinæ Iustitiæ scelerum vindicis in hoc mundo, sicut vtitur in alio seculo ministerio Dæmonis ad impios puniendos non solum, sed ad purgandos etiam & bonos, & leuiore culpa maculatos: Diluuium autem, quod hic insinuat versiculus est de quo sacra pagina, patefactura sensum allati carminis, ita loquitur: *h Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra; & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra: & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui, a facie terræ: ab homine vsque ad animantia, a reptili vsque ad volucres cæli: Pœnitet enim me fecisse eos*. & mox: *i Quumque transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno*

h Gen. 6.

i c. 7.

*sex-*

*sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis; rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* (& paulo post,) *Aquæ præualuerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quam volucres cæli: & deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca.* Hæc diuina scriptura: ex quibus apparet, Diluuij aquas maxime fuisse pluuias quadraginta dierum, & quadraginta noctium, incæpisse die decimo septimo mensis secundi anni sexcentesimi vitæ Noe, pluuias effundi de cæli cataractis apertis: Porro communiter Hebræi (quibus hac in re subscribunt Oleaster, Lyranus, Tostatus, & alij referente k Pererio) sentiunt diluuium incæpisse autumnali tempore, mense Nouembris, cuius dies decima septima famosa est Ortu Orionis septemdecim astris præcipue nimbosis, vbi liuet, infamis. Vt non ab re diluuium retulerit autor iste poematis huius in Inuidum Oriona, qui

k lib. 12. in Gen. c. 6. disp. 2.

IMBRE

Apertis cataractis cæli ad assiduas pluuias quadraginta dierum, & quadragincta noctium cataclysmum induxit. Non meminit autem poeta rupturæ fontium abyssi magnæ, de qua Moyses, vel quia voluerit aduersus Orionem Imbriferum indignatus eum solum arguere ac infamare tantæ cladis autorem: vel potius quia significare voluerit inundationis illius maiorem partem habuisse

Q plu-

pluuias, quam aqua fontium exuberans; multoque plures aquas de cælo pluisse quadraginta dierum, & quadraginta noctium duratione, proindeque toto fere bimestri partem autumni, cadentis, & hiemis insurgentis, quod tempus est Orionis ortu & occasu famosum, quam de terræ fontibus erupisse, cuius eruptioni non assignatur a Mose spacium quadraginta dierum, & quadraginta noctium, vt pluuijs. Vel forte quia per abyssi magnæ fontes autor iste non intellexerit fontes, in quos terminatur aquarum fluxus de subterraneo barathro: sed abyssum aquarum in cęlo degentium innuerit, cuius fontes appellauerit vel astra nimbosa, vel nubes apertas; vt additio illa Mosaica, *& cataracta cæli apertæ sunt*, sit veluti declaratio proximæ dictæ sententiæ, *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*. Nam & ipse Psaltes Abysso cataractas attribuit, inquiens: *l Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum: omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*. Censuit igitur autor abyssum magnam, cuius omnes fontes rupti sunt in diluuio, nihil aliud esse quam aut magnum asterismum Orionis imbriferi, cuius fontes omnes ruptos arbitratus est esse stellas illius, quæ cataractæ cæli astriferi apertæ dicuntur; aut amplam illam mediam regionem aeris, cuius fontes omnes ruptos opinatus est esse nubes in ea maxime ab Orione nimboso coactas, quæ cataractæ cæli aerei vocantur, vt volucres cæli quoque nuncupantur: nam duplex est expositio cataractarum istarum cæli apertarum in diluuio; altera quidem asserentium hic a Mose tractari de disruptione cæli astriferi; altera vero de scissura nubium in aereo cælo. De prima Pererius ita: *m* Non defuerunt aliqui, tum recentiorum, tum veterum, qui putauerint & scriptis prodiderint, Mosem hic loqui de cælo astrifero, & de aquis quæ super firmamentum sunt, quas aiunt aperto illo cælo,

l Ps. 41.

m l. 12. in Gen. c. 7 disp. 5. nu. 23. & seqq.

lo, veluti per fistulas, siue fenestras in eo factas ad efficiendum diluuium fuisse in terram profusas: Audi Eugubinum nostri sæculi scriptorem: n *Verisimile est, diluuij tempore cælum multis locis patuisse, aquarumque vasta flumina inde maximo fragore delapsa esse. Inter aquas enim positum esse firmamentum, traditur in sacris literis, in quibus etiam super cælestes aquæ celebrantur. Quum igitur etiam supra cælum sint aquæ, quæ a nonnullis cælum crystallinum vocantur, has credendum est patefacto cælo horribiliter erupisse, breuique totum orbem inundasse; nam his quoque aquis erat opus ad efficiendum generale diluuium. Alioqui si imbribus tantum* (subcælestibus) *res acta esset, non modo quadraginta dierum & noctium pluuia, sed nec quadraginta quidem annorum tanto diluuio efficiendo satis fuisset.* Sic Eugubinus, cui assensus quoque Oleaster; o *Non aliter possum*, inquit, *quam vt litera habet, intelligere.* Supponit enim veras & elementares aquas super firmamentum esse, vt tam Basilius, quam Chrysostomus sentiunt. Non igitur mirum, si Deus fenestras in firmamento ruperit, vt aquæ illæ descenderent: neque ego hic locum esse metaphoris puto. Quare taxandi sunt, qui potius volunt sacram scripturam Philosophiæ legibus subdere, quam (vt magis decet) Philosophiam, tanquam ancillam, illi deseruire. Tostatus quoque, qui superiore sæculo floruit, hanc ipsam opinionem tribuit cuidam doctori solemni: nam explanans verba illa Mosis: *Cataractæ cæli apertæ sunt. Quidam*, inquit, *doctor solemnis dixit, quod cælum stellarum, & omnes superiores orbes aperti sunt, & magna pars aquarum supercælestium, idest crystallinarum, decidit in terram, vnde factum sit diluuium.* & mox, p Ceterum longe antiquiorem fuisse illam sententiam, ex eo liquet, quod eius meminit Beda scribens, quibusdam esse visum, aquas supra cælum ad eum finem & vsum

n in ann. in Gen.

o in 7. c. Gen.

p l. de nat. rer.

„ fuisse a Deo positas, vt earum immensa copia e cęlis prę-
„ cipitata in terras generale totius orbis diluuium, quod
„ aliquando Dei voluntate ac decreto erat futurum, effici
possset. Sed forte doctor ille solemnis a Tostato citatus
Beda fuit ob reuerentiam suppresso nomine illius, cui
contradicit. Hanc opinionem secutus Epigrammatis autor, existimauit aperturas illas cataractarum cæli, ruptionesque fontium abyssi magnæ supercælestis, factas fuisse in Orionis maxima constellatione, quæ raptu primi mobilis quotidie super terram circumacta, per totos quadraginta dies, autumni & hiemis segmenta coniuncta continentes, vniuersale diluuium attulerit imbre copiosissimo: semper enim fere Deus mirabilia solet edere ministerio congruentium causarum secundarum; adeoque verisimile censuit vsum fuisse Nimbifero Orione ad cataclysmum. De secunda vero sententia, quæ probatur

n. 16. „ magis ab eodem Pererio dicente, Mosem, quum dixit,
„ apertas esse fenestras cæli, vsum esse sermone metapho-
„ rico & hyperbolico, minime dubitandum est: neque enim
„ vllæ sunt in cælo vel sidereo, vel aereo fenestræ, quæ
„ aperiri, & claudi possint. Sed Moses ita loquens, haud
„ dubie accommodauit orationem ad communem sensum
„ & opinionem hominum imaginantium & existimantium
„ in cælo, siue in superis aereis regionibus, immensam
„ aquarum vim contineri; quam Deus quando vult, &
„ quantum vult, vel emittit, vel retinet; nimiaque reten-
„ tione earum, terras siccitate: contra vero nimia profu-
„ sione, diluuio vastat, ac perdit. Hoc ipsum spectans Iob,

q cap. 12. & 26. q de Deo dicit: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram.* Quem sane locum respexit autor iste noster, dum Oriona nimbiferum Dei ministrum nunc ponit ligatis aquis in Puteo sicci-

cita-

citatem induxisse; at olim dimissis in orbem vniuersale diluuium immisisse. Subdit autem illico Pererius. Quo fit, vt, quum magna est imbrium penuria, dicatur cælum esse clausum: rursus, quum redditur imbrium abundantia, dicatur esse apertum. Et hoc frequens est in sacris literis. & mox. Similiter intellexit hunc locum Chrysostomus: *Vide*, inquit, *quanta orationis temperatione vtitur hic diuina scriptura. Omnia enim iuxta consuetudinem humanam loquitur: non quod cataractæ & fenestræ sint in cælo; sed quasi diceret, Præcepit tantum Dominus, & statim aquarum natura mandata Conditoris obediuit, & vt confluxit, totum orbem inundauit.* Similiter scribit Rupertus: *Quod ait: cataractæ cæli apertæ sunt: accipiendæ sunt* (inquit Rupertus) *per hyperbolem, & sic esse dictum ad insinuandam inundationis magnitudinem; quæ tanta fuit, vt firmamentum inter aquas cælestes & terrestres a Deo positum, dissipatum esse videretur secundum vulgi opinionem. Dicimus quidem cataractas cæli, occultas esse vias, per quas de cælo vtique aereo pluuia descendit. Verum hoc dicendo vulgi magis more, quam scripturarum sensu loquimur. Neque enim solidum quid, aut durum est cælum, vt rectæ possit intelligi fenestris in modum parietis intercisum, quibus apertis aquæ fundantur deorsum, quæ eisdem clausis continebantur sursum.* Sic Rupertus. Cuius opinioni si consensisse dicamus Autorem ænigmatis: Næ censuit ille, fenestras & cataractas cæli, quæ clausæ Puteo siccitatem intulerunt, & apertæ diluuium mundo, fuisse nubes in aere sub Orionis asterismo nimboso, malefica vi constellationis illius tum coactas pulsasve alio, tum apertas atque diruptas: vt nimbifer ille, qui prius infesta luce nimia siccauit aquas Putei, multo prius turbida luce maximo imbre terram inundauerit. TVLIT

Nempe nimbifer Orion, vindex ille scelerum, atque di-

uinæ iustitiæ minister, vniuersalis Iudicij tempore de terra sustulit, siue de viuentium numero, deque mundo mortalium submersorum corpora; *Tulit* enim pro *sustulit* apposuit ad obscuritatem Epigrammatis autor ænigmatici. Quin hoc verbo Virgilius non semel vsus est in hoc sensu; dicit enim r primum:

r ecl. 4.

„ Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
„ Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Vbi Scholiastes Ascensius, *O parue puer incipe cognoscere matrem risu, scilicet mutuo, dum tu illi, & illa tibi ridet; nam quum incassum loquatur, mater infanti ridet: quod autem rideat docet, quia decem menses tulerunt, idest cito abstulerunt matri longa fastidia, idest, vt dicunt, nauseam & ægritudinem animi omnia fastidientis præ tædio*. Mancinus ibidem: *Tulerint: abstulerint, si riseris; nam vita longioris omen esset*. Ac inferius etiam ſ Maro canit de mortuo Daphni:

ſ ecl. 5.

„ Tu decus omne tuis: Postquam te fata tulerunt,
„ Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.

Vbi Ascensius: *Es tu tuis, scilicet amicis, & notis, ac subditis, omne decus, idest ornamentum: probat, quia postquam fata tulerunt, idest abstulerunt te: idest postquam mors abstulit nobis te*. Verum enim *fero* quandoque significat *aufero*, sic idem t Virgilius:

t ecl. 9.

„ Omnia fert ætas; animum quoque:

Vbi Scholiastes idem: *Quod ergo medium vitæ transgressus est Mœris, dicit,* Omnia fert, *hoc est secum fert; & ita, quia vita me deserit, aufert mihi omnia commoda iuuentæ, & animum: in quem tamen mirum est, quomodo tempus habeat imperium; nisi quia organis pellucet; & secundum eorum dispositionem, aut prospicit, aut caligat*. & mox: *Omnia fert ætas: non enim eos, vt cantilenam recitat; sed interceptus obliuioni, docet se non amplius posse, dicens: quod ætas, idest longæuitas vitæ fert, supple, secum; hoc est aufert nobis omnia, scilicet*

cet

*cet iuuentæ bona : quoque , ideſt , etiam animum , ideſt memoriam,& mentem ipſam, nedum corporalia*. Sic ergo nimbifer Orion diluuij tempore imbre tulit, hoc eſt abſtulit e viuentium numero, ſuſtulitque de terra, cunctas animantes & homines fere. Niſi quoque velimus, Orionem imbre tuliſſe, hoc eſt ſuper aquas detuliſſe temere natantia cadauera mortalium; quæ belle nuncupat autor iſte Mundi corpora, vt mox apparebit.

MVNDI

Poteſt iſta vox, *Mundi*, coniungi tum cum ſuperioribus, tum cum inferioribus: ſi quidem applicetur ſuperioribus, erit conſtructio verſus eiuſmodi: *Imbre mundi tulit corpora merſa freto*: per imbrem mundi ſignificat Poeta pluuias vniuerſalis diluuij, quæ per bimeſtre fere, ſuper vniuerſum orbem terrarum defluxere, miniſterio malefici præſertim Orionis, cuius maximus aſteriſmus circumductus raptu primi mobilis ſuper totum mundum habitatum ab hominibus atque beſtijs, pluuias effuderit in vniuerſam terram: etenim Orion in hemiſphærium, cui præſens erat, pluuias de cælo per cataractas abyſſi magnæ ſupercæleſtis apertas effudiſſe creditus eſt a Poeta noſtro: ſed in hemiſphærium, a quo abeſt Orion, exiſtimatus eſt imbrem aereum intuliſſe vi ventorum ab ſe turbido concitatorum eo nubibus imbriferis impulſis. At vero ſi particula *Mundi* cum inferioribus coniungatur, legendum erit,

MVNDI CORPORA

Scilicet hominum impiorum corpora; nam quum illi ſceleſti nihil omnino ſpiritus haberent ingenui, ſed omnino demerſi corporeis voluptatibus vitam agerent, obliti diuinorum mandatorum, atque vitæ ſpiritualis; vt in ſacra pagina nuncupantur nomine corporeo carnis, atque terræ: u *Quumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis* u Gen. 6.

*quip-*

*quippe caro corruperat viam suam super terram)* ***dixit ad Noe:*** *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum: & ego disperdam eos cum terra:* dedignatos eos appellare homines, ad imaginem & similitudinem Dei factos, qui spiritus est. Ita Poeta noster in scrupo scelestos homines illos vniuersali diluuio necatos dedignatus homines appellare, vocat *Corpora Mundi*, secutus D. Augustini sensum, qui scripsit: x *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est non aduersus homines, quos videtis: sed aduersus principes & potestates & rectores mundi tenebrarum harum: Ne forte, quum dixisset, Mundi, intelligeres dæmones esse rectores cæli & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum: mundi dixit, de quo in Euangelio dicit, Et mundus eum non cognouit.* Non aliter Poeta noster impios diluuio necatos appellat *Mundi corpora*; namque iustos e submersione diluuij seruauit incolumes Deus in arca, nimirum Noe cum vniuersa familia sua: quod apparet e sacra pagina, vbi legimus: y *Delebo (inquit* Dominus*) hominem, quem creaui, a facie terræ, ab homine vsque ad animantia, a reptili vsque ad volucres cæli; pœnitet enim me fecisse eos. Noe vero inuenit gratiam coram Deo: Hæ sunt generationes Noe. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.* & mox: *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum; & vniuersa, quæ in terra sunt, consumentur. Ponamque fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui; vxor tua & vxores filiorum tecum.* & postea: z *Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Itaque diluuio, non

x in Ps. 54.

y Gen. 6.

z cap. 6. 7.

non iusti, sed impij, proindeque *corpora mundi* periere

MERSA FRETO

*Mersa* quidem, quod nullo mortis alio genere perierunt, quam submersionis, atque suffocationis: *Freto* vero; quoniam etsi diluuium effecerit imber de cælo delapsus; quia tamen ea natura maris est, vt obliteret nomen omnium aquarum in se cadentium; etenim & ingentia flumina mare fiunt, in ipsum prolapsa; nec in eo naturam pristini fluminis, aut nomen amplius retinent; quod insinuarunt Aegyptij dicentes Osiridem interfectum a Typhone fuisse, per Typhonem indicantes mare, atque per Osiridem Nilum, qui defluit in mare, vbi desinit esse Nilus; quod antea nos docuit [a] Plutarchus: Cui putamus adijciendum, ideo Nilum a Typhone discerptum in plura membra dici, quæ omnia comperta fuerint ab Iside, præter membrum genitale; quia Nilus non vnico ostio delabitur in mare; sed in septem partes diuisus, per ostia septem ab inuicem longe distantia; & quia Nili aqua vbi mari permista fuerit, fecunditatem amittit, vna cum nomine; mare siquidem terram fecunditate priuat. Sic & imber in mare delapsus, imber esse desinit, & in maris naturam corrumpitur. Id indicare volens Poeta noster, ait de Nimbifero Orione, quod tempore diluuij vniuersalis, *Imbre tulit mundi corpora mersa freto*. Statim autem, post primum distichon, in tertij versiculi fronte, duas istas Inuidia Orionis inuectas calamitates in homines comparans Poeta subiungit:

[a] de Isid. & Osir.

INVIDA DIRA MINVS PATIMVR

Tertiarius Fraterculus in persona Putei, Cenobitarumque, siue mauis Puteus nomine suo pariter & Fratrum, quibus inseruit aquas necessarias exhibens ad vsus domesticos, vtcumque consolatione quapiam se reficit; quia quum solatium sit miseris socios habere pœnarum,

vt ait ille; immo vero quum augeatur consolatio, quando propria calamitas minor est, quam aliena: pulchre b Lucretius ad hoc fere propositum,

b lib. 2.

„ Suaue, mari magno turbantibus æquora ventis,
„ E terra magnum alterius spectare laborem:
„ Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas,
„ Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.
„ Suaue etiam belli certamina magna tueri
„ Per campos instructa, tua sine parte pericli.

Profecto, Cœnobita dicit, si nostram aquarum putealium penuriam, ab inuida constellatione Orionis, nimium effulgente, profectam conferamus cum antiqui diluuij pluuijs immensis, ab eodem Orione summe turbido ac inuido profusis; gaudente de seueritate Diuinæ Iustitiæ in homines, cuius ipse minister erat: certe nos patimur, inquit inuida malignæ constellationis euenta, sed minus dira quam olim perpessi fuerint mortales homines in cataclysmo; tum quod illi mortem omnes aquis demersi violentam omnes obierunt; nos autem in ariditate viuimus; etsi vitam incommodam, & grauem degimus in aquarum extrema penuria: tum quod illi veteres euitandæ submersionis omnino nullum remedium habuerunt; vnde coacti fuerunt atroci morte sub aquis interire, post multas vndarum, atque turbinum ferocientium iactationes: Nos autem Cœnobitæ, si sufficientem aquam habere non valemus ad vitæ commoda, quantulamcumque tamen habemus, & alicunde nobis comparare, conquirereque possumus ad incommodæ vitæ qualecumque subsidium, siue glaciem, niuemque dissoluentes ignibus in Cœnobio, siue laticem aquarum e longinquo magnis laboribus petentes, ac ad Cœnobium comportantes,

PATIMVR

Recte numero multitudinis de Orionis inuidia conqueritur,

ritur, siue Fraterculus, siue Puteus; ille quidem, quia siccitate cisternæ simul secum angebantur omnes alij Cœnobitæ, non habentes aquam ad sua commoda, necessariosque vsus expetitam; iste vero, quia tali tempestate plusquam nimium arida, secum vna ceteræ cisternæ ciuitatis, quin & puteorum aquæ viuæ de terra surgentis cauitates, & fluuiorum regionis Neapolitanæ sedes perpessæ sunt extremam aquarum penuriam, exsiccatæ prorsus & arefactæ; nam vbi longiore serenitate de cælo non pluit, exiccantur & arescunt nedum cisternæ, sed fluuij penitus omnes, pariter & aperti fontes, & operti Putei, ad quos e fluminibus aridis per cæcos terræ cuniculos aqua latenter non defluit in ea fulgidioris Orionis tempestate. Quod apparet e sacro textu, dum scribitur: c *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta verbum oris mei.* & mox: *Post dies autem aliquot siccatus est torrens; non enim pluerat super terram.* Et infra: *Post dies multos verbum Domini factum est ad Eliam in anno tertio dicens; Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ: Erit autem fames vehemens in Samaria.* & paulo post: *Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & cunctas valles, si forte inuenire possimus herbam, & saluare equos, & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Vnde plane constat, cessasse pluere per tres annos & amplius, indeque siccatos fuisse fluuios, fontes, atque puteos omnes, maxime vero cisternas, quæ pluuijs de cælo replentur immediate; verum etiam puteos, de terra deorsum aquam viuam sibi passim haurientes, pluuijs augeri, siccitatibus imminui, late superius ostendimus, dum explicaremus particulam *Osirim*. Verum enimvero quia non solum natura duce fugimus omnia noxia; & quia nitimur in vetitum semper, cupimusque negata; quod id

c 3. Reg. 17

d cap. 18.

R 2 vi-

videatur afficere libertati arbitrij, quam neque Deus cogere vult, sed nobis inuiolabilem concessit, inuiolatamque semper conseruauit; propterea Puteus, & Fraterculus hortatur se, singulumque Cœnobitarum ad euitandum hoc infortunium ab inuido Orione promoueri solitum, subnectens immediate,

——————— FVSAMQVE SVB AXE

PROGENIEM CAVEAS, TROIVGENAMQVE TRVCEM.

Cauendum his esse monet Oriona maleficum; quem graphice quidem, sed ænigmatice describit epitheto duplici; primo nominans eum Progeniem sub axe fusam; quoniam asterismus Orionis plurimas obtinet in se stellas, & maximus est inter omnes alias constellationes cælestes; etenim occupat amplissimam cæli regionem suis astris; quare scite dicitur siderum progenies diffusa sub axe, dispersaque per firmamentum sub primo mobili. De qua re clare Manilius in Astronomico e suo,

e l. 1.

„ Adspice nunc etiam in Solis fulgentia cursus,
„ Quæ super exustas labuntur sidera terras,
„ Quæque intra gelidum Capricorni sidus & axem
„ Imo subnixum vertuntur lumina mundo.
„ Cernere vicinum Geminis licet Oriona
„ In magnam cæli tendentem brachia partem:
„ Nec minus extento surgentem ad sidera passu.
„ Singula fulgentes humeros cui lumina signant,
„ Et tribus obliquis demissus ducitur ensis.
„ Et caput Orion excelso immensus Olympo
„ Per tria subductos signatur lumina vultus:
„ Non quod clara minus, sed quod magis alta recedunt.
„ Hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.

Quin & alibi Manilius ait, obseruatu f Philalthei,
„ Maximus Orion magnum compleuit Olympum.
Quumque notatu Clauij, g triginta octo stellis, ab inui-

f 2. cęl. pag. 39.
g in cap. 1. l. hęr. sacr.

nicem non parum distantibus, adeoque per magnum cæli spatium dispersis, Orionis imago constituatur, optime describitur Orion a Poeta nostro per propria fere, dum eum appellat *Progeniem sub axe fusam*. Quod etiam indicat Aristoteles, asserens Orionem, propter asterismi sui magnitudinem, habere sui ortum & occasum extensum ad plures dies, quam aliæ constellationes; ait enim: [h] *Incertus autem & molestus Orion esse videtur, & occumbens, & oriens; quia in transmutatione temporis accidit occasus, & ortus, æstate, aut hieme; & propter magnitudinem astri, dierum fit aliqua pluralitas.* Quam quidem pluralitatem dierum ortus & occasus Orionis, tam æstate, quam hieme, sic ex Ptolemæo determinat Michael Angelus Blondus in suis tabulis annuis anticipationis stellarum fixarum dicens. *Iunij die quarta, Humeri Orionis apparent, astri Martialis & Mercurialis; & est initium æstatis: Die septima similiter apparent humeri Orionis: Die octaua Orion oritur itidem: Die duodecima renascitur Orion: Die decima sexta Orion oritur: Die decima nona in aurora nascitur Canis & Zona Orionis: Die vigesima quarta Orion oritur, & Ciconia apparet: Die vigesima nona totus Orion apparet. Iulij die secunda totus Orion etiam oritur mane: Die nona totus Orion etiam apparet: Die vigesima octaua medium Orionis absconditur.* Isti sunt ortus & occasus Orionis æstate; sed hieme sunt alij, quos idem autor affert, inquiens: *Octobris die sexta Orion foras exit: Die vigesima prima Orion cum Aquila in totum occidunt: Nouembris die tertia Vergiliæ cum Orione occidunt mane: Die octaua nascitur Orion cum Fidicula: Die vigesima occidit Orion: Die vigesima prima summo mane Orion occidit. Ianuarij die vigesima sexta cingulum Orionis exoritur.* Vere scribit igitur Aristoteles Orionem propter asterismi sui magnitudinem æstate, ac hieme suos ortus & occasus habere in pluralitate dierum.

[h] 2. meteo. su. 2. c. 2.

rum.

rum. Congruenter autem maxima hæc imago tributa fuit Orioni, qui collocandus erat in cælo a Gentilitate; quia Gigas corpore maximo non debuerat paucioribus astris exiguam cæli partem occupare: magnitudinem autem Orionis giganteam habemus a Plinio dicente: *i In Creta terræ motu rupto monte, inuentum est corpus statura quadraginta sex cubitorum, quod alij Orionis, alij Oti fuisse arbitrantur*. Sic ergo constellatio magna Orionis apte describitur a Poeta dicente illam esse siderum *progeniem fusam*

i l.76.c.16.

SVB AXE

Nempe sub cæli fornice; nam Axis nomine Poeta significat vniuersum cælum, potissimumque primum mobile, siue totum hemisphærium, in quo locatus est Orion; quod etiam præstitisse videtur Lucanus, dum agens de vento Euro, cecinit *k*

k l.4.

„ Ille suo nubes quascumque inuenit in axe,
„ Torsit in Occiduum Nabathæis flatibus orbem.

PROGENIEM

Multitudo stirpis, atque generis, progenies est: quæ pariter in Orione spectatur æthereo, atque terreno; in illo quidem mystica progenies habetur triginta octo stellarum, in Orionis asterismo veluti natarum, satarumve sub axe primi mobilis: in isto vero physica progenies ponitur a Gentilitate Orion trium Deorum Iouis, Neptuni, & Apollinis, siue Mercurij, qui tres immissos semine in pellem bouis, aut in vterum Coloniæ, vxoris Hyriei sterilis, ex illa genuerunt Orionem; vt ex Euphorione, ac Isacio notauit Comes *l* Mythologus; non aliter ac ex omnium Procorum semine Penelopen concepisse, peperisseque Pana semiferum asserunt Duris Samius, in libro, quem scripsit de *m* Agathocle, notatu Comitis eiusdem.

l lib.8.c.13

m l.5.c.6.

CAVEAS

Optimo iure cauendum esse constellationem Orionis admonet Poeta, tum quia maxima plurimis astris fęta, magnam cæli partem occupans validam efficaciam habet in hæc inferiora: tum quia dirum experiuntur omnes Orionem atque maleficum; semper enim ortu pariter, & occasu suo, tam æstiuo, quam hiemali, molestus est Orion, vt notauit Aristoteles; quod ex numero quoque dierum eius ortibus & occasibus assignatorum colligere licet; etenim hiemales dies occupant numero septem; videlicet duos Octobris, quatuor Nouembris, & vnum Ianuarij: Qui quidem numerus obseruatu Bongi sterilis est, & ideo Palladi consignatur; & ad omnium numerorum, qui continentur intra denarium, solus neque gignitur, neque gignit alium numerum. Quin & Caimum Deus viuere voluit ad septimam *n* vsque generationem profugum, miserum, omnibus inuisum, & calamitatibus vndique conflictatum, in pœnam fratricidij. Septenarius, inquit Bongus perpetuam & insolubilem dicit vltionem: vnde septem nouissimæ plagæ in *o* Apocal. punitionem perfectam indicant: quoniam in illis, ait Beda, consummata est ira Dei: nouissimas dixit, quia semper ira Dei populum percutit contumacem septem plagis: Deuter. *p* scriptum est, *Septem diebus comedes afflictionis panem*. Et Ecclesi. *q Super peccatores septuplum*: & in Leuit. *r* dicit Dominus, *Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum, propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ*. & mox: *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me; addam plagas vestras vsque in septuplum, propter peccata vestra*. & paulo post; *Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed & ambulaueritis ex aduerso mihi: ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducam*.

*n* Gen. 4.
*o* c. 15.
*p* c. 16.
*q* c. 40.
*r* c. 26.

*eamque super vos gladium vltorem fœderis mei*. & adhuc infra: *sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: & ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra*. Et alia multa similia refert Bongus e sacra pagina; quibus apertissime constat, vltorem Deum septenario numero de peccatis pœnas sumere. Sic Orionis septenario dierum ortus & occasus æstiui numero malefico metuens ob peccata puniri Fraterculus acerbius quam hiemali siccitate præterita, cauendum esse monet Oriona, confugiendumque tandem ad preces, quibus Deus placetur, quod mox efficit. Sed & numerum vndecimum dierum, ortibus, & occasibus Orionis hiemalibus assignatorum, infaustum esse docet idem Bongus inquiens: *Vndenarius numerus nullam habet cum diuinis, neque cum cælestibus communionem, nec attactum, nec scalam ad supera tendentem, nec vllum meritum: Primus enim transgreditur denarium, significans illos qui transgrediuntur decalogum mandatorum*. &c. Diuus etiam Augustinus ait: *ſ Denarius Iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. t Porro peccatum est legis transgressio: & vtique transgressio denarij congruenter in Vndenario figuratur. Vnde & vela cilicina iubentur in tabernaculo vndecim fieri*. Quis autem dubitet ad peccati significationem pertinere cilicium. Alibi etiam septenarij & vndenarij perscrutatus naturam, hæc infert: *u Non frustra, nec temere Dominus septuagesima septima generatione venit abolituros omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationem pertinet omnium peccatorum: & hoc Vndenario, & Septenario considerandum est; qui numeri per se multiplicati ad tantum perueniunt; nam vndecies septem, & septies vndecim sunt septuaginta septem: vndecimus autem numerus transgressionem significat*. Deinde subdit: *Manifestum, quod transgres-*

ſ 1. de con. cor. Euāg. c. 4.
t 15. de ciu. c. 20.
u 1. Quæst. Euang. c. 6.

*gressio denarij peccatum*, &c. Quare sapienter Cœnobita monet cauendum esse peccatum, & vltoris Dei flagellum, dum Orionem septem diebus hiemalibus, & vndecim æstiuis ortus, & occasus habentem nos cauere monet. Addit autem de hoc vndenario numero Bongus: *Liquet vero vndenarium numerum, apud Arithmeticos, inter primos & incompositos locum possidere, qui veluti paupertate inopes, ac nimis oppressi, nullam aliam partem habent, nisi eam, quæ a tota numeri quantitate denominata est, vt ipsa pars non sit nisi vnitas. Quare vndenarius mystico sensu vitia designat: Quod adeo conuenit cum Theologis, vt nec quidquam simile dici possit magis. Illud itidem ad huius numeri naturam considerandam referri potest, quod antiquis Gentilium sacerdotum ritibus reconditum, hoc dierum numero Vmbras errare, ac silicernio pasci: Quo sane tempore Dijs Superis haud sacrificabant, nec accendebantur ignes: Nobiles autem seipsos non ornabant, & nuptæ a viris suis secubabant. Huius ritus meminit Ouidius:* x

*Vndenarij numeri mala.*

*x 2. de Fastis.*

„ Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
„ Aufer: habent aliud mœsta sepulchra faces.
„ Dij quoque templorum foribus cælentur opertis,
„ Thure vacent Aræ, stentque sine igne foci.
„ Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
„ Errant, nunc posito pascitur vmbra cibo.
„ Non tamen hoc vltra quam quod de mense supersunt
„ Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
„ Nunc quia iusta ferunt dixere feralia lucem.
„ Victima placandis manibus illa dies.

Carmina vero Nasonis ista, ex hexametro & pentametro constituta, pedes habent vndecim. *Illud denique mirum, quod vndenarius numerus ita videtur natura vndique imperfectus, vt in vndecima numerorum linea, siue sede vnitatis, nullum perfectum numerum inuenias; quum id fere in*

*alijs contingat. Id autem singulos numeros recensentibus, qui vndecim notis constant, perspicuum erit; & a nobis quoque clarius explicabitur, quum ad vigesimum octauum numerum perfectum deuenerimus. Quam ob causam fortasse nothis hic numerus attributus videri potest, quum & numerus, & ipsi nothi sint in omnes partes imperfecti; existimantur enim, qui ex illegitimo concubitu nascuntur, ad honorum gradus inhabiles*, &c. Quare numerus iste designat Orionis imperfectionem, quem spurium natum fuisse, mox apparebit, & indigetat ipse Poeta Troiugenam illum appellans. At vero si numeros istos omnes ortuum, & occasuum tam æstiuorum, quam hiemalium coniungamus in vnum, iam coalescent in numerum decimum octauum, qui nihilominus infestus, atque cauendus est; quum eius partes, vndecim, & septem eiusmodi sint; adnotante Bongo: *Habet numerus decimus octauus in sacris literis sua mysteria: Duodeuiginti, qui oppressi sunt in Siloe, vniuersos prænunciant Iudæos, qui pœnitentiam agere noluerunt, cum ipsis suis mœnibus interituros; quod hinc maxime damnatione digni sint, quia Seruatoris Christi nomen, quod audierant, spernere, quam audire maluerunt. Octodecim enim apud Græcos notis, ijsdem scribitur, quibus incipit* ΙΗΣΟΥΣ: *Quare subdit oraculum*, y *Si non egeritis pœnitentiam, omnes peribitis*, &c. Quocirca merito Poeta noster inspiciens hos ortus, & occasus omnes Orionis, omniquaque malos & infaustos, admonet vt eos caueamus; proindeque sidere signatum. Agnoscens autem aliter caueri non posse sidus infaustum, nisi penitius agnoscatur, aliud attributum affert, quo magis nobis indicet Orionem inter alias constellationes, nunquam antea proprio nomine, peculiarique signo descriptum, addens:

*Cur nothis numerus vndenarius tribuatur.*

*Numerus decimus octauus infestus.*

y Luc. 13.

TROIVGENAMQVE

Nimirum, quia sunt in cælo, præter Orionem, aliæ quoque

que magnæ constellationes, vti fluuius, habens triginta quatuor astra: Nauis, quam efformant quadraginta quinque sidera; & Centaurus, triginta septem stellis designatus; propterea non sat habens Poeta, denotasse sidus Orionis a magnitudine grandi, proprie, magisque peculiari quodam attributo signat eundem Orionem, denominans ipsum *Troiugenam*; quoniam Orion dicitur ab antiquis filius tum Hyrici, qui fuit oriundus e Troia Phrygiæ: tum Iouis, Neptuni, & Apollinis, qui Troiæ muros ædificarunt. Orionis autem originem ita Natalis attulit: *Orion ille, qui vt traditum est in fabulis, fuit inter sidera collocatus, Hyrieo Neptuni filio & Alcyone natus fuisse dicitur; de quo scriptum est ab Euphorione his verbis* (e Græco sic in Latinum idioma fideliter a Mythologo translatis) *Hyrieus Neptuni & Alcyones filius (quæ vna fuit e filiabus Atlantis) aliquando in Tanagra ciuitate Bœotiæ habitauit: Quum vero benignus esset aduersus hospites, Dij quoque dicuntur in eius hospitium accessisse. Iupiter autem, & Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractati; eiusque benignitate delectati proposuerunt, vt quodcumque liberet, peteret. Hic quum adhuc esset sine filijs, filium poposcit. Tum vero Dij pellem mactati bouis capientes, in ipsam semen profuderunt* (sua lingua sic Euphorion, ἀπεσπερμήναι εἰς αὐτὴν) *iusseruntque illam sub terram occultare; neque ante decimum mensem aperire. Quibus mensibus peractis, natus est Vrion; qui ita vocatus est, quod eum quasi minxissent Dei: At vero propter deuitandam turpitudinem vocis postea dictus fuit Orion. Hæc ab Euphorione. Neque enim, vt quidam arbitrati sunt, dicitur ex Vrina, sed e spermate natus fuisse. Quum vero e semine trium Deorum natus dicatur, filium Lycophron Tripatorem ita vocauit.* — a l. 8. c. 13.

στεφηφόνον βοῦν δεινὸς ἄρταμος δράκων
ῥαίσει τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος. hoc est.

,, Bouem coronatum grauis coquus draco
,, Cedet Tripatoris ense Candaonis.

*Fuit enim Candaon primum apud Bœotios, postea Orion vocatus. Isacius non Mercurium, sed Apollinem vna cum duobus Orionis patribus connumerauit. Atque Colonia fuit vxor Hyriei, cui pellis illa seruanda data fuit. Scriptum reliquit Dorion in libro de Piscibus, Orionem fuisse Neptuni & Brylles Minois filiæ; Qua sententia fuit etiam Hesiodi. Pherecydes Neptuni & Euryales filium inquit, vt ait Apollodorus in libro primo Bibliothecæ.* Sic ergo fuit Orion, ex communi veterum omnium sententia Nepos, & filius Neptuni; siquidem qui tres illos Deos patres cum habuisse referunt, Neptuni potius, quam Iouis, aut Mercurij filium appellarint, ob Hyriei consanguinei cognationem cum Neptuno, cuius filius extitit. Et Poeta noster Iacij sententiam secutus esse videtur, qui pro Mercurio sumpsit Apollinem in patrem tertium Orionis; dum ipsum denominauit *Troiugenam*; quod genus duceret a Dijs, qui Troiæ muros ædificarunt; quos fabulantur fuisse Neptunum & Apollinem iussione Iouis; vt ait a Mithologus; qui, *Aedificauit mœnia Troiana Neptunus, qui hac de causa Laomedonti Troianorum regi seruiuisse dicitur. Quum Iouem ligare Dij voluerint, id Iupiter cognouit e Thetide: ac in ceteros quidem Deos animaduertit, & Neptuno, atque Apollini iussit vt Laomedonti seruirent, dum Troiam ædificaret.* Quo respiciens Poeta descripsit Oriona Troiugenam, quem nouerat in fabulis audire filium Iouis Neptuni & Apollinis: Qui tres Dij Troiugenæ nuncupari possunt, quod muros Troiæ condiderint, Iupiter quidem imperio iubens illos ædificari; Neptunus autem & Apollo ministerio, iussioni Iouis obtemperantes, ac in pœnam delicti, Troiæ mœnia construentes: Et sane quemadmodum non semel Virgilius b Troiam denominat Neptuniam,

a l. 2. c. 8.

b 2. & 3. Æn.

niam, quia muris a Neptuno cincta, sic iste Poeta Troiugenam cognominat Orionem, qui duxit ortum a Dijs, qui Troiam muris muniuerunt. Verum & alia quoque ratione Troiugenam Oriona nuncupatum dicere possumus, nimirum ab Hyrieo patre, seu putatiuo, seu legali, cui tres illi Dij dederunt in filium Orionem; siquidem Hyrieus Bœotus erat; Bœotij vero populi sunt e Troia oriundi; propterea que Troiugenæ; quoniam, vt obseruat ex *c* Thucidide Carolus Stephanus in historico, & geographico suo, *Bæotij populi sunt, qui anno sexagesimo post captam Troiam ex Arua electi*, seu potius *eiecti a Thessalis, incoluerunt terram, quæ nunc Bæotia prius Cadmea vocabatur*. Arua vero fuit, eodem Stephano ex historijs Curtij *d* notante, opidum Asiæ circa mare Caspium: qùum Troiæ nomen fuerit nedum proprium ciuitatis Ilij, sed commune toti regioni Minoris Asiæ, in qua fuit Arua; & Ilium sibi nomen vniuersę regionis asciuit, quod in ea dominaretur alijs vrbibus, & opidis. Vnde Troiugenæ fuerunt non solum ducentes originem ex vrbe Priami, sed etiam quicumque genus habuerunt ex Arua, & alio quouis opido minoris Asiæ, quæ Troiæ regionis nomen habuit. Quum igitur Orion dicatur filius Hyriei Bœotij; & omnes Bœotij, quia venerunt ex Arua Troiæ regionis opido, apte Troiugenæ dicantur; propterea Poeta noster in æno rectissime Troiugenam dixit Oriona: Quin & alio nomine Bœotus Orion audire Troiugena potuit in ænigmatico pęgnio, quia Bœotij primum fuere Leleges, & Hyantes; de quibus ita Strabo: *e Bæotiam initio barbari tenuerunt Aones, & Themmices, a Sunijs euagati, & Leleges, ac Hyantes. Deinde cum Cadmo e Phœnicia profecti Phœnices occuparunt. Et Cadmus munita muris Cadmeia regnum posteris reliquit. Hi Thebas adiecerunt Cadmeia ab se conditas, ac plerisque Bæotis imperantes, regnum*

*c* lib. 1.

*d* lib. 5.

*Troia nomẽ vrbis, & regionis.*

*e* lib. 9.

*gnum vsque ad Epigonorum bellum propagarunt.* Consimiliter Solinus ait, f *Bœotij idem sunt, qui Leleges fuerunt.* Leleges autem Troiugenas e Troiæ regione postea g Strabo dicit aduersum Græcos militasse sub Hectore. De Hyantibus etiam infit antea h Strabo: *De Peloponneso Hecatæus Milesius tradit, eam ante Græcos fuisse habitatam a barbaris. Et quidem fere tota Græcia antiquitus barbarorum fuisse sedes, quod ex his ratiocinari licet, quæ memoriæ prodita sunt. Nam & Pelops e Phrygia secum adduxit populum in denominatam ab ipso Peloponnesum: & Danaus ex Aegypto, & Dryopes, Caucones, Pelasgi, Leleges, alijque eorum similes intra Isthmum sita obtinuerunt: Quinimmo & ea, quæ sunt extra Isthmum: Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo venerant, possederunt: Daulidem Phocidis Tereus: Cadmeiam Phœnices Cadmi comites: ipsamque Bœotiam Aones, Tembices, atque Hyantes, vt ait Pindarus*

f cap. 12.
g lib. 13.
h lib. 7.

„ Tempus erat, porcos (Hyas) quum dicerent
„ Gentem Bœotiam.

Quum itaque Leleges, atque Tembices, qui Bœotiam tenuere, Phryges extiterint, e regione Troia oriundi, vt adnotat etiam C. Stephanus; iam in ænigmate solerter Oriona Bœotium appellauit Cœnobita Troiugenam. Verumenimvero mihi nunc in mentem venit, illos tres Deos in pellem mactati, seu mactatæ bouis immisisse semen, vnde natus Orion, quem seruandum ad decem menses dederint Coloniæ, vxori Hyriei sterilis, in animum inquam mihi subit, Hyrieum benignum erga suos illos hospites adeo fuisse, vt illis vxorem propriam communicauerit, quasi Seleucus alter Antioco filio priuigno Stratonicen vxorem suam, vt ait in Demetrij vita Plutarchus; Coloniamque coniugem supposuerit ad prolem suscipiendam e diuino semine. Ad hoc aperte comprobandum euidentissime facit a Iosepho recensitum

l.18.c.24.

fa-

facinus in Antiquitatibus Iudaicis, dum ait: *Erat Romæ Paulina, mulier non minus probitate morum quam natalium claritate illustris, ad hæc opulenta, & formosa vt quæ esset in ipso ætatis flore, sed in primis ornata pudicitia. Nupta autem erat Saturnino, viro tali coniuge dignissimo. Huius amore captus est Decius Mundus iuuenis non obscurus in equestri ordine: & quia maior erat femina quam quæ posset corrumpi muneribus, eo magis accendebatur amantis insania, ita vt offerret ei pro vnica nocte ducenta drachmarum millia. ac ne sic quidem valens eam flectere, non ferens amoris impotentiam, decreuit morbum simul & vitam finire inedia. Hoc eius propositum non fefellit Iden libertam Mundi paternam; varijs instructam, sed non probatis artibus; quæ indigne ferens obstinationem iuuenis, blanda oratione conuentum animare conata est, spem ei faciens effecturam se vt potiatur Paulinæ complexibus. Quumque ille preces eius libenter acciperet, ait sibi opus quinquaginta tantum drachmarum millibus ad expugnandam mulieris pudicitiam. Ita refocillato iuuene, & accepta quantam petierat pecunia, nouam doli viam ingressa est, videns Paulinam non capi pecunijs. Sciens porro eam vehementer addictam Isidis cultui, tale quiddam comminiscitur; Conuentis aliquot ex eius sacerdotibus, accepta fide silentij, & quod efficacissimum est, ostentato præmio, in præsens viginti quinque millibus, & alteris totidem post nauatam operam, indicat eis amorem iuuenis, rogans vt omnibus modis adniterentur eum reddere voti compotem. Illi auri cupidine tacti, benigne sunt polliciti: quorum natu maximus propere se ad Paulinam contulit, & admissus impetratoque absque arbitris colloquio, venire se ait missum ab Anubide, capto ipsius forma, & iubente vt ad se veniat. Illa libenti animo accepit nuncium: moxque iactabat se apud familiariter notas mulieres, quod dignata sit amore Anubidis: marito quoque indicat, conditam sibi cœnam & cubile Anu-*

*bidis. Id eo facilius concessum est, quod cognita & probata esset viro pudicitia coniugis. Itaque in templum proficiscitur, & post cœnam instante somni tempore inclusa per sacerdotem, tenebris conciliantibus in latentem ibi Mundum incidit: totamque eam noctem obsecuta est iuueni, Deo se gratificari existimans. Eo deinde abeunte prius quam sacerdotes doli conscij surgerent, Paulina mane ad maritum reuersa congressum cum Anubide prædicat, & idem apud amicas quoque magnificis verbis exaggerat. Illis nec credere libebat rei naturam considerantibus, non mirari tamen non poterant ob insignem mulieris pudicitiam. Die deinde post rem patratam tertia Mundus adamatæ forte fortuna obuius, O factum bene Paulina, inquit, quod & ducenta illa millia mihi seruasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti. Nihil enim mea refert quod Mundum contempsisti, quandoquidem prætextu Anubidis optata voluptate expletus sum: atque his dictis abijt. At mulier tum primum deprehenso flagitio, vestem sibi lacerat, & re tota ad maritum delata, obsecrat ne tam insigne ludibrium impunitum sinat; maritus porro Imperatori totum significat. Tiberius postquam accuratissima inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, vnaque Iden inuentricem huius sceleris, cuius præcipua opera fuit in corrumpenda pudicitia mulieris: dirutoque templo statuam Isidis iussit mergi in Tyberim. Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus est, crimen eius in Cupidinis impotentiam referens. Et Isiacorum quidem facinus huiusmodi extitit.* Qua ergo ratione Saturninus vxorem Paulinam pudicissimam passus est Anubidi deo supponi sub prætextu religionis, nihil inde sibi detrimenti metuens in honore; iam & Hyrieus propriam vxorem substernere Ioui, Neptuno, Mercurioque, siue Apollini, quos Deos venerabatur, opprobrium sibi non iudicauit, sed e contra decus, vnde prolem diui-

nam

nam Orionis adipisceretur ipse sua natura sterilis? Sicut etiam olim Thespius rex Bœotiæ pariter Herculi hospiti suas filias quinquaginta supposuit viro diuino, fortissimoque, vt ex eo diuinos fortesque nepotes plurimos acciperet, vt obseruat Mythologus: *i* Qui mos itidem in Iani vrbe prouinciæ Caraiani visus est a Marco Polo scribente: *k Gentes huius prouinciæ non reputant sibi factam iniuriam, si quis eorum coniugem subagitet; dummodo non sit contra voluntatem mulieris*. Et in prouincia Chamulij gentes esse similiter hospitales asserit: *l Et si quis aduena pergit ad illorum hospitia, valde lætantur: & imperant serio proprijs vxoribus, filiabus, sororibus, & alijs affinibus, vt obtemperent integre votis omnibus hospitum; & ipsi discedentes e domo rura petunt, & inde mittunt omnia necessaria suis hospitibus; nec vnquam domum redeunt ante discessum hospitum. Hospites autem cubant vna cum illorum vxoribus, filiabus, & alijs, inde sumentes omne genus voluptatis, perinde ac essent ipsorum propriæ vxores. Et isti populi reputant hoc esse sibi magno honori, & ornamento, & admodum gratum suis Idolis, adeo bene tractare viatores recreationis indigas*. Nec ab his moribus abesse Babyloniæ ciues asserit Q. Curtius: *Nihil*, inquit, *m Vrbis eius corruptius moribus, nec ad irritandas, illiciendasq. immodicas voluptates instructius. Liberos, coniugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitij detur, parentes maritique patiuntur*. Ita bonus hospes, perinde ac alter Bœotus ille Thespius, fuit Hyrieus, tribus illis Dijs coniugem supponens ad prolem, sibi negatam a natura, suscipiendam. Pellisque mactatæ bouis fuit vterus Coloniæ coniugis; quæ vacca, bosque dicitur a marito sterili Dijs illis hospitibus consecrata, post nonum mensem ex hospitum semine peperit Oriona; siquidem, vt ait in Hieroglyphicis Valerianus, *n Inuenies & pro meretrice pelles positas Leuitici 15. Vestem, & pellem,*

*i* lib. 7. c. 1.

*k* l. 2. c. 39.

*l* l. 1. c. 37.

*m* lib. 5.

*n* lib. 34.

*quam habuerit, lauabit aqua: quem locum citat Hierosolymitanus Hesychius, sententiæ huius interpres. Iam & apud Romanos meretrices Scorta dicuntur, a scorteis pellibus, quibus pro strato vtebantur.* Ceterum turpitudinem facti Gentiles illi fabuloso commento tegere voluerunt; atque prostitutam vxorem ab Hyrieo Dijs hospitibus, bouē dixere mactatam ab Hospite Dijs, qui prolem se Hyrieo sterili cupienti darent, hosq. effudisse semen, alij tectius atque verecundius imminxisse dicunt in pellem mactatę bouis; quum pellis nomine veteribus appellaretur muliebre pudendum, & scrotum; vnde scortum dicta femina, quæ prostituitur alienis a viro suo. Sic ergo Colonia coniux Hyriei ex Deorum hospitum semine peperit viro suo Spurium Oriona. Verum enim vero si liceat mythologiam afferre physicam occultiorem, cultioremque; dicemus hac fabula mystice signari naturalem hominis generationem: Hyrieus enim pater est, sua simplici natura sterilis; quia de se nihil ex vxore sua procreare potest, nisi beneficio, & actione trium vel quatuor Deorum, Iouis, Apollinis, Neptuni, ac Mercurij: Iouis quidem, quia nisi Deus vt prima causa, primumque mouens concurrat cum Hyrieo, patreque causa secunda, nihil vnquam ab ista secunda causa produci poterit; sic o Aristoteles ait tum, *vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum; illud enim mouet vltimum; sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc; vt baculus non mouebit non mouente homine:* tum alibi: p *Reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem:* quod multo prius asseruerat, aiens: q *Manifestum est igitur quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentium autem, & multa eorum, quæ ipsa seipsa mouent, corrumpantur, alia vero insuper generentur: & hoc quidem immobile*

*Explicatio fabulæ Orionis physiologice.*

*Orionis pater vt Iupiter.*

o 8. phys. t. 33.

p 2. de gen. t. 59

q 8. phys.

*exi-*

*existens hoc mouet, alterum autem hoc; at nihilominus aliquid esse, quod continet; & hoc praeter vnumquodque esse id, quod est causa vt alia quidem sint, alia vero non, & continuae mutationis: & hoc quidem his, haec autem alijs causa motus sint.* Et alio loco clarissime (r de sententia s Fernelij) *Et homo hominem generat: praeter haec item cuncta mouens, tanquam omnium primum.* Quo nomine cum Homero Iouem atque Deorum summum appellat hominum t patrem atque Deorum his plane verbis: *Filiorum autem imperium est regium; quod enim genuit, quodque per amicitiam praeest, & per aetatem, id ipsum est idem, quod species quaedam regij imperij. Ideo bene Homerus de Ioue inquit: hominum Pater, atque Deorum:* ne multa congeram huc alia, de proposito relata nuper in opere nostro De Pietate Aristotelis erga Deum & Homines: illud sat erit, quod attulit ex Platone, ac Aristotele D. Thomas inquiens: x *Necesse est dicere, omne ens, quod quocunque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est, quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter conuenit, sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra, y quum de Diuina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum esse per se subsistens. z Et iterum ostensum est, quod esse subsistens non potest esse nisi vnum; sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi vna; quum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quod omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur, quod omnia, quae diuersificantur secundum diuersam participationem essendi, vt sint perfectius, vel minus perfecte, causari ab vno primo ente, quod perfectissime est. Vnde & Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere vnitatem. Et Aristoteles dicit in a 2. metaphysicorum, quod id, quod est maxime ens, & maxime verum, est causa omnis entis, & omnis veri; sicut id, quod maxime calidum est, est cau-*

r 12. meta. t. 24.
s 1. de abd. rer. caus.
t 1. polit. c. 8.
u l. 1. c. 3.
x 1. p. q. 44. a. 1. C.
y Qu. 3. art. 4.
z Q. 11. 2. 3. & 4.
a 2. meta. t. 4.

*sa omnis caliditatis*. Itaque Iupiter, adeoque Deus, vt primũ ens, ac prima causa, recte potuit poni Pater Orionis, concurrens actiue ad illius generationem, cuius virtus actiua designata fuit a Poetis per semen immissum in pellem bouis, hoc est in vterum Coloniæ matris Orionis, & vxoris Hyriei. Verum quoniam præter primi mouentis Iouis actiuitatem in hominis generatione speciatim, vt & aliarum quarumcumque rerum nostratium necessario requiritur actio Solis; quemadmodum edocet Aristoteles, tum dicens: *b Homo enim hominem generat, & Sol:* tum asserens: *c Videmus enim quod adueniente Sole generatio est:* tum inquiens, *d Marem namque id animal dicimus, quod in alio gignit; feminam, quod in seipso. Quamobrem in Vniuerso quoque naturam terra, quasi feminam matremque statuunt: Cælum autem & Solem, & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris, patrisque appellant:* tum demum aiens: *e Ratione autem optima tempora omnium, & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. Circuitum appello diem, noctem, mensem, annum, & tempora, quæ ijs describuntur, atque etiam Lunæ traiectiones: sunt enim Lunæ circuitus complementa, & silentia, & interpositorum temporum sectiones: ita enim coit cum Sole: mensis namque communis amborum circuitus est: Luna autem principium est propter Solis societatem, receptumque lucis; fit enim quasi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes*. Quum itaque Sol, qui dicitur ab Aristotele vna cum homine generare hominem, sit apud antiquos idem, quod Apollo; non male constituerunt Orionis alterum patrem Apollinem fuisse. Ceterum eadem ratio de Neptuno recipienda; siquidem Neptunus est Deus humidæ aquoseque naturæ totius, speciatimque maris; cui seminariam inesse virtutem, ob igneæ salsæque substantiæ permistionem censuere veteres; qui

*Vt Apollo.*

b 2. phys. t. 26.

c 2. de gen. t. 58.

d 1. de gen. an. c. 2.

e 4. de gen. an. c. 10.

*Vt Neptunus.*

pro-

propterea tum Venerem finxerunt exortam e spuma maris; quod adnotauit Aristoteles inquiens: f *Nec vero homines antiquos latuisse videtur naturam seminis esse spumosam; Deam enim, quæ rei venereæ præest, ab ea ipsa facultate nominarunt* ἀφροδίτην. Venerem enim ex antiquis poetis refert Mythologus g *natam esse e Cæli genitalibus partibus a Saturno cæsis, & in mare proiectis, sine matre, ex illa spuma scilicet, quæ ex illarum iactu in summa aquæ parte exorta est*. de qua re Tibullus ita: h

f 2. de gen. an. c. 2. f.

g l. 4. c. 13.

h l. 1. eleg.

» Nam satis fuerit quicũque loquax, is sanguine natam,
» Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

Vnde per Neptunum significatur semen, quod vel Aristotele i teste, *spumosum corpus est, naturam humidam & aquosam habens*, cui præficitur Neptunus; proindeque Neptunus nominatur tertius pater Orionis in fabulis, designantibus originem hominis. In quo proposito non sunt omittenda, quæ Pierius in Hieroglyphico de Mari scribit, asserens: k *Quoniam vero mare ipsum in primis salsum est, & sal inde plurimum conficitur, totumque illud elementum si exsiccari posset, in sal abiturum est, Aegyptij ipsum quoque sal ita auersabantur, vt ne pane quidem salito vescerentur: quippe quum viuendi, vt sæpe dictum, puritatem in primis adamarent, id fixum immotumque animo gerebant, vt omnia nequitiæ irritamenta summouerent: itaque sal ipsum summo studio reijciebant, quod meram esse nequitiam intelligebant; quum propter calorem sal irritare libidinem, seminalemque vim expergefacere & acuere feratur: vnde salacitas petulantiæ nomen. Exemplo vero sint ostrea & conchylia in hunc vsum a nepotibus summo studio conquisita. Quin etiam mures abrosos sale prægnantes fieri tradit* l *Aristoteles*: (verba sunt Aristotelis: Sunt qui vehementer confirment mures, si salem lambant, impleri sine coitu.) *ἁλιγενὴς præterea Venus illique salacitatis ergo fanum ad portum maris* aru-

i 2. de gen. an. c. 3.

k l. b. 31.

l 6. hist. c. 27.

*aruspices poni apud veteres iubebant. Et marini Dei omnes lasciuiores fecundioresque ponuntur a poetis: Nimirum & illa cæli virilia Saturni falce recisa, & in mare prolapsa, Venerem gignunt; quippe omnes fructuum vires abscissæ, atque in humores viscerum velut in mare proiectæ, sicut illic Venerem, ita hic libidinem gignunt.* Quum igitur Sol hominem non generet nisi communicata sui virtute prolifica semini virili, calore suo excitata libidine, atque salacitate per seminis abundantiã; propterea cum Apolline post Iouem tertium patrem Orionis, hoc est orientis hominis, dedere prisci Neptunum maris, adeoque seminis prolifici Deum. Immo vero etiam his quartum addidere patrem Mercurium, quo potissimum signatur membrum generationis humanæ, virile membrum; de quo Valerianus idem in hæc verba: m *Artemidorus Oneirocrita scribit, se quoque Cyllenis vidisse Mercurij simulachrum, cuius species non alia erat, quam pudendi virilis effigies: eaque de causa coniectores super sermone differunt, quæ quis per eius partis imaginem somniauerit.* Sed & Pausanias idem confirmat in Eliacis posterioribus, inquiens, n *Cyllenæ duo sunt Deorum delubra, Aesculapij vnum, Veneris alterum. Mercurij quidem signum, quem egregie incolæ eorum finium venerantur, arrecto est super basi fascino.* Scite vero Mercurium mentula signabant, quia sermone blando, & eloquenti pariter, ac fascini visu pelliciunt mulieres ad libidinem; & nisi arrecto, vigenteque pene, cuiusmodi Mercurio dabant olim veteres, proles non generatur. Itaque non ab re poeta noster Orionem filium Hiriei Troiugenam vocat; qui dictus fuit habuisse patres Iouem, Apollinem & Neptunum, quos Troiæ mœnia fabulantur ædificasse; quum & Bœotus esset; Bœoti vero fuerint ex Troia regione oriundi; vt visum est. Qui quidem Orion gigas fuisse perhibetur a Poetis antiquis, ad suas fabulas transfe-

*Vt Mercurius.*

m l. 34.

n l. 6. f.

ferentibus, vt alibi, sic etiam hic, dicta sacræ scripturæ, in qua legerant: *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*: & mox: *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a seculo viri famosi*. Quem locum de more corrumpentes, ex eo sibi confinxerunt fabulam trium Deorum, qui ad Hyriei hospitis vxorem pulchram ingressi, ex ea genuerint Orionem, gigantem potentem, famosum,

Gen. 6.

TRVCEM

Scilicet cauendum esse statuit Poeta noster Orionem, non solum, vt nuper asseruit, quia magnam cæli partem obsidens, multis astris præditam, magnas obtinet vires in hæc inferiora; sed speciatim quia truculentam habet naturam, maleficamque nimis; vnde cognominat Poeta Orionem Trucem, tum quoniam in terris Orion fuit gigas fortissimus, atque truculentus; tum maxime quoniam in cælis eius asterismus inter maleficos est valde trux, quamobrem inspiciens ad Orionis asterismum præcipue Poeta, *trucis* vocabulo signauit eius constellationis atrocem sæuitiam, maleficamque naturam, quam prius notauerat inuidię crimine; quo tum nouissime clarus effulgenti lumine siccitatem in aere diuturniorem autumnali, ac hiemali suo exortu & occasu promouens, & obstinate conseruans, Cœnobitarum Puteum arefecit, & aquarum influxu priuauit: tum olim turbidus pluuiarum ingenitum vbertate nimia continuis duobus fere mensibus vniuersum terrarum orbem submersit. Quam quidem trucem Orionis naturam & Actius Sincerus Sannazarius ille, Poeta Neapolitanus egregie (fortassis id hauriens ex epigrammatis huius ænigmatici versiculis) non ita pridem indicauit Italico suo carmine, pariter ænigmatico, concinens:

Las-

„ Lasso, che in vn momento io sudo, e tremo:
„ E veramente temo d'altro male.
„ Bisogna hauer del sale in questo stato,
„ Perche il comanda il fato, e la fortuna:
„ Non vedete la Luna inneccliſſata?
„ La fiera stella armata d'Orione?
„ Mutata è la stagione, e'l tempo è duro:
„ E già s'attuffa Arturo in mezzo a l'onde:
„ Il Sol, ch'a noi s'asconde ha i raggi spenti,
„ E van per l'aria i venti mormorando:
„ Nè sò pur come, ò quando torni Estate:
„ E le nubi spezzate fan gran suoni:
„ Tanti baleni, e tuoni han l'aria inuolta,
„ Ch'io temo vn'altra volta il mondo pera, &c.

hoc est

„ Miser, vno & eodem momento sudo, tremoque:
„ Atque vere metuo de alio malo.
„ Oportet habere salem in isto statu;
„ Quia id præcipit fatum, & fortuna.
„ Non aspicitis Lunam eclipsatam?
„ Feram stellam armatam Orionis?
„ Mutata est anni tempestas, & tempus est durum:
„ Et iam immergitur Arturus medijs vndis.
„ Sol, qui se nobis abscondit, radios habet extinctos;
„ Et pergunt per aera venti murmurantes.
„ Nec scio quomodo, vel quando redeat æstas.
„ Tot fulgura, & tonitrua aerem inuoluerunt,
„ Vt metuam iterum de mundi pernicie, &c.

Trucem igitur Orionis hunc asterismum in æno suo poeta noster non ob re cauendum esse monet, qui nouerat nos eius malignitatem cauere posse; nam & a Ptolemæo didicerat, quod homo sapiens atque prudens dominabitur astris, quantumlibet maleficis, atque truculentis:

&c

& e sacra pagina nouerat, tum *p* initium sapientiæ esse timorem Domini; tum *q* Iosue non frustra iussisse Soli, ac Lunæ, ne mouerentur, vsque quo victoriam reportaret. Ad quod sane remedium auxilij Diuini confugit in secundo tetrasticho poematij subdens:

*p* psal. 110.
*q* Iosu. 10.

VOCE PRECOR SVPERAS AVRAS, ET LVMINA CÆLO,

Cuius quidem quaternarij sensus geminus est; Poeticus vnus, & alter e Theologia practica desumptus; quam optime callere videtur Poeta Cœnobita; nunc vtrumque seorsum aperiamus, & primo poeticum. Conquestus iam de Nimbiferi Orionis inuidia simul & sæuitia sub persona Cœnobitæ Tertiarij Puteus arefactus hieme siccissima post aridum iridem autumnum, culpa lucidioris Orionis, diuturnam serenitatem producentis, & aridiorum ventorum vi nimbos alio trudentis: nunc vt caueat eius astri truculentiam, se tandem conuertit flexo poplite, manibusque sublatis in cælum, ad opem implorandam; primum quidem preces effundens duobus versiculis prioribus; deinde reliquis duobus postremis afferens modum, quo posset voti fieri compos, & exaudiri.

VOCE PRECOR

Nouerat autor, hominem mortalem ius imperij non habere physice super corpora cælestia: quare confugit ad preces. Poetico sane more Puteus aridus in persona Cœnobitæ famuli ad preces confugit pro impetrandis aquis optatæ pluuiæ; siquidem vbi terra diuturnis ardoribus, ariditatibusque siccata nimium fuerit, aperiri solet, dehiscens nimis, quibus dici consueuit poetice, veluti tot buccis apertis edita voce clamare, atque a cælo desideratos imbres efflagitare: sic in Electis suis Lu. Alemannus, *r*

*r* part. 2.

„ Di souerchio calor la terra pregna,
„ Il Ciel d'intorno di fiammelle armato,

V Chia-

„ Chiaman soccorso al suo noioso stato
„ L'Aura gentil: ma di venir non degna.

hoc est

„ Nimio calore tellus æstuans,
„ Aer ambiens flammulis armatus,
„ Vocant auxiliarem angori suo
„ Auram suauem: sed aduenire non dignatur.

*Oratio vocalis efficatior.*

*Voce* precatur, quia vocalis oratio videtur ad impetrandum optata magis efficax, quam sit illa muta mentalis oratio. Quocirca solum ij, quicumque vocem edere nequeunt, in articulo mortis indulgentiarum participes fiunt ab Ecclesia per gratiam specialem, si nomen salutare IESV corde, hoc est, animo inuocauerint. Immo quia mentalis oratio muta Deum solum habere potest auditorem, exauditoremque, non mouet alios infra Deum, qui solus est *s* scrutator cordium: Creaturas vero, Dei ministras non flectunt nisi vocales preces; quas solas audiunt loquaces orationes, & exaudiunt placatæ. Quare voce precatur

*s* psal. 7.

SVPERAS AVRAS

Precatur voce sua poetice Puteus ventos ab Orione lucido suscitatos, aliorsum nubium imbriferarum agmina pellentes; ne sibi noxij, pluuias omnino trudant, ac inferant alio: Quos quidem ventos, etsi furentes, ac impetuosos, vt demulceat, atque demereatur, appellat *Auras superas*, non autem ventos, neque turbines, flatusve tempestuosos: Ita sane Furias infernales Orpheus precatur demulcens, appellansque *Deas honoratas bene laborantes, splendentes necessitatibus, fortes, sapientiæ virtutis operarias, gratiosas*; qui in Hymno ponit. Aromata suffimentum. Alludere videtur autor hic ad historiam, propositam a Clemente Alexandrino, dum in Stromatibus ait: *t Narrant Græci, quod quum Etesiæ venti aliquando de-*

*Furias cur laudet Orpheus encomijs.*

*t* lib. 6.

*deficerent, Aristæus in Cæo sacrificauit Ioui Isthmio; maxima enim erat calamitas: qui quum ardore omnia conflagrarent, & venti non spirarent, qui solebant fructus refrigerare, eos facile reuocauit. Delphi autem, quum Xerxes bello inuasisset Græciam; dixisset autem Pythia:*

„ Orate, o Delphi, ventos: meliusque se habebit.

*Altari posito, & Ventis facto sacrificio, eos habuere adiutores.* Ita poetice Puteus hic precatur sibi pluuiarum feraces propitias auras superas: hæ vero sunt Australes venti, potissimumque Cęcias appellatus, vt ait *u* Aristoteles, & alij nimbosi plures.

u 2.meteo. su.2.c.2.

ET LVMINA CÆLO

Præter superas, ventorum nempe tempestates pluuiam afferentes; precatur Autor lumina cælestia, quæ ventos & promouere solent, & sedare; legerat enim apud Aristotelem, *x vt mare, & omnem humorum naturam subsistere, mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus; aerem vero, & flatus pro Solis Lunæque circuitu affici; sic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur, sequi necesse est. Nam vt rerum minus principalium circuitus sequantur magis principalium rerum circuitum, ratio est. Vitam enim quandam, & ortum, & interitum vel flatuum esse fatemur.* Quos quidem flatus a Sole maxime promoueri, sedarive ministerio constellationis Orionis, didicerat Autor ab eodem Aristotele, alibi scribente: *y Sol autem & cessare facit, & commouet flatus: debiles enim, & paucas existentes exhalationes extinguit, & ampliori calido illud, quod in exhalatione minus existit, disgregat. Adhuc autem ipsam terram præuenit exsiccans, antequam fumum faciat exustum esse. Propter has igitur causas cessare facit ventos, & a principio fieri prohibet; consumptione quidem cessare faciens, celeritate autem siccitatis fieri prohibens. Quapropter & circa Orionis ortum maxime fit tranquillitas; & vsque ad Etesias, & Prodromos. Vni-*

x 4.de gen. an.c.10.

y 2.meteo. su.2.c.2.

*uersaliter autem fiunt tranquillitates propter duas causas; aut enim propter frigus, quum extinguitur exhalatio, veluti quum fuerit gelu forte; aut quum marcescit a suffocatione. Plurimæ autem & intermedijs temporibus, aut eo quod nondum facta sit exhalatio, aut eo quod iam præteriјt exhalatio, & alia nondum aduenit. Incertus autem & molestus Orion esse videtur & occumbens, & oriens; quia in transmutatione temporis accidit occasus, & ortus, æstate, & hieme; & propter magnitudinem astri, dierum fit aliqua pluralitas; transmutationes autem omnium turbulentæ sunt, propter indeterminationem.* Quare poeta, qui nuperrime precatus est auras superas, nimirum ventos, ne depellant a Putei regione nubes imbriferas, sed ad eam illas aduehant: nunc ventorum excitatiua, & domina sidera cælo lucentia precatur, ne ventos excitent imbrium excussores fugatoresque, neve cessare faciant pluuiarum aduectores, at hos excitent, & adducant.

CRIMINE DEPOSITO

Nimirum astra trucis Orionis, precibus istis emollita & exorata, crimine veteris inuidiæ iam deposito, concedant & auris imbriferis, & pluuiosis nubibus, atque iam tandem aquis ipsis

POSSE PARARE VIAM

Auris quidem superis, hoc est ventis imbriferis, quo portent impellantque nubes aqua turgidas ac veluti prægnantes ad regionem Neapolitanam: nubibus autem pluuiosis, & imbre grauidis, quo pluant imbres in eodem tractu: & aquis etiam tum e nubibus in tectum & impluuium Cœnobij, ac inde per canales parietum in caueam cisternæ, ventremque Putei; tum in terras & in flumina Neapolitana delapsis, quo per occultos & consuetos terræ cuniculos ferantur in Puteum etiam viuum Cœnobitarum, si quis alius apud illos est, præter cisternam.

nam. Modus autem, quo possit cum Puteus aquæ viuæ, tum etiam quoquo pacto cisterna suis hisce potiri votis benignitate siderum placatorum, potissimumque Solis, omnium luminum æthereorum principis, habetur in vltimo poematij disticho his versiculis,

SOL VELVTI IACVLIS ITRVM RADIANTIBVS VNDAS
SI PENETRAT GELIDVS IGNIBVS ARET AQVAS

In quibus obscuritatem facit, & difficilis verborum constructio, & illa vox *itrum*, inusitata, nullibique, præterquam in hoc loco spectata. Nec ab re censeas esse, sicut ait alicubi Cicero, erratum fabrile; cuiusmodi reperitur etiam sphalma Brixiæ in monumento candidi marmoris nonnihil detrito, in ædicula Primicerij ad S. Nazarium, his notis:

DIS MANIBVS
L. CORNELI
IANVARI
VIXIT ANN. XVII
LANARI COATOR
ET
L. CORNEI PRIMION
PATRIS

Vbi COATOR mendum est Incisoris, qui debuerat incidere COACTOR. Ceterum non abnuerim, consulto positum in hoc æno, *itrum*; quod ambigua vox ad genuinum sensum autoris, verti posset modo, *Vitrum*, modo, *iterum*: Quare pro nostro priore sensu dictum est *itrum* pro, *Vitrum*. Constructio vero verborum distichi, si-

signantis obscure modum euadendi molestiam ariditatis exsiccati Putei, fuerit huiusmodi, si Sol iaculis radiantibus penetrat vndas vel conglaciatas in tecto Cœnobij, siue sub niuium specie, siue sub glaciei forma; vel etiam fluminis gelu concretas, ac veluti vitrum duratas, vt ignibus radiorum aret, hoc est quasi vomeribus aratrorum rumpat aquas gelidas, vt fluidam naturam recuperent (nisi leges metricæ refragarentur, vt infra patebit; quum iste poeta purissimos versus ediderit) facile poterunt hæ sibi parare viam, vel de compluuio tecti per artefactos in pariete Cœnobij tubulos in caueam cisternæ; vel de fluminis alueo per abditos terræ cuniculos ad Putei foueam, flumine decliuiorem: & ita prospectum fuerit Cœnobitarum, Puteique commodis, atque desiderijs. Metaphora poetica est, ignibus Solis arari gelidas aquas; tanquam radij sint veluti vomeres aquam gelu conglaciatam rumpentes, atque dissoluentes in fluidum liquorem; sicuti ferrei vomeres arantium proscindunt solidam duramque terram, & iteratis arationibus redigunt ad fluxiles fere pulueres minutissimos, exutos pristina glebarum duritie, soliditate, consistentiaque. Quod certum est, a Solis radijs iterata continuaque veluti verberatione contingere conglaciatis aquis, quæ calore radiorum solarium finduntur, & colliquantur in substantiam mollem, partesque fluidas. At vero si sensum Theologicum spectemus in his carminibus, longe alia fuerit vniuersi secundi quaternarij declaratio,

VOCE PRECOR

Theologiæ peritus poeta noster agnoscebat maximam vim esse precum, & orationis; prop. tereaque Puteum inducit ariditate siccatum, sub persona Cœnobitæ preces effundentis, ad aquam sibi salutarem, & sufficientem Fratribus impetrandum, contra malignam Orionis inuidiam.

Agno-

Agnoſcens autem orationem mentalem maxime conuenire meditantibus, & gratias ſpirituales poſtulantibus; vocalem autem tribulatione laborantibus congruere magis ad impetrandum auxilium diuinum in calamitatibus; namque Dauid quum fugeret a facie Abſalonis, liberatus cecinit, z *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo:* & alibi ſæpiſſime, tribulatus confugit ad orationem vocalem; Quam fuiſſe ſalutarem Niniuitis in imminenti periculo ſubuerſionis, aperte conſtat ex Ionæ prophetæ prædicatione; qui iuſſu Domini ciuitatem Niniue magnam ingreſſus, a *clamauit, & dixit. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. & crediderunt viri Niniuitæ in Dominum: & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis a maiori vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniuæ: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant: Et operiantur ſaccis homines, & iumenta: & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur vir a via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum: Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Dominus: & reuertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Ceterum non ſolum Fidelibus, & Niniuitis in tribulatione poſitis, mirifice profuit oratio vocalis, verum etiam infidelibus; vt admonet in Stromatibus Clemens Alexandrinus aiens: b Omnium enim hominum curam gerens Deus omnipotens, alios quidem præceptis, alios vero minis: & nonnullos quidem ſignis prodigioſis, aliquos vero benignis promiſſis, conuertit ad ſalutem. Verum enim

z Pſ. 3.
a Ion. 3.
b lib. 6.

„ enim vero quum diuturna ſiccitas Græciam aliquando
„ affligeret,& fructuum eſſet maxima ſterilitas; qui reman-
„ ſerant, inquiunt, propter famem Delphos ſupplices ve-
„ nientes, rogarunt Pythiam, quomodo liberarentur a
„ tam graui calamitate. Ea reſpondit: Calamitatis vnum
„ eſſe remedium, ſi vterentur precibus Aeaci. Eis ergo
„ morem gerens Aeacus, quum in Græcum montem
„ aſcendiſſet, mundis in cælum extenſis manibus commu-
„ nem Deum inuocans precatus eſt vt afflictæ miſereretur
„ Græciæ. Simul atque cæpit precari, felix ſtatim tonitru
„ inſonuit, & totus aer circumcirca fuit obductus nubibus.
„ Vehementes autem & continui imbres erumpentes to-
„ tam impleuere regionem. Hinc efficitur abundans & co-
„ pioſa fructuum feracitas, Aeaci, quæ Agriculturæ inſtar
„ fuere, impetrata precibus. Et inuocauit,inquit,Samuel
„ Dominum, & dedit Dominus voces & pluuiam in die
„ meſſis. Vides vnum eſſe Deum,qui per ſubiectas pote-
„ ſtates pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Plena eſt autem no-
„ ſtra Scriptura Dei exaudientis, & vnamquamque effi-
„ cientis petitionem, per iuſtorum orationes.

SVPERAS AVRAS

Quum iſta ſiccitatis calamitas ab aſteriſmo cæli, nimirum Orione nimbifero Cœnobitarum Puteo contigiſſet; neceſſum erat ad eam auertendam precibus eum flectere, qui cælo poteſt ac ventis imperare non in caſſum;hic autem vnus eſt Deus Omnipotens. Quoniam vero Dei operationes ad extra ſunt indiuiduæ,& conueniunt omnibus atque ſingulis perſonis altiſſimæ Triadis; idcirco Cœnobita precatur Deum ſub numero multitudinis: Qua ratione Deus ipſe ſub numero plurium item a Moſe creare hominem, ac de ſe dicere, c *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: & infra: d *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit*

c Gen 1.
d Gen.3.

*duit eos: & ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Et antea quoque: e *In principio creauit Elohim* (sua lingua Moses asseruit, quod proprie vertitur) *Dij, cælum & terram*; nam creatio tribus personis aptatur indiuise, licet per appropriationem attribuatur Patri. Sic in æno poeta precatur Deum sub nomine plurium, appellans ipsum *Auras superas, & Lumina*. Consulto vero verbis istis vtitur in proposito Frater ad Deũ significandum, quia postulat aquas pluuias, sibi negatas ab Orione præfulgido, & ab ipso concitatis ventis imbres atque nubes procul abigentibus; & optat a lumine benefico Dei, spirituque Domini salutari contrarios effectus edi, pluuias nimirum. Sapienter autem Deum appellat *Auras superas, & Lumina*, pluralitatem personarum innuens; tum quia *Spiritus* f ille *Domini*, qui *ferebatur super aquas*, hic intelligitur per Auras superas; quia singulæ personæ sunt substantiæ spirituales, & incorporeæ, quæ nomine spiritus, & auræ nuncupantur, vt anima; de qua dicitur, g *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viuentem*. Sic & Angeli dicuntur spiritus: h *Qui facit Angelos suos spiritus*. Verum enim vero clarissime Deum appellauit *Auræ* nomine sacra pagina, dicente Domino Eliæ: i Egredere, & sta in monte coram „ Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, „ & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante „ Dominum. Non in spiritu Dominus. Et post spiritum „ commotio: Non in commotione Dominus. Et post „ commotionem ignis: Non in igne Dominus. Et post „ ignem sibilus Auræ tenuis. Quod quum audisset Elias, „ operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio „ speluncæ. &c. Ex quibus habemus æni non exiguam dilucidationem; quum enim omnis aduersitas fere propter

e Gen. 1.

f Gen. 1.

g Gen. 2.

h Psal. 103.

i 3. Reg. 19.

commissa crimina nobis adueniat; iuxta illud, Propter peccata veniunt aduersa: Quumque septies in die k cadat iustus; ante benignam auram Diuinæ clementiæ, nos eruentis ab ærumna, præcedere consueuit ventus vehemens, magna commotio, & vrens ignis diuinæ Iustitiæ, per aduersitates nos purgans ab omni crimine; quod in hoc loco signare videtur ipse Lyranus, inquiens: *Ista autem* molesta *transibant ante spiritum suauem designantem Dei præsentiam, ad designandum terrorem potestatis Diuinæ: sicut quando Dominus descendit super montem Sinai, l ante eum cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulmina, & nubes densissima operuit montem: illa tamen facta fuerunt ministerio Angelico*. Non aliter cogitandum hic, ministerio maleficæ constellationis Orionis, ac si placet, Angeli assistentis Orioni, sphæramque suam mouentis, ob culpas veniales etiam Cœnobitarum, inductam ariditatem in eorum Puteo fuisse, quo punirentur molestia penuriæ necessarij sibi laticis; & ea pœna reuocarentur a criminibus ad implorandum precibus auxilium Diuinæ clementiæ, aduenientis in Aura tenui, salutares pluuias adducentis, post ignem lucidioris Orionis, & commotionem spiritumque venti vehementioris, quibus & exsiccati fuere vapores in aere nubium genitores, & nubes, si quæ natæ fuerant, pepulerunt in longinquam regionem aliam. Aurarum vero superarum, siue spirituum supernorum nomine, sapientissime Poeta tres personas diuinas inuocat; quia Pater est Aura supera spirans Spiritum-Sanctum: Filius item est aura supera cum Patre spirans eundem Spiritum Sanctum: Spiritus-Sanctus est consimiliter Aura supera, sed a Patre simul & a Filio spirata. Quin & apud Ioannem, m *Hæc quum dixisset* Iesus Apostolis, *exsufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*. Auras autem spirare proprie ponit Virgilius, n cui

k Prou. 24.
l Exod. 19.
m cap. 20.
n Aen. 5.

Aequa-

„ Aequatæ spirant Auræ, datur hora quieti.
olim o quoque
„ Dulcis compositis spirauit crinibus Aura.

o Georg. 4.

Quare Cœnobita noster merito precatur *Auras superas*, tres Diuinas personas incorpoream, & omnino spiritualem naturam habentes, supra mundum elementarem in cælo degentes, vel etiam, vt ait Aristoteles, p super extima latione degentes; qua de re alibi fusius, in opere q nostro *De Pietate Aristotelis erga Deum & homines* non ita pridem inuulgato.

p 1. cæl. t. 100.

q l. 1. c. 7.

ET LVMINA

Quoniam ad auertendam ariditatem Putei, noxiam Cœnobitis, quæ facta fuerat ab inuidia lucidioris Orionis, & a ventis vehementioribus, nubes imbriferas alio pellentibus, contrariæ causæ virtus erat necessaria; propterea sicuti nuperrime Cœnobita precatus est Auras superas auxiliares, imbrium salutarium feraces, ita nunc benefica lumina precatur, earumdem pluuiarum effectricia; nimirum etiam tres Diuinas personas, luminum nomine designatas aptissime; quoniam, vt ait Apostolus, r *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum*. Namque Pater Lumen est; Lumen est & Filius, qui *lumen de lumine* dicitur in Symbolo, & in s Euangelio semetipsum *lucem mundi* nuncupat: Lumen est & Spiritus-Sanctus, qui sub specie lucidarum t linguarum ignis in die Pentecostes stetit super Apostolos vndecim congregatos; quique illuminat corda nostra. Quare per *lumina* signat hic Poeta Sanctissimæ Triadis personas.

r Iacob. 1.

s Ioan. 8.

t Act. 2.

CÆLO

Apposite, non lumina cæli, quæ sidera sunt; sed lumina *cælo* assistentia, & imperantia, degentiaque, precatur in sua tribulatione Cœnobita; quia licet Deus vbi-

quæ sit; attamen peculiari quadam ratione dicitur in cælis esse; ab eoque veluti in cælo degente, debemus implorare, petereque cuncta bona nobis necessaria, & conuenientia; non solum quia, vt nuperrime didicimus a D. Iacobo, omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum; sed etiam quia Dominus orandi formam nobis præscribens in *u* Euangelio dixit: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in calis, sanctificetur nomen tuum* &c. Quin & antiquitus orantes, ad cælum & vultum & manus eleuabant, inde sibi sperantes auxilium; quoniam in cælis maxime Deum semper coluerunt, vt notauit etiam *x* Aristoteles, & in imaginibus Romæ subterraneæ Bosius obseruat frequenter; & efficere conspicitur iste Cœnobita noster in lapide sculptus.

*u* Matth. 6. Luc. 11.

*x* 1. cæl. t. 23. 2. cæl. t. 2.

CRIMINE DEPOSITO

Sciebat optime Cœnobita, quod Deus non exaudit peccatores; neque decere quemquam gratias a Deo petere, quem læserit, & cui gratus minime sit: sed eum solum audacter, & cum fiducia obtinendi petita, posse a Deo beneficia postulare, qui purgatus ab omni culpa, gratiam diuinam iustificatus habuerit. Quumque nosset se grauatum crimine maledicentiæ simul & iræ, quæ nuperrime dixerat Orionem inuidum esse, spurium, atque trucem, proptereaque cauendum: cogitans a Domino dictum fuisse, *y* *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit indicio; qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis*. Vidensque præceptum ab *z* Apostolo, *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere*; propterea imitatus *Iustum, qui a septies in die cadit, & resurget*; per actum contritionis, vel attritionis cum firmo proposito confitendi, pœnitentiamque agendi de pec-

*y* Matth. 5.

*z* Rom. 12.

*a* Prou. 24.

peccato, dicit, iam se *crimine deposito*, contritum, firmatumque bona spe seruandi mandata Dei, potiundique salutares imbres, *precari voce* supplici simul atque clamosa *superas auras* Diuinarum personarum, *Lumina*que Diuina Sanctiss. mæ Triadis degentia pariter & imperantia *cælo*, tum se

POSSE PARARE VIAM

Domini, rectasque facere per pœnitentiam salutarem semitas eius, quo valeat misericordiam veniæ, gratiamque pluuiarum impetrare; mente recolens illud *b* Isaiæ, Peccatoribus ad pœnitentiam vocatis a Baptista *c* propositam, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, agendo pœnitentiam omnium delictorum, & obseruando præcepta diuinæ legis, quin & consilia Domini: tum etiam *superas auras* ventorum imbriferorum, & *lumina* sensibilia *cælo* micantia nimbifera *posse parare viam* & vaporibus vi caloris in terra geniti lumine siderum, potissimumque Solis, vt ait *d* Aristoteles, eleuatis ex humido terræ circumfuso, *posse parare viam* ad aeris Neapolitani mediam regionem incumbentem Puteo iam arido, ibique frigore condensarier in imbriferas nubes: Nec non imbriferis nubibus, vel in alia regione concretis, *superas auras* meteorologicas ministerio ventorum *posse parare viam* ex alio cælo ad Neapolitanum incumbens aridę cisternæ. Quin & aquis exoptatis a nubibus tam pro cisterna ad compluuium tecti Cœnobitarum, & inde per artefactos in pariete Cœnobij tubulos ad cisternæ cauum: quam etiam pro Puteo scaturientis aquæ viuæ, defosso pariter ad vsum Cœnobitarum in alio vicino Claustro; nec non etiam pro ceteris Neapolitanis proximis, atque benefactoribus, charitate Christiana dilectis, cisternas non habentibus, neque Puteos aquis affluentes, *posse parare viam* e nubibus inquam ad terram & flumina,

*b* cap. 40.
*c* Matth. 3. Luc. 3. Ioan. 1.
*d* 1. meteo. su. 2. c. 1. & sum. 3. c. 1.

& a

& a fluuijs terrenaque superficie per abditos terræ cuniculos, latentesque venas ad caueas Puteorum vulgarium. Pro nubibus quidem cogendis ad Neapolitanam regionem Diuinas personas Triadis implorauit *Auras superas* adiutrices incorporeas, quæ superis auris meteorologicis corporeis ministrantibus nubes imbriferas efficiant in aere Parthenopæo, vel ad eum locum aliunde promoueant: Quin & *lumina cælo* assistentia & imperantia inuisibilia, tres nempe Numinis easdem diuinas personas, quæ luminibus cælo degentibus visibilibus imperent, vt calefacta terra, de humido telluri circumfuso vapores attollant, vt ait *e* Aristoteles, nubium imbriferarum genitores & conglaciatas aquas, niuesque tam in compluuio Cœnobitarum, quam in fluuijs, & alibi super terram Neapolitani tractus, fundant, colliquent, in latices, quo *possint* humores eliquati *viam* habere *paratam* per tubos, atque cuniculos ad Puteorum cauitates; non autem discutiant, absumantque penitus in halitus insensibiles, aut fumum aridum exhalationis, qui Caligo dicitur, & nebula sterilis ab *f* Aristotele.

*e* locc.cit.

*f* 1.meteo. su.3.c.1.

SOL VELVTI IACVLIS ITRVM RADIANTIBVS VNDAS
SI PENETRAT GELIDVS IGNIBVS ARET AQVAS

Mira solertia Poeta noster in hoc vltimo disticho verbis eisdem artificiosissime contrarias omnino sententias exprimit de Sole tum veluti malefico, cum Orionis inuidia conspirante ad ariditatem Putei promouendam; tum veluti benefico, maleficium Orionis inuidi destruente, conglaciatas aquas colliquante, ac ad ima Putei deducente; quod e singulorum verborum adnotatione patebit.

SOL

Apollinis, qui Sol est, nomen accipi posse tum vt maleficum, tum etiam vt beneficum, apertissime docuit in Cratylo Plato; de benefico quidem scribit: *Nonne Deus, qui*

*qui purgat, ipse erit Apoluon, idest, abluens a malis, soluensque, quod Apollo ipse significat?* Itaque hoc sensu Poeta, siue Puteus optat vt Sol soluens aquam conglaciatam, niuesque in liquidos latices; quin & ex humido terræ circumfuso vapores eleuans in sublimi vertendos in pluuiam frigore mediæ regionis aeris, abluat a malo siccitatis & ariditatis Cœnobitas, & alios Neapolitanos, ariditate Puteorum laborantes. De malefico vero Sole mox Plato dicit: *Quatenus autem ἀεὶ βάλλον, idest semper iaculando arcu vehemens est, ἀεὶ βάλλον dici potest, hoc est, perpetuus iaculator*. & paulo post: *Ita Apollinem nominauimus eum, qui erat homopolon, altero l interiecto; quia æquiuocum fuisset duro cum nomine. Quod & his temporibus suspicati plerique, ex eo quod non recte vim nominis huius animaduerterunt, perinde hoc metuunt, ac si perniciem quandam significaret. Sed reuera nomen hoc omnes huius Dei vires complectitur, quemadmodum supra diximus. Significat enim simplicem, perpetuum iaculatorem, expiatorem, & conuertentem*. Quem locum aliter a Ficino producto, sic vertit Cornarus: *Sic etiam Apollon nobis dictus est pro eo, qui homopolon erat, altero adhuc l inserto; atque ita horrendi nominis cognominationem accepit; id quod & nunc quidam suspectum habentes, eo quod vim nominis non recte considerant, ipsum formidant, veluti perniciem aliquam significat. At hoc ita positum est, velut paulo antea dicebamus, vt omnes Dei potentias contingat, qui & simplex est, & semper ferit, abluitque ac exoluit, & simul vertit*. Quibus Plato reprehendit eos, qui nomen Apollinis indicare putant solum maleficam eius naturam; quod opinatus fuisse videtur ille Patricius Genuensis, qui quodam in suæ domus camino posuit inscriptionem, *Phœbus, non Apollo*: Phœbi nomine salutarem Solis naturam innuens, Apollinis vocabulo maleficam eiusdem conditionem: namque vi-

*Apollinis nomē signare tum beneficiū, tum maleficum.*

derat etiam fortassis apud Suidam, & Portum, Constantinumque Lexicographos, *Phœben, vnde Phœbus denominatur, esse aquam, & omne purum: Phœbeteriam inde vocari lotricem, & purgatricem, collustratricemque.* Sed ipse Plato vult, idem nomen, *Apollo*, significare promiscue tum beneficam, tum maleficam Solis potestatem. Quam dum hic metuit Poeta noster, orat ne Sol maleficis radijs vrentibus omnino discutiat tam vapores, in nubes coalescere suetos; quam nubes in halitus aridos insensibiles, nebulasque steriles; quam etiam aquas conglaciatas, pariter & niues in consimiles aridas euaporationes.

VELVTI

Particula similitudinis applicari potest tum proxime sequenti, *Iaculis*, tum etiam vlteriori, *Itrum*: si quidem *iaculis* apponatur, sensus erit. Si Sol penetrat vndas gelu concretas luminis proprij fulgoribus, veluti iaculis radiantibus, aquas illas perfodientibus. At si coniungatur voculæ *itrum* (vt ego libentius effecero) tunc accipienda fuerit illa vox in ænigmate pro *vitrum*, siue sit mendum incisoris, siue consilium Autoris; atque sensus erit. Si Sol penetrat vndas gelidas, quasi vitrum duratas, iaculis radiorum, aret aquas.

IACVLIS

Describitur ista vocula proprietas luminis Solaris, quod a sidere fertur ad terram lineis rectis motu generationis perniciissimo, vt ita dicam; etenim statim exoriens, ac emergens supra horizontem Sol, radijs quamplurimis ictu oculi quasi ferit oppositam, suppositamque tellurem, veluti iaculis, atque sagittis in eam immissis; vt radij sagittas æmulentur tum in celeritate motus, qua dicit g Aristoteles lumen fieri subito; tum etiam in rectitudine progressus; quia radij non oblique tortuoseque feruntur, vt venti; sed recto tramite semper, vt iacula; vnde

g de sen. & sensil. c. 7.

Pla-

Plato perpetuo iaculantem Apollinem dici constituit in Cratylo; sicuti nuper obseruatum est. At vero de luminis ista celeri secundum rectas lineas productione, fuse nos egimus in opere nostro *b* De Natura & Efficientiâ Luminis inscripto.

*b* lib. 2. c. 8. 17. 18.

ITRVM

Ambigua particula: quæ nisi sit erratum vel Plotinicum Autoris, vel rudis aut Amanuensis, aut Incisoris, qui debuerat ponere *Vitrum*, siue *Iterum*; ad obscuritatem ænigmatis ex consilio posita dicenda, quo posset vtroque modo verti pro duplici sensu griphi. Namque pro primo signat, iteratis radiorum solarium ictibus, & veluti verberationibus aquam a radijs Apollinis, tanquam a iaculis penetrari, talique penetratione vel in halitus aridos excuti vi maligni sideris: vel e contrà gelidam in fluidos latices eliquari benefica Solis actione. Pro secundo vero sensu significat, solaribus radijs vndas, gelu duratas veluti vitrum, penetrari; proindeque vel colliquatione benefica in aquam verti, prolapsuram ad Puteum aridum & vacuum implendum: vel exolutione, discussioneque malefica tenuari penitus in aridissimos & igneos halitus.

RADIANTIBVS

Sol in aquam gelidam concretamque prorsus sub specie vel niuis, vel glaciei, non agit nisi lumine suo calorifico; quod a sidere recta proiectum in terras, lineis multis in aere finditur; quas apte Poeta *radiantes iaculos* appellauit; etenim nuncupatus est inde Sol Apollo, perpetuus nimirum iaculator, vt ex Platonis Cratylo notauimus.

VNDAS

Aquas gelu concretas pariter & niues recte Poeta nuncupat vndarum nomine, quia glacies antea fuerit aqua; & proxime verti valeat in aquam, quæ propriæ dicitur

vnda : Nix etiam Solis radijs icta, facile soluitur in aquam fluidam, quæ Poetis vnda vocatur.

SI PENETRAT

Particula, *si*, geminum hic habet intellectum; etenim si sermo sit de concupita pluuia, fluidoque liquore e congelatis aquis, & niuibus educto; particula, *si*, significatum habet optatiuum Putei, Cœnobijque. Sic apud *i* Virgilium,

*i* Aen. 2.

„ At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
„ Dij (si qua est cælo pietas, quæ talia curet)
„ Persoluant grates dignas, & præmia reddant
„ Debita, qui nati coram me cernere lethum
„ Fecisti, & patrios fędasti funere vultus.

& *k* inferius:

*k* Aen. 6.

„ ------------------ Dij talia Graijs
„ Instaurate, pio si pœnas ore reposco.

Optat autem Cœnobita, puteusque, vt Sol radijs suis, veluti iaculis penetret vndas conglaciatas, & niues, adeo quod in aquam fluidam vertantur, quæ valeat in Puteum confluere, ad eiusque caueam sua fluxilitate tenuitateque sibi viam parare: At vero si sermo fiat hic de metu ne calore Solis aqua pauca gelu concreta, nixque non multa dissoluatur in halitus insensibiles; iam hic insinuatur timor, ne Sol radijs augeat ariditatem præcedentem, Orionis inuida serenitate partam; quia pauca nix, & aqua non multa, prius in tecto Cœnobij gelu durata, superuenientis æstiui Solis radijs ignitis facile penetrata, dissipatur in halitus insensibiles, absumiturque penitus.

GELIDAS

Agit ex professo, speciatimque sub nomine Putei Fraterculus de congelatis aquis inuida serenitate Orionis hiemalis in tecto Cœnobij; quæ frigore concretæ nequeunt

queunt

queunt in cisternam descendere: vel etiam de conglaciato flumine, cuius aquæ rigentes non valeant per occultas terræ venas confluere ad Puteum aquæ viuæ scaturientis.

IGNIBVS

Calorificos radios Solis poetice nuncupat ignes, quibus aquæ gelu concretæ possunt & in fluidas eliquari, quæ valeant in cisternam per apertos parietum canales descendere salutares ad noxiam ariditatem tollendam: & ex aduerso quoque, si nimium polleant radij Solis, & aqua pauca sit congelata, exiguaque nix, in aerem, siccosque fumos discuti; propterea que molestam Putei siccitatem non tollere, sed adaugere.

ARET

Si beneficum Solem poeta nunc accipiat; iam optat vt igneis radijs, quasi vomeribus, *aret* aquam gelu duratam, vertatque tenues in liquores, non secus atque Colonus agrorum iteratis arationibus terram proscindens, eam in tenuissimos fluxilesque pulueres conterere sueuit. Verumtamen ista coniectura videtur in verbo *aret* euertere leges metricas; quarum tamen peritissimum se prebet in hoc Idyllio Poeta noster, carmina purissima condens. Quamobrem asseruero potius, Poetam ad ænigmatis obscuritatem vsum fuisse vel verbo neutro-passiuo in actiua significatione, sicuti videtur Cl. Seuerino; vel si placet inusitata quadam insigni syncope de medio dictionis AREfaciT quaternis literulis ante postremam omnino sublatis. At si maleficum Solem sibi metuat; iam timet, ne superueniens æstas feruida sicco summe autumno, brumæque proxime præteritis, exiguam aquam in tecto Cœnobitarum antea concretam, niuemque, alibive relictam arefaciat ad maiorem Fratrum calamitatem. Sumere potuit autem Poeta verbum istud neutro

passiuum in actiua significatione, vt alij non pauci fecerunt, vel vti noua quadam eclipsi, quemadmodum obseruabamus.

AQVAS

Nimirum hic, toto disticho postremo ponitur necessitas effundendi preces propositas ad Deum pro pluuia, proque colliquatione conglaciatarum aquarum, atque niuium tam in tecto Cœnobij, quam alibi locorum Neapolitanæ ciuitatis; vnaque proponitur imminens periculum calamitatis maioris, ne pauca nix, & aqua superstes frigore sereno concreta per hiemem ab Orione fulgidiore, superuenientis æstatis feruidioribus radijs Solis, iterantibus, & continuantibus ictus (Apollo namque dicitur *semper-iaculans*, vt vidimus in Cratylo Platonis) prorsus attenuetur in halitum fumosum, & in aerem insensibilem, atque penitus areat; vt maior habeatur in Deo causa suscitandi clementiam ad subueniendum languentibus Cœnobitis præ nimia necessariarum aquarum penuria; qua forte cogebantur glaciem, aut niues de compluuio, siue de fluuio, vel aliunde tollere, ac igne dissoluere, ad aquam eliciendam pro Cœnobij necessitatibus; antiquitus enim erat exitialis capitalisque pœna, quibus interdicebatur ignis & aqua. Quoniam si perseuerante totam hiemem Orione sicco, non adueniant imbres, atque tepores, tempore veris etiam arido Aquilone perseuerante perflati; Sol æstate succedente mox *iterum*, hoc est secundo post Orionis ariditatem, aquarum imbres prohibentem; si inquam *aquas* autumnales exiguas, niuesque paucas in terra, vel in compluuij tegulis degentes, frigore siccissimæ tempestatis in glaciem duratas, iniuria noua *Sol* præferuidus *radijs veluti iaculis penetrat*, non tam dissoluet in fluidam substantiam aquarum ad replendum Puteum, quam ignitis illis radijs

per-

permeans arere faciet, omninoque consumet; assumi namque potest in ænigmate vox *aret* pro *arefacit* in actiua significatione, prorsus ad obscuritatem griphi; nec non fere ad imitationem Lucretij, dicentis, lib. 6.

„ *Principio terram Sol excoquit, & facit are.*

Verum etiam, si dictionem illam, *itrum*, erratum fabrile dicamus, & legere pro ea debeamus, *vitrum*: eundem plane sensum habebimus, quo significet autor ænigmatis, vndas ab autumnali & hiberno frigore successiue perseuerante concretas & conglaciatas in *Vitri* speciem, & paucas in superficie terræ tectique Cœnobij, maleficio trucis Orionis, ense fulgidiore longam aeris constitutionem, iugulatis omnino nubibus & imbribus, frigidam & siccam efficientis; aduentantis æstatis solares radij præferuidi ac ignei penitus, non colliquant, vti tepor efficere solet, in aquas fluidas, quę confluere valeant per impluuio subditos tubulos parietum in cisternæ caueam; aut per latentes terræ cuniculos & venas natiuas ad fundum Putei; sed exiguas facile dissoluunt in halitus, & arefaciunt omnino. Recte vero conglaciatam aquam appellat in æno suo Poeta *vitrum*, ad ænigmatis leges; at non sine quadam vocabuli proprietate; quia glacies proprie crystallus appellatur a Græcis; crystalli vero nomen apud Latinos de quapiam vitri specie præstantiore pronunciatur. *Crystalli nomen quid.* Istam autem constitutionem aeris, qua per Orionis præfulgidi malignam naturam in ambiente toto summa siccitas inducitur autumno, pulsis alio nubibus imbriferis omnibus vi ventorum aquilonarium, & conseruatur obstinata sideris eiusdem inuidia per totam hiemem succedentem: cui superueniens ver aridum pariter, & vltimo similiter aduenien s æstas nimium æstuosa penitus arefaciat aquas fluminum, fontium, ac omnium fere Puteorum, videtur autor iste noster a Lucano

desum-

m lib. 4. desumpsisse, qui talia m cecinit,

„ Hactenus armorum discrimina: cetera bello
„ Fata dedit varijs incertus motibus aer.

n 2. meteo. lu. 2. c. 2. ( Orionem aperte signat, quem n Aristoteles ait incertum & molestum videri, vt antea notauimus)

„ Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens
„ Aethere constricto pluuias in nube tenebat:
„ Vrebant montana niues, camposque iacentes
„ Non duraturæ conspecto Sole pruinæ:
„ Atque omnis propior mergenti sidera cælo.
„ Aruerat tellus hiberno dura sereno.
„ Sed postquam Vernus calidum Titana recepit
„ Sidera respiciens dilapsæ pariter Helles,
„ Atque iterum æquatis ad iustæ pondera Libræ
„ Temporibus vicere dies, tunc Sole relicto
„ Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
„ Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro:
„ Ille suo nubes, quascunque inuenit in axe,
„ Torsit in Occiduum Nabathæis flatibus Orbem:
„ Et quas sensit Arabs, & quas Gangetica tellus
„ Exhalat nebulas, quicquid concrescere primus
„ Sol patitur, quicquid cæli fuscator Eoi
„ Intulerat Corus, quicquid defenderat Indos,
„ Incendere diem nubes Oriente remotæ:
„ Nec medio potuere graues incumbere mundo;
„ Sed nimbos rapuere fuga: vacat imbribus Arctos,
„ Et Nothus: in solam Calpem fluit humidus aer.

Neque vero diuersam aeris constitutionem describere Tassus ille videtur in obsidione Hierosolymitana, dicens

o Geruf. lib. can. 13. st. 55. o de Solis æstiui siccitate,

„ Mentre li raggi poi d'alto diffonde,
„ Quanto d'intorno occhio mortal si gira,
„ Seccarsi i fiori, e impallidir le fronde,

Affet-

,, Affettate languir l'herbe rimira,
,, E fenderſi la terra, e ſcemar l'onde,
,, Ogni coſa del Ciel ſoggetta a l'ira:
,, E le ſterili nubi in aria ſparſe
,, In ſembianza di fiamme altrui moſtrarſe.

hoc eſt

,, Dum radios poſtea ab alto diffundit,
,, Quantum circum voluitur in gyrum mortalis oculus,
,, Areſcere flores, & palleſcere frondes,
,, Sitientes elangueſcere proſpicit herbas,
,, Et findi terram, & vndas imminui,
,, Omnia iræ cæli ſubiecta:
,, Sterileſque nubes in aere ſparſas
,, In effigiem flammarum ſe mortalibus oſtentare.

Verum & multo prius Ouidius æſtatem ardentiſſimam, omnia prorſus areſacientem deſcribens in fabula Phaetontis, *p* ait,

*p* 2 metam. v. 210.

,, Corripitur flammis vt quæque altiſſima tellus,
,, Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis.
,, Pabula caneſcunt, cum frondibus vritur arbor,
,, Materiamque ſuo ſeges præbet arida damno:
,, Parua queror: magnæ pereunt cum mœnibus vrbes,
,, Cumque ſuis totas populis incendia gentes
,, In cinerem vertunt, ſiluæ cum montibus ardent.
,, Ardet Athos, Taurusque, Cilix, & Tmolus, & Oete,
,, Et tum ſicca, prius celeberrima fontibus, Ida.
,, Tum *q* facta eſt Libyæ raptis humoribus æſtu
,, Arida: tum Nymphæ paſſis, Fonteſque, Lacuſque
,, Defleuere comis: quærit inania Dircen,
,, Argos Amymonem, Ephyre Pyrenidas vndas.
,, Nec ſortita loco diſtantes flumina ripas
,, Tuta manent: medijs Tanais fumauit in vndis.
,, Nilus *r* in extremum fugit perterritus orbem,

*q* v. 237.

*r* v. 254.

Oc-

„ Occuluitque caput, quod adhuc latet, ostia septem
„ Puluerulenta vacant, septem sine flumine valles.
„ Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
„ Hesperiosq. amnes Rhenũ, Rhodanumq., Padumq.,
„ Cuique fuit rerum promissa potentia, Tybrim.
„ Dissilit omne solum, penetratque in tartara rimis
„ Lumen, & infernum terret cum coniuge Regem.
„ Et mare contrahitur, siccæque est campus arenæ
„ Quod modo pontus erat: quosq; altũ texerat æquor,
„ Existunt montes, & sparsas Cycladas augent.

ſ v.272. „ Alma ſ tamen Tellus, vt erat circumdata ponto
„ Inter aquas pelagi, contractosque vndique fontes,
„ Qui se condiderant in opacæ viscera matris,
„ Sustulit omniferos collo tenus arida vultus:
„ Opposuitque manum fronti, magnoque tremore
„ Omnia concutiens, paulum subsedit, & infra
„ Quam solet esse fuit, sacraque ita voce locuta est:
„ Si placet hoc, meruique, quid o tua fulmina cessant
„ Summe Deum? liceat perituræ viribus ignis
„ Igne perire tuo, cladem que Autore leuare,
„ Vix equidem fauces hæc ipsa in verba resoluo.

Hanc Ouidij prosopopæiam, qui summa in ariditate, Phaetontis æuo cunctas aquas absumente, Tellurem inducit precantem Iouem, vt imbres pluat, & Auras humidas immittat, imitatus Poeta noster inducit Puteum aridum sub persona Fraterculi Cœnobitarum conquerentem de malignitate trucis Orionis, (non audacis ac temerarij Phaetontis) qui diuturna siccitate penitus arefecerit communem Cœnobij cisternam; & implorantem diuinum auxilium ad pluuias acquirendas: etenim consimili tempestate cælum Neapolitanum lucidus Orion vehementer arefecit autumno toto, totaque prorsus hieme, præter ceteros, Puteum aquas pluuiales, hauriens

de

de compluuio Cœnobij, quin & si quis alius fuit e terra surgentis aquæ viuæ Dominicanorum vsui latices subministrare suetus: De qua tempestate cisternam illam, Puteumve, vltra terminos ac modos omnes arefaciente, sermo fit in ænigmatico pęgnio nostro.

*Epilogus dictorum.*

Itaque tenebricosissimum epigramma Neapolitanum, in marmore primum incisum ad Putei latera posito: in quo lapide sculptus Fraterculus Tertiarius ille stans, curuato poplite quadantenus, iunctisque manibus pariter & oculis ad cælum eleuatis, orare conspicitur, & antescriptos versiculos eloqui; perobscurum inquam hoc poematium mihi censetur carmen efformatum a viro perquam erudito, qui stylo fere Licophronis vsus, in aridissima tempestate brumali siccato Cęnobij Puteo, poetica prosopopęia nobili cisternam introducit sub persona Fraterculi Tertiarij, ad famulitium omnium Cœnobitarum instituti, sicuti Puteus est atque cisterna; conquerentis cum indignatione magna de maligna Orionis inuidia, qui nimbos pluuiæ salutaris inuiderit Puteo, proindeque Cœnobitis Deo sacrum laticem: Maligno pariter eidem asterismo generalem inundationem antiqui Diluuij, submersionem mortalium omnium exprobrantis: Moxque se conuertentis ad preces, tum quibus & auras pluuiales meteorologicas, & astra cæli nimbifera rogat, vt, deposito crimine liuoris inuidi, salutares aquas effundant in terram, speciatimque in cisternam Cœnobij, plusquam nimium exsiccatam: & radijs calidioribus, ceu mysticis vomeribus, arent (si ratio carminis id patitur) penetrentque congelatas aquas ad instar vitri rigidas, & niues in liquorem fluxilem; cui datum sit posse sibi parare viam ad cisternæ cauum: tum etiam quibus Dei clementiam moueat, iam deposito crimine maledicentiæ ac iræ, ceterarumque culparum, quibus Diui-

nam Iustitiam ad pœnas infligendas prouocauerat; vt denique placatæ spirituales personæ, luminaque Sanctissimæ Triadis, parare viam dignentur imbribus ad Puteum; & Solis radijs ardentioribus non discutiant aquas congelatas, quæ supererant hiemi præteritæ; nempe quæ paucæ per hiemem aridiorem aquæ niuesque gelu concretæ fuerant, Orione siccam serenitatem inuide nimium protrahente, superuenientis æstatis ardoribus areant omnino; sed potius Verni Solis mitioris penetratæ radijs eliquentur in vndas effluxuras ad Putei cauitatem.

Ista de proposito difficillimi nodi poematio mihi scribenda nunc ad calamum venerunt, inclyte vir: Tu ea boni consule, ac me ama. Dabam Patauij e meo Scalumnæ Musæo. Cal. Ianuarij M DC XLVII.

*De Pulmonum varietate in animalibus: De lingua viperæ celerrimo vibratu, corneaque duritie: Deque Monstro nupero Neapolitano Quæsita. Cap. XXIV.*

Inclyto Viro Fortunio Liceto M. Aur. Seuerinus B. A.

1. Quæs. *Auibus pulmones affixi metaphreno.*

IVdicium tuum acerrimum quæso, Cl. Fortuni, quid facit vt auibus Pulmones sint affixi costis, & metaphreno? An fortasse quoniam ouiparæ sunt frigidiores, atque inde non opus est cordi ad ventilationem? Sic & diaphragmate sunt fraudatæ. Quamquam vt sensum aperiam meum; est & auibus septum, aut huius araneolarum telarum modo tenuissimi vestigia sunt, atq; adumbramenta, qualia equidem in gallinagine obseruaui pridem; contra id, quod professus Hieronymus Fabricius l. de Respiratione verbis aperte testantibus etiamnum in abdominis vacuitatem spiritum excurrere pennatorum commodo, vtpote spiritu indigentium in volando copio-

*Est & auibus septum, sed exilissimum.*

*In gallinagine experimentum.*

pio-

piosiore, nimirum vt se sustineant amplius quam per alas in aeris fluoribus, quemadmodum in aqua pisces per aerias vesicas. Verum in alijs ouiparis defixos spinæ dorsi Pulmones vidi quadrupedis, & apodis. Quare ventilatio non attinet ad definitionem Pulmonis; neque enim hæc est de omni prædicatio. Quod si constituitur: non refert viscus spirabile folles, aut ventilabrum, atque adeo nonnihil inde labis recipiunt priora scribentium decreta.

*Ventilatorius per se non est pulmo.*

*H. Fabr. vna et cõmunis vacuitas thoracis & abdominis.*

Sed enim vbi statuimus frigidiores corde volucres ouiparas. quid sit, amabo te, quod ita splendidus & purpureus est auiculis Pulmo?

*Cur auibus pulmo rubicundus.*

Ad hæc de Pennatorum pulmonibus quæsita, dabis vt addam Anguineis, & alia quædam de Vipera, nimirum huic est Pulmo sacculi modo cauus, propemodum reticulati, hoc est complexibus, & fenestellis belle distinctus & variegatus: Quis igitur signate sit vsus sacculi reticulati?

II. Quæs. *Vipera pulmo sacculi, & reticuli modo conformatus.*

Pulmoni subdita proxime bestiolæ reptantis est lingua, quæ de trachea fistula longe non ab œsophagi capite profecta: quid rogo, crebro vibratur commotione sic propera, vt trilinguem referat celeritatem? Porro profundioris hæc sunt consilij, quam vulgo creditum sit.

III. Quæs. *Lingua viperarum vibratilis, & flagellifera quid.*

Ad hæc, quid & flagellifera lingua? quidve cornea, vel saltem chartilaginea duritie? quali sane soliditate prædita longe alium quam gustandi vsum agnoscere videtur.

IV. Quæs.

Historia monstri cuiuspiam apud nos visi nouissime. In Bono Albergo oppido prope Beneuentum ex ditione Spinellorum Optimatum Vrbis Neapolitanæ Anno Domini 1642. pridie Idus Maias circiter horam vicesimam puer natus est, in quo hæc membrorum vitia videbantur. Fuit huic prægrande caput, nullis ossibus, pulmo-

V. Quæs.

nis instar molle; in medio fossulam habens, quæ tamen pulsu vicinarum partium æquabatur: nigris capillis, & longiusculis. In occipitio oculus erat sanguineus, ex quo continenter sanguis manabat. Frontis oculi omnino informes, vesicati, cærulei coloris. Facies humana: os concauum: inferius labrum naturale, superius vero per acumina distinctum, qualis crista galli gallinacei; eratque iunctum cum naso, quem catello similem habebat. In superiore maxilla duo dentes, alter in dextera parte, alter in sinistra; erant autem hi cornei, seu chartilaginei, albi, intorti, quales in Dæmonum picturis spectari solent. Lingua minuta, quanta est passeris: rauca vox: pectus, & corporis reliquum humanum: Nisi quod brachia, & manus habuit distortas, & inter fœmina applicatas; in quarum dextera septem digiti, in sinistra sex: in pedibus contra, sex in dextro, septem vero in sinistro. Vberibus admotus lac sugere non potuit, sed in os expressum potauit. Sacro fonte ablutus est: & hora a natiuitate vicesima quarta viuere desijt.

Historiam hanc exposuisse me scriptori de Monstris absoluto & nauo non visum ab re fuit; adeoque candorem tuum hæc æqui bonique facere par est Seuerino tuo etiam atque etiam perdilecto. Neapoli Prid. Idus Nouembr. M D C X L V I.

*Resp. Liceti de propositis Quæsitis: & primum, cur aues pulmones habeant costis affixos, atque spinæ, septoque: ac fere careant metaphreno. Cap. XXV.*

Cl. Viro Marco Aur. Seuerino Fortunius Licetus B.A.

QVid ni serio te laudem & ego, Cl. Seuerine? quod inuentis tuis fundamenta suffecturus, felicius quam apud * Maronem Dido,

* 4. Aen. v.63.

pecu-

„ .................................. pecudumque reclusis
„ Pectoribus inhians spirantia consulis exta.

Non aliter fecit ille Philosophorum summus, qui aduersus Democritum de generato sexu pugnans, ex anatome pedestrium atque ouiparorum animantium, assertionum suarum fulcra conquirebat. Porro Quæsita tua, doctissime vir, vt arduam solutionem habent, in abditis Anatomes penetralibus omnino reconditam; sic Anatomicorum Iubari Veslingio, communi nostrum amico, proponenda fuerant. At vero quia tibi libuit de propositis meam opinionem percunctari, non possum non parere voluntati tuæ, quam mihi legem in re literaria dudum constitui.

4. de gen. an. c. 1

De pulmonibus auium, quod ante omnia postulas; Cur affixi spinæ, metaphreno simul & costis habeantur, & non ab omni pectore seiuncti, sicut in homine, ceterisque brutis non volatilibus? & cur aues diaphragma tenuissimum habeant, vt tantum non eo carere videantur? Illud quidem ego dicere non ausim, Aues esse temperamento plusquam nimium frigido; proptereaque cordis ventilatione non indigere: Quoniam aues etsi temperamento frigidiore sint quam homo, & bruta viuipara; quæ multo sanguine redundant, longe supra conditionem auium; attamen adeo frigidam temperiem non obtinent aues, vt earum calor in corde vigens non egeat euentilatione per aerem inspiratum, vt animantia calidiora; sed ab his in proposito differunt aues, quod pulmones habent exangues, & diutius absque respiratione sub aquis durare possunt: vt clare nos edocet Aristoteles, inquiens: b *Pulmo ideo habetur, quia genus animalium quoddam pedestre est. Calorem enim refrigerari necesse est: quod extrinsecus ea, quæ habent sanguinem, desiderant; sunt enim calidiora.* & mox: *Differentia pulmonum varia est:*

b 3. de part. c. 6.

*alijs*

*alijs enim sanguineus, magnusque; alijs minor fungosus, exanguis. Quæ viuipara sunt maiorem, & copia refertum sanguinis habent, propter calorem suæ naturæ ampliorem: Quæ contra ouipara sunt, exiguum, & siccum, sed aptum ampliari, ac extumescere, quum inflatur: qualis eorum est, quæ ex terrestribus quadrupedes ouipara sunt, vt lacertorum, & testudinum, & ceterorum generis eiusdem. Volucrum etiam natura, quas aues appellamus, eodem pertinet: omnium enim earum pulmo fungosus, & spumæ similis est. Spuma enim facta, diffusaque ex amplo tumore in exiguum residet, & pulmo earum exiguus, membranæque similis est. Quamobrem hæc omnia parum sitiunt, & parum bibunt: diu etiam aquam demersa tolerant. Satis enim ab ipso pulmonis motu spiritali, inanique refrigerantur diutius; vt quæ parum caloris habent,* scilicet in comparatione ad hominem, & animalia maiora multo scatentia sanguine. Quod autem hic ait Aristoteles, aues aquam diutius tolerare demersas; id late confirmatmus historijs, olim agentes *de his qui diu viuunt sine* [c] *alimento*. Quibus adiungere lubet propositas a Baptista Fulgosio, qui testatur [d] a Geruasio Tibellesio, Arelatensis regni Marescallo, ad Othonem Quartum scriptum fuisse, In lacu eius regionis quosdam piscationi operam dantes hieme multas ciconias veluti mortuas rete in siccum traxisse; quæ tanquam simul iunctæ mutuo rostra ano infixa habebant: & calefactæ, viuæ inuentæ fuerunt. In Lotharingia quoque iuxta Metensem Vrbem in quodam alio lacu salutis anno quadringentesimo sexagesimo septimo supra mille, permultæ aliæ ciconiæ similiter inuentæ fuerunt; quæ in thermis calefactæ reuixerunt. Quo quidem tempore latibuli certe non respirant, sicuti nec alias functiones vllas edunt, extincto propemodum calore; quod obseruat Galenus agens de mulieribus vteri præfocatione respirationem

c l.3.c.10.
d l.1. c.vlt.
*Piscatores auium vbi.*

amit-

amittentibus: e *Itaque si omnes ita affectæ mulieres interijssent, simplex esset quæstio; quum vero nonnullæ seruatæ videantur, geminam oriri quæstionem necesse est inuestigantibus nobis tum dispositionem, ob quam spirationis munus deperditur: tum vel magis, quomodo viuere possint, quæ nihil omnino spirant. Quippe in confesso est, & spirationem a vita, & vitam a spiratione separari non posse: adeo vt viuentem non spirare, & spirantem non viuere, sit impossibile. Atque hæc quæstio quanquam superiore difficilior videtur, non est tamen perinde difficilis. Quippe facile sustinebitur, si latebris inclusa animalia consideres, nulla apparente in ipsis spirationis nota. Hoc enim cognito, perspectisque animalibus, vt pote frigidis, atque eo demonstrato, quod maximus respirationis vsus est, vt intimus calor & refrigeratione & ventilatione seruetur, haud ita difficile fuerit perpendere, exiguum illum calorem in ipsis derelictum, arteriarum cordisque officio conseruari: quæ actio a quibusdam medicis transpiratio, velut ea, quæ a thoracis pulmonisque officio prodit, respiratio vocatur. Itaque pereunte ob vteri affectum spiratione, quoniam vniuersum corpus refrigeratur (id enim manifeste videtur) fieri potest, vt nulla prodeat ab ore spiratio; quamuis ea, quæ in arterijs fit, nequaquam intercipiatur.* & alibi: f *Sic & animalium, quæcumque sunt natura frigidiora, ijs calor innatus a frigore hiberno superatur, adeo vt fere extinguatur: quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, quum sine sensu & motu in latebris iacent; quædam vero prorsus in hoc ipso affectu moriuntur.* Sed quæ viua seruantur, ob caloris tamen imbecillitatem nullas omnino functiones habere, nec ipsam nutritionem, late probauimus in opere nostro g De his qui diu viuunt sine alimento, vel ex Galeno scribente ad verbum: h *Si enim neque sentiendi, neque mouendi ab electione facultatem animal habuerit, neque nutriendi, veluti in latentibus euenit animalibus, nihilo-*

e 6. de loc. aff. c. 5.

f 1. aph. com. 15.

g l. 3. c. 25. 26.

h 5. de loc. aff. c. 1.

*minus viuere ipsum posse, quoad Cor manserit illæsum, haudquaquam negandum est*. Si ergo mulieres ob affectum vteri, caloris eam refrigerationem incurrunt, qua non indigent euentilatione ministerio respirationis; id tamen non tollit quin eo affectu liberæ, calorisque sortitæ validiores vires, ad eius refrigerium pulmonibus intro trahant aerem: sique bestiæ multæ bruma recondi solitæ, ciconiæque speciatim, & aues aliæ, tantum ab hiberno frigore caloris proprij iacturam faciunt, vt qui remanet in eis illo tempore nec indigeat refrigerio respirationis, nec vllas vitæ functiones edere valeat; nihilominus vbi calor verno tepore fotus pristinas vires recuperauerit, aperte ceteras vitæ functiones reassumit, & refrigeratione per aerem inspiratum indiget, eamque sibi parat pulmonum agitatione. Ceterum aues adeo frigidæ non esse temperaturæ, dum bene se habent, vt inspirationis ad sui caloris refrigerationem non indigeant, non vnum est, quod aperte demõstret; in primis vbertas illa plumarum, qua toto corpore conuestiuntur; præsertimque thorace; quia plumis, vt etiam pilis materies est fuligo siccior, a calore vegeto producta: Qua ergo ratione *i* Galenus, refragante nemine prorsus, inter signa calidi cordis hirsutiẽ pectoris enumerat præcipue; quin & quia alibi scribit: *k Insicca enim & calida cute multos magnosque nasci pilos diximus*; quid ni volucres habere cor adeo calidum asseramus, tantarum fuliginum genitorem, vt respirationis indigeat per pulmones patratæ ad sui refrigerium & euentilationem? non ne videmus aues vniuerso pectore pulmosissimas? Insuper *l* Aristoteles agnoscit inde piscium temperaturam esse frigidam, quod in aqua degant; quum deceat cuncta loco simili conseruari: Qui ergo videmus, non solum aues aerias esse, verum etiam ab aere frigidiore semper aufugere, calidiorem aerem nun-

*Auium calorem quæ ostendant.*

*i* art. med. c. 29.

*k* 2. de tẽp. c. 5.

*l* de resp. c. 13.

nunquam non inquirere, nactumque salubrius incolere, ac in eo mirifice lætas, & fecundas esse; iam temperamentum auibus ita frigidum assignare non debemus, cui necessaria non sit euentilatio, ministerio pulmonum respirationem ad refrigerium caloris promouentium: nam, vt ait Aristoteles, * *Pulmo gratia respirationis a spiritu est, videtur enim & nomen accepisse pulmo, propter susceptionem spiritus*. Amplius autem pernicitas eximia non ne prodit earum temperiem calore pollere, qui ventilationis indigeat, pulmonumque respirationem ad hunc vsum efficientium? inter frigidæ temperaturæ signa *m* Galenus enumerat optime segnitiem, tarditatemque motus. Insuper vocalissimæ quum sint auiculæ pro ratione corpusculi, tum aeris inspirare debent intra pulmones multæ, ac longæ vocis materiam: tum attractum aerem impetu magno celeriter expellere: sed vt impetu, celerique motu foras trudere non potest aerem inspiratum vis motrix imbecilla, quæ calori pusillo, & inualido non inesse nequit; ita multus aer, at omnino aer inspirari non consueuit, nisi dum necessitas adest euentilationis, atque refrigerij; nam secundaria ratione inspiratur aer ad vocem, primaria necessariaque ad cordis refrigerium; vt obseruat *n* Aristoteles. Denique volucres, vt præfecundæ sunt, ita salaciores habentur; fecunditas autem pariter ac insignis ad coitum procliuitas non potest a debili calore prouenire; nam senes, & frigido valde temperamento neque salaces, neque fecundi sunt, vt experimento compertissimum est. Quare iam aues dicendæ non videntur caloris esse adeo debilis, vt euentilatione, pulmonum agitatu comparata, non egeant. Nec omittam, calorem cordis ac viscerum intensiorem, adeoque refrigerationis indigum per operam pulmonum patratæ, satis indicare, tum quod solo calore incu-

* de respir. c. 11.

*m* art. med. c. 30.

*n* 2. de an. t. 88.

bantes fouent oua ad prolis organizationem; tum quod pectus multa, solidissimaque carne gerunt velut incrustatum, qua calor cordis earum vegetior conseruatur. Quin & quum habeant aues ventriculum, ad aliorum animalium omnium differentiam, calidissimum, multa, densa, solidaque carne nigrante circumseptum, vtpote dentibus carentes, quibus incidere valeant, & atterere duriorem seminum sibi in alimoniam venientium substantiã, quod opus vni ventriculo calidiori demandatum est a natura; certe cor habere debent etiam calidius; nam & id fons est caloris in omni animali, & in eodem corpore semper ventriculus caliditate cordi plurimum concedit; vnde cor in auibus adeo frigidæ non potest esse temperaturæ, vt eius calor euentilationis non indigeat. Non tamen inficias iuero tibi, Cl. Vir, volucres minus calidas esse quam homines, & quadrupedia, proindeque minoris indigere ventilationis; nam ideo sortitæ fuerunt a natura pulmonem exiliorem, quo minorem aeris copiam inspiratione trahunt; aliquam tamen sibi trahunt ad cordis refrigerium. Minus accipio dictum, quod affers e Cl. Fabricio, *Carere metaphreno volucres; & inspirantes, aeris magnam partem intra cauitatem abdominis attrahere, quo se sustineant volantes in aere magis quam solo alarum remigio; sicuti pisces in aqua se sustinent per aere plenas vesiculas:* quia ratio longe diuersa piscium in aquis est, ac volucrium in aere; namque piscem aere plenæ vesiculæ facile sustinere possunt in aqua natantem; quoniam aer leuior est aquis, & semper ascendere gestit ad aquæ summum, intra quam natura sua leuitat; quo nomine ligna fluitant in aqua, non demerguntur, quæ multum aeris inclusum habent; at lapis e contra nil aeris intra se continens, immergitur: In aere vero non leuitat aer, vt in aqua, sed grauitat; vnde plenus aere quiuis

uis

uis vter magis trahit deorsum lancem quam inanis aere vacuus; quod experimentum proposuit Aristoteles inquiens: o *In sua enim regione omnia grauitatem habent, præter ignem, etiam aer ipse: Signum autem est, quia trahit plus inflatus vter, quam vacuus: Quare, si aliquid plus habet aeris, quam terræ, & aquæ, in aqua quidem contingit leuius esse; in aere vero grauius; aeri enim non supereminet, aquæ vero supereminet.* Quocirca piscibus aereæ vesiculæ fulcimento possunt in aquis esse; turgidus autem venter imus aere non potest auibus conciliare maiorem leuitatem, atque facilitatem volatus in aere, sicut opinari scribis Cl. Fabricium. Ceterum in auibus pulmonum affixio spinæ, costis, adhæsusque metaphreno, non tollit quominus auium pulmones aere inspiratione repleantur, & expiratu fuligine depleantur, ad cordis refrigerium; etenim cor auium etsi tanto calore non æstuet, vt multam copiam requirat aeris inspirati; requirit attamen aliquam, sibi proportionatã, vt piscium cor longe minus calidum; nam etsi minores piscium non per pulmones aerem, sed per branchias aquam ad intimi caloris temperationem attrahant; attamen grandiores ministerio pulmonum aerem ad cordis æstum euentilandum sibi trahunt; quod aperte notat Aristoteles, inquiens: p *At quæ sanguine carent, vel suo natiuo spiritu satis refrigerari possunt: extrinsecus autem vel aere, vel aqua refrigerari necesse est: Quamobrem piscium nullus habet pulmonem, sed pro eo branchias obtinent, vt quum de spiratione ageremus, retulimus; aqua enim refrigerantur, vt aere quæ spirant: quamobrem omnia, quæ spirant, habent pulmonem. Spirant pedestria omnia, & aquatilium nonnulla; vt balena, & delphinus, atque etiam cete omnia, quæ reflant.* Affixio quoque spinæ, septo, & costis auium pulmoni non tollit vsum respirationis, & attrahendi aerem, expellendique fuli-

o 4. cæl. t.30.

*Cur auium pulmo costis affixus, non pendulus, vt in homine, & alijs.*

p 3. de part. c.6.

q de resp. cap.12.

gines ad cordis attemperationem, tum quia sæpissime vidimus in anatome pulmones hominum costis adhærentes & metaphreno, quibus non fuit læsa sublatave propterea respiratio; de qua re frequentem habeo Vesalij Anatomicorum nostratium Patris obseruationem, asserentis, * *Pulmo externa superficie leuis vndique est, & veluti humore lento madidus: attamen in plerisque hominibus non infrequenter hæc superficies aspera earum membranarum modo conspicitur, quæ inuicem connascuntur; quandoquidem in illis iam dextra pulmonis pars, iam sinistra, iam vtraque etiam pertinacissime thoracis lateribus fibrosarum nexuum interuentu colligatur, adeo vt id hominibus quodammodo peculiare esse videatur.* In eandem sententiam Valuerdius inquit: * *Pulmo vniuersus extima superficie leuis, & lubrico quodam humore oblitus est, quamuis in hominum nonnullis, quibus pulmo membranæ costas succingenti affirmatur, asper perinde, ac membranæ inuicem adhærentes occurrat. Ac in his quidem pulmo ipse subniger, & decolor magis conspicitur, secus quam in alijs, in quibus pulmo scapulis nequaquam adhæret, præter quam ipsarum initio, asperæ arteriæ membranarum interuentu, nec non cordi venalis arteriæ, & venæ arterialis beneficio. Qui vero pulmones costis adnatos gerunt, licet vulnus in thorace accipiant, respirare tamen non desinunt, quod pulmones coarctari nequeant; & his vulnera, quamuis pulmones attingant, citius curationem suscipiunt.* At in optima constitutione pulmo, vt obseruat Laurentius, * *liber omnino est a connexu, vt liberius moueri possit, suspenditur tamen vasorum & arteriæ asperæ interiectus, ne dilabatur.* tum quia substantia pulmonum laxa & spongiosa facile potest, vel adhærens tum spinæ, tum costis, tum etiam metaphreno constringi, ac dilatari, fuligines a se pellere, aerem intra se trahere, ad cordis refrigerationem. Quod autem in auibus fere pulmones affixi spinæ dorsi

* l.6.c.7.

* l.4.c.7

* l.3.c.12.

dorsi sint, non item semper alijs animalibus, triplicem vel quadruplicem causam assignari posse censeo; prima quidem est, ne volatus auium impediretur, molestusque fieret; sed facilis ac expeditus promoueretur; etenim penduli pulmones in vacuo thorace libere mobiles, dum auis impetu celeriore per aera volat, pulmones hinc inde pulsarent latera pectoris, vnde molestia doloris incuteretur volucri, & eius volatus perturbaretur a rectitudine, celeritateque priuaretur; non secus ac si pila minor pendula contineretur in magno folle lusorio, motus ipsius follis a forti brachio vibrati, fieret inæqualis fluctuans, & longe tardior; ea pila pendula concutiente latera follis interna. Secunda vero causa, cur pulmones in auibus affixi spinæ dorsali sint a natura, fuit ad sustinendum graue thoracis & alarum pondus in aere; sunt enim veluti fulcra, quibus innititur auiculæ volantis dorsum; si namque penduli forent, vt in hominibus, & quadrupedibus, pondere suo, deorsum traherent auium dorsum, & impedirent vtcumque volucris volatum ad superiora. Tertia causa fuit, ne pulmones penduli locum occuparent matrici, seu ouis, quæ multa magnam partem abdominis occupant: vnde nedum auibus, at ouiparis etiam quadrupedibus, & apodis non ab re vidisti pulmones affixos dorsi spinæ. Quæ causa pariter efficit, vt ouipara tenuissimum habeant diaphragma, ne crassities eius occuparet locum in abdomine necessarium ampliorem, ad ouorum multitudinem continendam. Quarta causa fuerit in auibus ventriculi carne multa circumsepti magnitudo, cui locum cedere pulmo debuit, & eapropter affigi dorso sursum, non inde pendere deorsum. Quare dixerim naturam in auibus pulmones affixisse dorsali spinæ tum ad volatus facilitatem, quia penduli pulmones in thorace vacuo fluctuarent,

*Auium pulmones cur affixi dorso.*

im-

impedirentque volatum, eiusque rectitudinem; tum ad sustinendum pondus dorsi volucrium alte se attollentium: tum ad concedendum locum ventriculo multa carne tumido; simul & matrici multis ouis magnis frequenter turgenti. Ceterum vt non raro pulmones in homine spectantur ab anatomicis affixi costis, & metaphreno, licet hoc præter naturam optimæ constitutionis habeatur; ita vicissim aliquando præter naturam auibus insunt liberi prorsus a costis pulmones; qua de re quum Veslingium nostrum consuluissem, hæc ab eo retuli: *Illud celare te nolo obseruasse me etiam in volucribus liberos a nexu cum pectore pulmones. In Chamaleonte item, languido valde ac timido animali, tum etiam in Crocodilo, qui maiorem vitæ partem in aqua degit. Connexas vero pectori pulmones, tum in quadrupedibus, tum præsertim in homine frequenter deprehendisse, nunc alterutro, nunc vtroque lobo fibrosis vinculis pleuræ coniuncto: Quin & diaphragmati sic impactos, vt citra tunicula propriæ læsionem vix ab eo separari possent.* Quæ quidem connexio, licet præter naturam in homine, non tamen prohibuit quin pulmones respirationem ederent ad refrigerium caloris interni; sic illa naturalis in auibus pulmonum affixio spinæ dorsali afferri non potest argumentum ad euertendam euentilationem caloris in corde volucrium æstuantis. Quod item de septo dicitur, carnosum & crassum in viuiparis esse, tenue nimium in ouiparis, vt fere nullum in auibus aspiciatur, id vt plurimum contingit, ac in animantibus perfecta sanitate præditis in sui corporis conformatione naturali; non nunquam tamen aliter euenit; qua de re ita Philosophus; r *Id autem septum transuersum præcordia in sanguine praditis vocatur. Habent hæc omnia, quæ sanguinem obtinent, vt & cor.* & mox: *Annectitur hoc septum, siue cinctus costis parte sui carnosiore, validioreque: media autem constat membra-*

r 3. de part. c. 10.

*brana tenuiori*, scilicet in homine, ac viuiparis; at in ouiparis ob causam allatam omni ex parte tenuissima membrana est; qualem te vidisse refers in auibus. Ceterum ad pulmones auium vt redeamus; qui tibi concedimus cum Aristotele volucrium temperiem esse frigidiorem temperamento viuiparorum; non insensum habemus purpureum colorem pulmonis auicularum; etenim color ille rutilans purpureus referendus est, non ad caloris excessum vehementiorem, sed ad pulmonis raritatem, laxitatem, tenuitatemque maiorem in auibus, quam in viuiparis. Cogita mecum vinum generosum, vbi densum fuerit, saturo colore nigricare; si vero tenuiorem substantiam habuerit aqua vel natura, vel arte superinfusa, splendido purpureoque colore rutilare: nam inter vina, quæ nigriora, sunt generosiora, calidiori temperamento prædita; purpurea vicissim rubenti fulgore splendida, minus caloris, ac virium obtinent. Hæc de volucrium pulmonibus constituta, iam sartam tectam tuentur antiquorum sententiam de pulmonum institutione ad caloris viscerum attemperationem ac euentilationem.

*Auium pulmo cur purpureus.*

## *De Vipera pulmone sacculum reticularem referente, in quem finem ea structura præditum fuerit.* Cap. XXVI.

AB auium pulmonibus tecum transiens ad anguium, præsertimque viperæ pulmonem, quem ais esse cauum ad instar sacculi, propemodum reticulati, nempe complexibus, atque fenestellis belle distinctum & variegatum; quærisque quisnam sit vsus istiusmodi sacculi reticulati. Primum obseruo ex Aristotele, serpentum omnia viscera, nedum pulmones, oblongam habere figuram, ait enim a *Cetera interna eadem serpentibus sunt,* quæ

a 2. hist. c. vlt.

*qua lacertis. Verum omnia earum viscera propter longitudinem, & angustiam corporis, longa, arctaque habent; ita vt dignosci pra sua figura dissimilitudine non queant. Arteria namque longa admodum est, atque etiam gula longior.* & mox: *Cor arteria postrema adharet exiguum, sed longum, & renum speciem referens; quamobrem videri interdum potest minus mucronem suum dirigere ad pectus. Pulmo deinde adnectitur simplex fibrosus, fistulosus, pralongus, longeque a corde sepositus. Iecur item longum, & simplex.* Vnde colligo figuram istam oblongi sacculi, quem vocas, inesse pulmoni serpentium, adeoque viperæ speciatim, non ad vllum finem institutam a natura, sed ex necessitate materiæ; quum enim tanta materiæ copia, quanta necessaria fuit pulmoni serpentis ad respirationem, & ad attractionem tanti aeris moliendam, quantus euentilando calori viscerum, cordisque maxime requirebatur, contineri non posset apte in angusto & longo corpore serpentis, nisi produceretur & ipsa in longum pariter & angustaretur, effigiata prorsus ad effigiem loci continentis; propterea pulmo viperæ longus necessario factus est; & quum aerem intra se trahere debeat, imaginem sacculi repræsentare ipsum oportuit. Cauus autem si tibi fuit obseruatus intus viperæ pulmo, causam id eam habere crediderim, vt aer attractus aliqua mora contentus ibi veluti digereretur & aliquem frigiditatis gradum amitteret, quo facile posset vt nimium frigidus animantis calorem imbecillum extinguere, debilisque nimis officere. Quod insuper efflagitas, vnde viperæ pulmo sit reticularis, hoc est complexibus, & fenestellis belle distinctus, ac variegatus; id etiam habet rationem in allata theoria Philosophi; qui enim pulmo simplicem substantiam habet, fibrosam, & fistulosam in vniuerso serpentium genere, iam in vipera reticularem formam habere debet, esse-

*Pulmo viperæ cur lõgus.*

*Cur cauus sacculi more.*

*Cur fenestellis variegatus, & reticularis.*

esseque complexibus, ac fenestellis belle distinctus & variegatus: etenim fistulosa fibrosaque substantia reticularem aptissime refert. Vt iam nullus vsus proprie sit sacculi reticularis in pulmone viperæ, sed eiusmodi structura tota referenda sit in necessitatem materiæ, si de longitudine visceris,& reticulari forma sermo sit;at cauitatis illius, quam in eo saccularem agnoscis, vsus mihi videatur esse dispositio, & alteratio quædam attracti aeris, vt nimia frigiditate per aliquam in sacculo moram exutus, valeat citra noxam leuiter attemperare calorem cordis non ita validum in angue.

*De lingua viperinæ celeritate, trilinguem eam referente.*
*Cap. XXVII.*

QVod tertio loco quæris, cur lingua viperæ crebro vibretur commotione sic propera, vt trilinguem referat celeritatem, siue figuram; quum hoc tibi videatur esse consilij profundioris, quam vulgo creditum sit: id certe perarduum est inuenire; meque satis deterret ab huiuscemodi rei causa assignanda contra communem sententiam quod ait Aristoteles, tum *a* signum esse multæ temeritatis, atque dementiæ, velle rerum ac effectuum omnium causas afferre: *Forte igitur*, inquit, *de quibusdam enunciare aliquid tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil, videbitur vtique esse signum aut multæ amentiæ, aut multæ promptitudinis: non tamen iustum est omnes similiter increpare; sed videre oportet causam dicendi, quænam sit. Præterea quo pacto se habeat in credendo, vtrum humano modo, an validius:* tum *b* quod omnes, vel plures existimant, præstat fidem. Attamen, quia conatus etiam in arduis rebus laudabilis est; & excitare possem ingenia solertiora ad veritatem propositi clarius

*a* 2. cæl. t.34.

*b* de diu. per som. c.1.

inueniendam, & detegendam, tibique percupio morem gerere semper in re literaria; non verebor afferre quid mihi venerit in mentem de proposito. Sane viperæ, sicut & aliorum serpentum lingua bifida est, vt & alia sensuum instrumenta, processus mãmillares in odoratu, aurium meatus, & oculi; quamuis in homine bifida non sit ob sermonem; qui non apte posset articulari, sicuti nec in auibus cantus, & ob comestionem, vt ait post c Galenus: cuius partitionis causam retulit Aristoteles in vnam serpentum cupediam, inquiens: d *Terrestrium autem ouiparorum sanguineorum pars maior linguam habet inutilem ad vocis officium, & adhærentem, & duram; quan quam ad saporum gustatum serpentes, & lacerti longam habent, & bifidam; atque ita longam serpentes, vt ex paruo longe protrahi possit: bifida & parte extrema capillamenti tenuitate est, propter suæ naturæ cupediam: duplex enim voluptas ijs capitur, quasi duplicem sensum gustandi habeant.* Ex quibus mihi lux quædam affulgere videtur ad intuendam abditissimam causam propositæ quæstionis; etenim lingua si serpentibus ad cupediam, sensumque gustandi geminum data fuit a natura in apice bipartita; dum anguis linguam in ore tenet immotam, illa duo capillamenta velut in vnum coeunt, cohærentia; quamobrem vipera linguam vibrat motu celerrimo, vt capillamenta disgreget ab inuicem, & organum gustus geminum exerceat, non vt vnum, ad sapores intimius, & latius percipiendos, & ad cupediam naturalem suam diffito magis organo satiandam, ac eo magis, quo viscido quopiam glutine vinciri possunt apices illi manentes in ore; quem viscidum humorem vibratu excutiant, ac ita linguæ apices expediunt. Addere quoque liceat, viperam & serpentes natura valde frigida donari, vnde torpent hiberno frigore, veluti semmortua; quod antea e notauimus ex Galeno:

c 11. de vs. par. c. 10.

d 2. de par. c. 17.

1. Solutio.

2. Solutio.

e 1. aph. com. 15.

dum

dum vero frigore torpent instrumenta sensuum, prorsus inepta sunt ad suas functiones; quare vipera creberrimo vibratu flagellifero linguam exerit, adeo vt ex bifida, sensui trifida videatur, quo motu calorem in eam influentem immittat, ac ex ea torporem excutiat, ad cupediam, & sensum gustus excitandum, & irritandum, eo fere modo, quo Leo cauda semetipsum verberans calorem acuit, & sopitas antea statim suscitat iras. Qua de re tum Hesiodus in Herculis f clypeo:

f v. 425.

» Terribiliter intuens oculis, leo tãquã corpus consecutus,
» Qui & valde accurate pellem tenacibus vnguibus
» Scindens, quam celerrime dulcem animam abstulit:
» Constanter autem vtique nigrum ipsius impletur cor.
» Ignitis autẽ intuẽs oculis terribiliter, & latus & humeros
» Cauda verberans, pedibus fodit: neque aliquis ipsum
» Toleraret contra aspiciens prope ire, neque pugnare.

Quem Catullus in Atti suo secutus Galliambico dixit:

» Age, cæde terga cauda, tua verbera pateant,
» Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Et quę (sicut obseruat g Valerianus) ad furoris incitamenta & indicium sequuntur; nam & corrugare frontem pugnaturus cernitur, quod σκύζειν Græci dixere; & superciliorum contractionem ἐπισκύνιον vocant. Index autem pręcipuus est leonini animi cauda, perinde ac equorum aures, eaque proprie in leone dicitur alcea, quod præcipuum in ea robur constet: vel quod incitamentum quoddam sit ad assumendas vires, animumque commouendum: initio irarum terra flagellatur, increscente vero excandescentia terga etiam sua verberant: id ea de causa fieri putat Alexander Aphrodiseus, quod eorum anima vehementius moueatur, sitque vltionis admodum appetens. Ita cogitandum, serpentes, quod cupedia maxime solicitentur, & ipsorum anima vehemen-

g 1. Hierog. Leonis ad pugnam se parantis cõditiones.

tius moueatur ad appetendum alimentum, bifidam linguam vibrent celerius, vt expediant illius nexum, diuaricentque cacumina, quo duplici velut instrumento maiorem percipiant voluptatem ex concupiti nutrimenti sapore.

*De lingua viperina flagellatione, duritie, soliditateque, num alium vsum habeat, quam gustandi. Cap. XXVIII.*

INsuper dum addis, *Quid & flagellifera lingua? quidue cornea, vel saltem chartilaginea duritie? quali sane soliditate prædita longe alium quam gustandi sensum agnoscere videtur:* duo postulas, causam vibrationis, & duritiei linguæ viperinæ: de primo duas rationes nouissime retulimus: Quibus etiam adiungere tertiam poterimus, quæ respiciat aerem inspirandum; etenim quod Auicennas de dentibus & ore proponit afferens: a *Nutriens masticatione aliquam habet digestionem: superficies enim oris superficiei stomachi contigua existit; immo est ac si vna esset superficies; estque in eo virtus digestiua ex ipso; quumque masticatum tetigerit, aliqua ipsum conuersione permutabit. Et in hoc quidem auxiliatur saliua acquisita per digestionem, in qua cadit calor innatus; ideoque triticum masticatum in maturatione furunculorum, & exiturarum operatur; quod non operatur triticum aqua tritum; neque illud, quod cum aqua coquitur.* His proportionabilia dici possunt de lingua serpentum in habitudine ad tracheam & pulmones circa respirationem: scilicet aerem inspiratum antequam cor attingat, in pulmonum ramulis arteriæ digeri quadantenus, & alterari, ne crudus, vt ita dicam, & inalteratus cor læderet; at vero prodromam quandam aliam, ad instar masticationis, præparationem a lingua bifida sortiri; cuius celerrimo vibratu teritur, & aliqualem eo

a l. 1. f. 1. d. 4. c. 2.

mo-

motu suscipit alterationem, atque familiaritatem cum parte serpentis qua concutitur, vt non ita dissimilis existat amplius temperatura serpentis, vt erat antea; proptereaque sine noxa potest cor alterare: Quum autem serpens frigidiusculi temperamenti sit, adeoque raram admodum habeat respirationem; proinde linguæ flagelliferæ raro, sed celeri vibrata permouet, atteritque sibi aerem inspirandum. Quod autem attinet ad viperinæ linguæ duritiem, atque soliditatem, in primis ea tanta non est, quin optime valeat sapores percipere; siquidem quæ facillime flectitur in vibratu, & quum bifida sit, obtutui se trifidam ostentet celeritate motus; iam ea non est admodum dura; flexibilitas enim omnis est ab humido, sicuti durities a prædominante sicco. Præterea lingua durior, & sicca gustandi sensu pollere potest; quod porosa sit, vel cæcis meatibus, per quos ad interiorem neruulum gustandi perferantur apte sapores; ita dubio procul Aristoteles: [b] *Terrestrium autem ouiparorum sanguineorum pars maior linguam habet inutilem ad vocis officium, & adhærentem, & duram; quamquam ad saporum gustatum serpentes, & lacerti longam habent; vt ex paruo longe protrahi possit: bifida, & parte extrema capillamenti tenuitate est, propter suæ naturæ cupediam; duplex enim voluptas ijs capitur, quasi duplicem sensum gustandi habeant.* & mox: *Sed quum cibi gratia sensus saporis adhibitus sit, cumque non quauis parte sua lingua obtineat, sed extima potissimum; ideo piscibus particula hac tantummodo discreta habetur. Cibum autem quanquam animalia omnia cupiunt, vt quæ voluptatem ex cibo sentiant (cupiditas enim rei suauis est) tamen membrum, quod ad sentiendum accommodatum est, non omnibus simile datum est: sed alijs absolutum, alijs adhærens, videlicet ijs, quibus vocis defuit vsus: & alijs durum, alijs molle.* & infra: *Alia foris gerunt, velut aculeum*

[b] 2. de par. c. vlt.

*sun-*

*fungosum, & cauum, vt eo simul & gustare, & cibum trahere possint. Patet hoc in muscarum genere, & apum, & omnium generis eiusdem, atque etiam in nonnullis testatis, purpuris enim tantam obtinet vim hoc membrum, vt testas conchyliorum transigere valeat: velut turbinum, quorum esca capiuntur: nec non asili, & tabani eodem spectant; quorum alteri lingua adacta cutem hominum secant, alteri tergora etiam bestiarum elacerant. His igitur animalibus lingua talis natura tributa est, quasi respondens, & obuersaria nari elephantorum; naris enim illis adiumento est, & lingua his pro aculeo habetur.* Ex quibus duplicem h iurio quæsiti solutionem; altera quidem est, quod gustandi sensus non in omni linguæ parte, sed in apice tantum insit; quæ pars in lingua viperę dura non est, sed flexibilis, & mollis. Altera vero est, quod ad sensum gustatus in animalibus non officit linguæ durities, non solum quia tabani, & asili durissima lingua, perforantes cutem hominum & iumentorum, sed etiam testatorum purpuræ adhuc duriore perforantes durissimam conchyliorum testam, gustandi sensus participem linguam obtinent. Quinimmo quid in homine, quouisque viuente durius est humano dente? is etenim duritie summa sua resistit vnus putredini, carieique diuturnæ cetera corporis ossa labefactanti; nam Boccacius æuo suo repertum fuisse scribit in antro Siciliç cadauer Anthei gigantis, de quo post multa sic infit: *c Demum hominis statura tacta eque corruit, & in puluerem omnis fere versa est. Quem quum nonnulli tractarent manibus, tres dentes adhuc solidi comperti sunt monstruosæ grandiciei; ponderis autem erant trium rotulorum, idest centum communium vnciarum. Quos Drepanites in testimonium comperti gigantis, & sempiternam posteritati memoriam, filo alligauere ferreo, & suspendere in quadam Ciuitatis Ecclesia in honorem Annunciatæ Virginis edita, & eiusdem titulo insignita.*

c 4 Geneal. c. 68.

Quum

Quum autem experimento compertissimum sit, insignem istam duritiem non impedire quo minus dentes acerrimo dolore vexentur, adeoque sensu tactus præpolleant; vt obseruat etiam d Galenus; iam minor durities non impediet linguam pollere sensu gustatus in viperis, nam etsi duritiem aliquam obtineat, longe minorem tamen habent quam dentes humani: maxime quum gustatus a tactu non valde differat, sed sit quidam tactus, vt ait Aristoteles e non vno in loco. Dices forte dentes cum Galeno sensum exactiorem habere propter neruos molliores, qui dentibus inseruntur? esto: nonne gustatorij nerui possunt in linguam dentibus longe minus duram inseri, ac illi sensum gustandi conciliare? quid hoc impedit? At vero de duritie linguæ viperinæ percunctatus Veslingium nostrum, qui sæpius anatomen anguis administrauit; ab eo sic audiui: *Linguam viperarum chartilaginea duritie praeditam non deprehendi; finem tamen eius comperi in nerueam, seu tendinosam substantiam desinere; qui durior si foret, lubrico illo vibratu flecti, crispariue non posset. Chamaleontis lingua rigida quidem apparet, quoniam ab osse hyoide in longitudinem eius protenso processui, tanquam palo infixa est, tenacique visco circa extremum imbuta. Hanc itaque dum celerius veluti eiaculatur bestiola, minuta quaque insecta, duriore contactu pressa, & glutine illaqueata facile capit: in quo solertiam diuina illius rerum Magistra iure suspexerim.* Itaque nihil obest ad sensum gustus exercendum durities linguæ viperinæ.

d 16. de vs. par. c. 3.

e 2. de an. t. 101. 3. de an. t 63. de sens. & sens. c. 1. & 4.



### *De Monstro Dæmoniforme nuper orto prope Beneuentum.* *Cap. XXIX.*

QVod postremo loco mihi proponis explicandum, *monstrum scilicet non ita pridem ortum prope Beneuentum,*

tum,

*tum, cui prægrande caput, nullis ossibus, pulmonis instar molle, in medio fossulam habens, quæ tamen pulsu vicinarum partium æquabatur: nigris capillis, & longiusculis: In occipitio oculus erat sanguineus, ex quo continenter sanguis manabat. Frontes oculi omnino informes, vesicati, cærulei coloris: Facies humana: os concauum: inferius labrum naturale, superius vero per acumina distinctum, qualis crista galli gallinacei; eratque iunctum cum naso, quem catelio similem habebat. In superiore maxilla duo dentes, alter in dextera parte, alter in sinistra; erant autem hi cornei, seu chartilaginei, albi, intorti, quales in Dæmonum picturis spectari solent. Lingua minuta, quanta est passeris: rauca vox: pectus, & corporis reliquum humanum; nisi quod brachia, & manus habuit distortas, & inter femina applicatas, in quarum dextera septem digiti, in sinistra sex: in pedibus contra, sex in dextro, septem vero in sinistro. Vberibus admotus lac sugere non potuit, sed in os expressum potauit. Sacro fonte ablutus est: & hora a natiuitate vicesima quarta viuere desiyt:* Huiuscemodi monstrum, inquam, facile potuit habere causas illas, quas olim explicaui latius in libris editis *De monstrorum natura causis & differentijs*, a quas non est vt hic repetam: sat erit inde notasse, referri posse causam in parentum fortem imaginationem, in maleficæ nefarium cum incubo Dæmone congressum (quum Beneuentana ditio satis eo criminis genere famosa sit apud omnes) in prauam materni sanguinis dispositionem, facultati formatrici contumacem atque rebellem, in seminis imbecillitatem partes organizare bene nequeuntem; & partim etiam in materiæ superfluæ redundantiam: Quæ cuncta satis eo libro distincta, possunt huic monstro non difficulter applicari. De quo mihi suppetit adijciendum, id extitisse corpus insalubre simpliciter semper; cuius theoriam euidentem habemus apud Galenum in Arte Medicinali

a l. 2. passim.

scri-

ſcribentem: *b Inſalubre vero ſimpliciter eſt corpus, quod ab ipſo ortu natura vel in conſimilibus partibus malam habet temperaturam, vel in inſtrumentarijs incommoderationem, vel vtrumque vitium.* & mox: *Eſt vero & ſemper inſalubre, quod ex ipſo natura ortu vel peſſimam habet temperaturam in ſimplicibus & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his qua obtinent principatum: vel in inſtrumentarijs incommoderatum exiſtit: ſimiliter autem in his, vel omnibus, vel aliquibus, vel illis qua obtinent principatum.* Ego vero facile credidero monſtrum hoc adeo turpe, breuique vita donatum, inſaluberrimum corpus fuiſſe, quod ab ortu naturæ ſortitum ſit peſſimam temperaturam in omnibus fere partibus ſimilaribus, & peſſimam conformationem in omnibus inſtrumentarijs. Quæ quidem peſſima conſtitutio neceſſario conſequitur inſigne vitium in primis generationis principijs, quæ tria ſunt, ſanguis maternus, ſemen femineum, & virile ſperma. Vitium autem hoc eſſe potuit in mala temperie ſingulorum, & in abundantia nimia ſanguinis menſtrui morboſi, ac in mala qualitate ſeminum; etenim materiæ nimia moles, & indiſpoſita non poteſt ab actiuo principio, potiſſimum debiliore, ſubigi, beneque conformari; parteſque morboſis e primordijs male conſtructæ monſtroſum partum conſtituunt, & vitæ breuiſſimæ; vel eo quoque nomine, quia non poſſunt ad inuicem ipſæ mutuam ſibi opem exhibere; quum in conſtitutione naturali, ſicuti docet Hippocrates c aiens de natura partium bene ſe habentium ſic: *Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia. Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem vero, partes in vnaquaque parte ad opus: Principium magnum ad extremam partem peruenit; ex extrema parte ad magnum principium peruenit.* Quod videtur olim etiam Empedocles innuiſſe, citatus ab Ariſtotele dicente, *d Vbi igitur omnia acciderint,*

b cap. 5.

c lib. de alim.

d 2. phyſ. t. 76.

*rint, perinde atque si propter aliquid facta forent, ea quidem seruata sunt, a casu consistentia apte; quæcumque vero non sic, periere, pereuntque, quemadmodum Empedocles dicit ea, quæ prima hominem referunt, & taurum parte secunda.*

Hæc illa sunt, eximie Seuerine, quæ mihi venerunt ad calamum, scribenda de tuis nuperrimis Quæsitis: Tu ea boni consule, ac me ama. Vale. Dabam Patauij e meo Scaluminæ Museo. Idibus Decembris M. D C. X L V I.

*De causa producente terræmotum, Quæsitum.*
*Cap. X X X.*

Al Molto Illustre & Eccellentiss. Sig. mio Osseruandiss. il Sig. Fortunio Liceti Lettor dottissimo, & di prima Catedra di Medicina in Padoua.
Marc'Antonio Saoli felicità.

RIsuona da per tutto glorioso il nome di V. S. Eccellentiss. portato non sò s'io dica dall'ali della Fama, ò di Mercurio, sino alle più remote parti del Mondo. Egli è hormai fatto l'Arbitro di tutte le scienze; e pare che quel titolo menzogniere, falsamente attribuito alla vanità de' loro Dei, dalla superstitione antica, possa addattarsi à lei, che meritamente può chiamarsi il Consigliere, il Sententiere di questo nostro secolo, ch'eglino altrimente diceuano col nome di *Consus*, e di *Sentia prebendo consilia & sententias*, come dice S. Agostino. Gl'innumerabili Quesiti fattigli da' più rinomati huomini del Mondo, per tutta quanta la sfera di ogni scienza e dottrina, fanno di ciò pienissima fede; e mentre cattiuano gl'intelletti loro à creder ciò, che con l'euidenza delle ragioni sono à creder necessitati, vengono per così dire, à cedergli anco il Maiorasco. Bastimi hora il dire di vn glo-

glorioso Triumuirato di vn Paolo Arese di sempre dureuole fama, di vn Siluestro Pietrasanta, e di vn Luigi Nouarini; i quali due vltimi, vniti gli animi e le penne loro, scriuono caratteri d'immortalità, e s'ergono gloriosi trofei di gloria, mentre in tanto mugge l'Heretico peruerso & ostinato. Sò, che nè meno arriuo alla fimbria di huomini cotanto celebri; hò con tutto ciò sopra di loro il vantaggio di vna certa consanguinità, che ci arreca la Patria; nè mi mancano le ragioni di vna scambieuole amicizia, à cui mi condusse poco fà il mezzo del Signor Sebastiano Baldo Medico, così à lei, come à me singolarmente amico.

Vorrei per tanto imitar Diogene, che nei tumulti de' suoi Cittadini, non sapeua egli altro che fare, che dimenarsi nella sua botte, per parer ch'egli anco non si stesse otioso. Il Sig. Francesco Maria Spinola del fù Sig. Gio: Battista, Signori dell'Isola, à cui la Natura e la Virtù dieron con larga mano singolarissimi doni, mouerà egli questa botte, quando io non sappi dimenarla. E se bene egli non vuole spacciarsi per Filosofo, si fà però strada non solo à questa, ma ad altre scienze, con la sublimità del suo ingegno.

Le Rouine di Calabria gli dieron materia di filosofare sopra i terremoti vltimamente seguiti in quelle parti, ò pure il filosofare di Agatio da Somma, Autor da lui sommamente lodato, che di cotai terremoti scrisse vn brieue, ma distinto Trattato. Ma nelle cagioni non conuiene con Agatio il Sig. Francesco Maria, e gli pare che al ver non si apponesse, mentre porta per cagioni loro l'esalationi, che da fuochi sotterranei suscitate, col fomento di nuoue materie & alimenti, cercano di sprigionarsi dalle carceri e recessi, in cui sono racchiuse, si chè viene poi a scoppiarne la terra, per dar libera l'vsci-

ta à quei corpi, tenui sì, ma non poco possenti. Egli si sforza di riprouar quest'openione di Agatio (la quale stima essere la più commune, fondata sull'autorità di Aristotile, come pruoua con pari eleganza di stile e sodezza di ragioni il dottiss. P. Giulio Cesare Recupito della Compagnia di Giesù, nel suo Vesuuio) nè può creder per le ragioni che adduce, che tale sia la cagione di questi auuenimenti, e mouimenti prodigiosi. Le ragioni, ch'egli apporta per ribattere l'openione d'Agatio, don la scrib delle proprie parole, sono da parte nell'accluso foglio; come vedrà V. S. Eccellentissima.

Vuol poi tentar nuoua strada il Sig. Francesco Maria, e rintracciar nuoua cagione di questi terremoti: e prendendo somiglianza dalle mine di poluere, che da Soldati si adoprano per abbatter la durezza de' beloardi, ò per altra simile difenda, racchiusa in angusto luogo, subitamente appicciato il fuoco, scuote e rompe con mirabil violenza in più luoghi la terra, che al luogo dell'ascosa poluere è vicina; e questo non per altro, che per fuggir il vacuo; mentre, dic'egli, *la parte terrea, che pria la riempiua, sfauisce: il fuoco, che vi succede, mancatogli l'alimento, pur è annientato: l'aria sola, che potrebbe supplire, non può entraui, perche la strada del solo angusto spiraglio, occupata anche dall'accesa materia, glielo impedisce; douendo esser il medesimo quell'instante, che consumato il fuoco dessa all'aria l'ingresso* &c. Ritorna egli da questa simiglianza à terremoti; e vuole, che per ragione del vacuo, che rifugge la Natura, si scoppi in tal guisa la terra, mentre da fuochi sotterranei disposte *à poco à poco le parti vicine, prima ribelli, in modo che rasciugatolo l'humido, e accacciatone il freddo, e poi arso al secco & al caldo, lasciata sola la parte più aerea e spiritosa, le riduce come poluere ben raffinata, che in un tratto s'accendono, e si consumano. Risulta da ciò, che è uoto quello spa-*

*tio; che la detta accesa materia racchiudeua, restarebbe vuoto, se scotendosi la terra impetuosamente, & aprendo con tali scotimenti fessure e voragini, non riceuesse l'aere à riempirlo. Di modo che, tanto è falso, che la terra ne' terremoti s'apra per dar libero passo à vapori in lei racchiusi, che anzi ella lo fà per dar luogo all'aria, che sopra di essa s'aggira, à poter in lei internarsi, e proueder à di lei mancamenti.* &c. Sin qui scriue il Sig. Francesco Maria, i cui sensi ho voluto in parte ridire, rimettendomi à ciò, che nell'accluso foglio vedrà più à pieno V.S. Eccellentiss. il quale posto sul crucciuolo da V.S.E. sarà egli prouato, *tanquam aurum probatum in fornace*. Io per altro me le confermo deuotiss. & ambitioso ch'il Mondo sappi tutto, quanto mi reputi à gloria di esser amico e seruitore di V.S.E. à cui per fine prego ogni felicità. Di Genoua li 24. Maggio 1647.

Folium vero Illustrissimi Franc. Mariæ Spinulæ, perscriptum Illustriss. Marco Antonio Saulio, hæc habet ad verbum.

*Signor mio: In questi due giorni, che mi son trattenuto alla Villa, ho goduto col mezo de' fauori di V.S. la lettione del libretto d'Agatio da Somma, che tratta degli vltimi terremoti di Calabria. Mi è piacciuta sommamente la maniera di scriuere di questo Autore, il quale così bene hà vnito la leggiadria con la grauità del dire, e schiuando la superfluità de' periodi, non hà vrtato nello scoglio de' moderni, del parlar troppo conciso. Ci hauerei tall'hora desiderato manco abbondanza di quei concetti spiritosi, da quali è il parto così pienamente viuificato; acciò il souerchio brio non pregiudicasse punto a quella sodezza, che professa egli, anco nel racconto di terremoti. Dico certo a V.S. che nella lettura di essi, anch'io mi sono sentito internamente participar delle loro ruine; poiche quella quiete, che e per la lontananza dalla Città, e per la vista di vna nascente primauera, haueua preso di me totalmente il pos-*

*possesso; in vn tratto con violenta mutatione si cangiò nell'horrore di vna mestissima commiseratione; dalla quale solleuandomi col pensiero a rintracciar le cause naturali di tante ruine; hò poi osseruato, che l'Autore nel fine dell'opra le attribuisce alle secche esalationi, che imprigionate nelle viscere della terra, per trouar adito alla loro vscita, rompono gl'intoppi, che le rinserrano; portando per proua, la quantità de' fuochi sotterranei, che in quella Prouincia mostra l'euidenza essere racchiusi, di esse essalationi generatori. Quì, a dir il vero, non mi sono sodisfatto di tale opinione; anzi le sue ragioni m'hanno mosso a crederne vn'altra, che confidentemente partecipo a V. S. assuefatta a compatir le mie debolezze, & atta ad illuminar la mia ignoranza. E veramente non capisco io, come durando incessantemente ad arder quei fuochi nelle viscere della Calabria col fomento de' bitumi, e del Zolfo, & in conseguenza a prodursi continuate essalationi; & hauendo queste dall'altro canto i loro spiracoli incessanti, che si scorgono ne' Mongibelli, Vulcani, & altri luoghi, debbano poi in vn tratto abbondar in tal modo, che per vscire conuenga loro squarciar in cento parti la terra con ruine così violenti. Nè vale il dire, che potendo essere, che cresca tall'hora il fuoco in maggior quantità del solito, forse non bastino le vscite per le già dette bocche, onde altre ne siano necessarie; perche ò nuoue voragini vomitanti fiamme in altre parti si sarebbero viste alzarsi al Cielo, ò sorgerne dalla terra sdruscita i vampi visibili. E se si sono in tali occasioni aperte voragini, che mandauano fuora fetide essalationi di Zolfo, e corsi come fiumare al mare alcuni bagni pur di Zolfo, prima quasi inariditi, come accenna l'Autore; non ponno esser questi i semplici parti di vna Prouincia si grande, e che nel partorirli ha patito dibattimenti così gagliardi, & inalzate strida tanto spauentose; ma ben si effetti da tali sitoi patimenti proceduti; li quali nel voltar sossopra il terreno, hanno fatto vscir fuora quelle vene d'acque bi-*

tu-

*tuminose, che prima secretamente scorreuano, e scoperte le voragini, che auanti erano rinserrate; assorbendo all'incontro alcuni stagni, e fiumicelli, che prima teneuano la loro sede alla vista del Cielo. E sarebbe ciò un voler confonder l'effetto con la cagione, e prender per origine quel, che dall'origine deriua. Di più, se tali essalationi sono sottili, e spiritose, onde la loro vehemenza le inuiti a solleuarsi, non è dubbio, che ponno benissimo per i pori della terra vscendo, conseguir il loro fine, senza causar tanto disordine. E se sono manco tenui, e più graui, qual violenza così terribile le spinge, a lasciar il loro centro, & alzarsi all'aria? Di modo che, si come facilmente restarei persuaso, che nascondendosi nella terra grossa massa di fuoco materiale, anderebbe egli in tal maniera consumando à poco à poco la materia interposta, ò sia sasso, ò sia terra, fin che finalmente mandasse di sopra i suoi respiri; all'incontro, non sò ridurmi à credere, che tal fuoco possa in vn' instante percuoter in guisa tale il terreno, che per le centinara di miglia, egli così fortemente ne crolli con ruina di tante Città, e Castella, senza poi ch'altro segno della sua vscita si scorga, che qualche pozzi ò fonti di bitume, ouero nubi leggierissime d'odor zulfurco, e cose simili, anche assai presto suanite.*

*Internandomi dunque maggiormente ad indagar la verità di questi ascosi secreti di natura, m'è souenuto, che per la somiglianza, c'hanno con i terremoti le mine di poluere, che si adoprano da Soldati ò per abbatter la durezza de' beloardi, ò per appianar le rupi più inaccessibili, si possa col penetrar la vera cagione, che induce vn tal operar violento in esse, raffigurar ancora da che deriui proportionatamente il violentissimo impulso de' primi. È la poluere d'archibugio vna compositione di materia calda, e secca in supremo grado. Onde resta ben habile à riceuer la qualità del fuoco, ma non à mantenerlo, come priua in tutto del freddo e dell'humido, qualità, che opponendosi alle due prime con l'andar resistendo all'attiuità del fuoco*

fan-

*fanno, ch'ei più lungamente dura, perche più tardi arriua à prenderne il libero possesso. Hor questa poluere ristretta nelle concauità secrete di sassoso colle, senz'hauer alcun spiraglio fuor che quel picciolissimo, che le vien lasciato al di fuori pur di poluere ripieno per poter d'iui attaccarle il fuoco; mentre s'accende, tanto in vn subito, e con tal velocità s'accende, che nel medemo istante consumata se stessa ne segue, che quella concauità resterebbe vuota affatto, se la natura pronta proueditrice non vi accoresse con violento sì, ma efficace rimedio: douendo esser il medemo quell'istante, che consumato il fuoco desse all'aria l'ingresso. Hor, come dissi, la natura, che nimica del vacuo, dalla cui Tirannide fu nel principio del mondo liberata per la voce dell'Onnipotente, non può sopportarlo ne pur vn atomo di tempo dou'ella hà la sua Reggia, fà che la terra, che la già detta concauità circonda, con graue tremore spezzandosi, e squarciando il seno, dia per esso adito all'aria ambiente come più espedita à riempirla. E così mette violentemente in concerto ciò, che pur violentemente era stato sconcertato. Hor io dico, tornando sù l camino intermesso, che sendo verissimo, che in molti de' più cupi seni della terra siano rinserrati grandissimi fuochi, e più in vna parte, che nell'altra, secondo che v'è materia più proportionata al loro alimento: à segno che molti sublimi ingegni, non ammettendo sopra la sfera dell'aria quella del fuoco, quest'elemento nel centro della terra han riposto; ne segue, ch'esso col suo calore continuato, & attiuità viuacissima và disponendo à poco à poco le parti vicine, prima ribelli, in modo che rasciugatole l'humido, cacciatone il freddo; e poi anco al secco, & al caldo lasciata solo la parte più aerea e spiritosa, le riduce come poluere ben raffinata, che in vn tratto s'accendono, e si consumano. Risulta da ciò, che tutto quello spatio, chè la detta materia accesa racchiudeua, restarebbe vuoto; se scotendosi la terra impetuosamente, & aprendo con tali scotimenti fessure, e voragini, non riceuesse l'aere a riempirlo: Di*

*mo-*

*modo che tanto è falso, che la terra ne' terremoti s'apra per dar libero il passo à vapori in lei rinchiusi, che anzi ella lo fa per dar luogo all'aria, che sopra di essa s'aggira, à poter in lei internarsi, e proueder à' di lei mancamenti. Nè deue con questo parer strano, che per tanto spatio di paese s'agiti e tremi il terreno, perche quanto più vicino al centro del terrestre globo tali fuochi s'accendono, à parti anco più lontane dalla circonferenza communicano i loro effetti: e quanto è maggior lo spatio interposto trà l vacuo introdutto dal fuoco, e l'aria, che deue riempirlo, maggior forza e violenza conuien ci adopri la natura; acciò ad onta d'ogni impedimento possa instantaneamente prouederci. E qual'altra forza, che quella di natura, stuzzicata da vn nemico suo così giurato com'è il vacuo, potrebbe mai senz'interuallo alcun di tempo far ondeggiar mobili vastissime campagne, seccar i laghi, & i fiumi, tremar i più saldi monti, assorbir le Città intiere, e quasi introdur nel Mondo quel primo Chaos, che da Dio ne fù sbandeggiato? E perche tal volte seguendo tali incendij ne' seni della terra, contigui à quelli del mare, può l'acqua con maggior prestezza alzarsi ad empir il vacuo, che calarui l'aria assai più lontana; si son visti, come attesta il medesimo Agatio, sorger dall'apertura delle campagne gorghi d'acque in quantità, ma di breue durate, che hanno portato seco moltitudine di bianchissime arene miste d'alga marina, e di minute scheggie di legni naufragati: tutta materia per la già detta ragione, solleuata da' fondi del mare per proueder a i subiti bisogni della terra. E perche questo Autore mostrando, che della stessa natura sono il tuono, & il terremoto, vuole, che l'essalation secca inuiluppata nella seconda region dell'aere trà la densità delle nubi, per suilupparsene si vada dibattendo, e combattendo, finche auampi in fuoco, e stracciando le nubi prorompi in lampi, e scoppi in tuoni; Io ancora seruendomi della stessa similitudine, ma di assai differenti ragioni, prima direi à lui, qual sia lo stimolo, che muoue*

*l'essalatione tanto violentemente à sulupparsi dalle nubi, poi ad accendersi, e finalmente à precipitar violentemente sù la terra, di doue così lentamente s'era partita. Poi soggiungerei, che tali essalationi à poco à poco solleuate dal Sole, e dalla lor propria attinità nell'aria, & iui ammassate insieme, se quando circondate all'intorno dal corpo denso delle nubi più materiali, sono poi dà raggi ardenti del Sole accese, ardendosi in vn tratto quelle secchissime materie; perche non resti il vacuo in quelle concauità, da per tutto rinserrate, come dissi, dalla densità de' grossi vapori, si spezza ella violentemente, acciò vi si possa introdur l'aria; e disfattesi in lampi quelle essalationi più spiritose, piombano poi velocemente in terra fatti fulmini l'altre più rassodate e graui. Ma perdonimi V.S. queste mie hormai tediose ciancie, e mi fauorisca poi de' suoi più sostantiosi sentimenti, acciò non mi spauenti nell'auenire dal confessarle la mia insufficienza, e non mi priui del beneficio di vederle da lei andar correggendo: E con tutto l'affetto le b. l. m. Quarto, &c.*

## LICETVS:

Optassem Quæsitum Latine versum pro Viris exteris Italica non audientibus; verum quia neque mihi tempus vertendi nunc adest occupatissimo; neque Viris Illustrissimis eius Autoribus idioma placuit in proposito præter Italicum; cogor & ego vernacula lingua scriptum & Quæsitum, & responsum Typographo cudendum mittere; quod boni consulent exteri Studiosi: quibus id minus graue futurum spero, quod apud omnes fere nationes literarum cultrices Italicum idioma iam ignorabile non est.

*Resp.*

*Resp. Liceti de Terramotus causa & origine propositis ab Illustrissimo Viro: deque propria sententia propositi.*
*Cap. XXXI.*

All'Illustriss. Sig. Marc'Antonio Saoli, del fù Sig. Paolo, Splendor dell'ordine Patritio in Genoua.
Fortunio Liceti F.

VOrrei esser in quel posto del Sapere, nel quale la somma beniuolenza di V.S. Illustriss. si figura di vedermi; perche cosi lei hauerebbe vn seruidore proportionato alli meriti delle sue gran virtù; Ma qualunque io mi sij, & à lei paia, mi pregio però più che molto di essere da lei stimato degno del suo affetto, & giudicato non inetto à sciogliere gl'intricati nodi delle cagioni del terremoto; nell'inuestigatione, ed esplicatione de' quali tanto in ogni secolo hanno sudato i più sublimi letterati del Mondo. Co' quali gareggiando V.S. Illustriss. si come auuera il detto di Platone, che in vn corpo bello non alberga se non anima parimente di bellezze riguardeuoli fregiata; cosi si rende non solo degno pronepote del B. Alessandro Saoli, Vescouo prima in Corsica, e poscia di Pauia; ma anche dilettissimo Genero del fù già Serenissimo Doge di Genoua LVCA GIVSTINIANO, adesso Procurator perpetuo della Republica. La sublimità poi dell'intelletto dell'Illustrissimo Sig. Francesco-Maria Spinola si scorge nell'opinione, ch'egli apporta della cagione del terremoto cosi distinta & ingegnosa; che senza di hauer ei fatto studio particolare di Filosofia ne' libri d'Autori Classici, non meno altamente và filosofando in questo proposito, che si facessero due, da S. S. non forse veduti, principalissimi

Filosofi, Democrito & Anassimene, presso di Aristotile sempre molto stimati; poi che quasi l'istessa ragione in parte adducono del terremoto, che il Sig. Spinola: dicendo loro anche cagionarsi dal vacuo in certo modo, come riferisce lo stesso Aristotile con queste formali parole: *a Democritus autem ait terram, plenam aqua existentem, & suscipientem multam aliam pluuialem aquam, ab hac moueri. Amplior enim quum fit, quia non possunt suscipere cauitates, vim inferentem facere terræmotum. Et quum exsiccatur, & trahitur in vacua loca ex repletioribus, transiens inuadendo mouere. Anaximenes autem ait irrigatam terram, & exsiccatam rumpi, & ab his ruptis verticibus incidentibus concuti. Quamobrem fieri terræmotus in siccitatibus, & iterum pluuiosis*. Parimente riferisce il Sig. Francesco-Maria la cagione del terremoto nella consumatione, suanimento, & annihilatione (per vsare questo termine scolastico) dell'humido; alla quale seguirebbe il vacuo, dalla natura sempre abhorrito; se non si spezzasse scuotendosi la terra per ingoiare l'aria di sopra, in riempimento del luogo, che pria teneua l'humido consumato, e com'egli dice suanito, & annientato. Anzi che secondo la positione del Sig. Fran. Maria, molto più euidente appare, & molto più vniforme la cagione del terremoto, che nelle positioni di Democrito, & Anassimene. Nè senza fondamento rigetta il Sig. Fran. Maria l'opinione di Agatio, da lui citata, e da me non veduta in fonte; che se quell'Autor vuole farsi questa passione del terremoto dalle essalationi sotterranee, che semplicemente si sforzino per loro natia leggierezza di salire in alto, & isprigionarsi dalle basse cauerne della terra; ma non hauendo pronta l'vscita, se la procurino coll'ispezzar violentemente la soprastante terra; il che non possono fare se non agitandola, e scuotendola: bisognerebbe

a 2. meteo. su. 3. c. 1.

*Opin. commun. refut.*

che

che sempre fussero terremoti, doue sono essalationi sotterranee, che non habbino aperta l'vscita; il che sarebbe molto più spesso, & in molto più luoghi di quello si faccia. Anzi che non mai riferisce Aristotile la causa de' terremoti nella leggierezza delle esalationi, nè semplicemente nella loro tenuità e sottigliezza, ma si bene nella moltitudine e copia grande di esse, mentre vuole che la sottigliezza loro sia contraria al terremoto, dicendo; *b Prauenit autem sonus motum, quia subtiliorum partium est; & quia magis per omnem penetrat sonus, quam spiritus. Quum autem minor fuerit, quam vt moueat terram, propter subtilitatem, propterea quod facile quidem penetrat, non potest mouere*. Sendo dunque l'essalatione, che cagiona i terremoti più grossa dell'aria, nella quale consiste il suono, per detto di *c* Aristotile; non hà essa tanta propensione all'ascendere, & ad inalzarsi fuori della terra, che debba per ciò violentissimamente scuoterla, ed ispezzarla. Di più siano l'essalationi sotterranee sottili, e leggiere; niuna necessità loro si porge di scuoter & ispezzar la terra, mentre in essa ritrouano luogo capace della loro quantità; poiche possono in quello rinchiuse dimorare, se bene contra la loro naturale inclinatione quiui tenute a forza. Ma non per tanto io posso conuenire nell'opinione del Sig. Fran. Maria, che riferisce la cagione del terremoto nella fuga del vacuo imminente per l'annihilatione, suanimento, e total consumatione della materia contenuta nelle viscere della terra. Et ciò non solo perche non sempre si fà il terremoto doue ardino fuochi sotterranei atti a consumar le materie; scriuendo Aristotile, che in Achaia seguì terremoto dal vento spinto nella terra, e prohibito all'vscir fuori dal mare, mentre dice: *d Vbi autem simul cum terræ motu fluctus factus fuerit, causa, quando contrarij facti fuerint spiritus. Hoc autem fit, quum* agi-

b 2. meteo. su. 3. c. 2.

c 2. de an. t. 79. & seqq.

*Opin. Spin. notata.*

d loc. cit.

*agitans terram spiritus, quod fertur ab alio spiritu mare repellere quidem omnino non possit, propellens autem, & coarctans in idem, congregauerit multum; tunc enim necessarium est, victo hoc spiritu, simul multum pulsum a contrario spiritu erumpere, & facere diluuium. Fuit autem factum hoc & circa Achaiam; extra enim erat Auster, ibi autem Boreas: tranquillitate autem facta, & fluente intro vento, factus fuit & fluctus, & terræmotus simul: & magis propterea quod mare non dabat perflationem impetum facienti sub terra spiritui, sed obstipabat: vim enim inferendo inuicem, spiritus quidem terræmotum fecit; subsidentia autem fluctus diluuium.* Ma molto più, perche non si può riceuere l'annientarsi corpo alcuno, nè consumarsi, od isuanire totalmente materia, che pria riempiua il luogo sotterraneo; posciache si come di niente la Natura non può produr alcuna cosa; sendo tra'l niente, e ciascheduna cosa, per picciola, e vile ch'ella si sia, vna distanza infinita; tanta distanza non può superarsi che dalla infinita potenza di Dio; nè in modo alcuno da causa naturale, la cui virtù sendo limitata e finita, non ha proportione veruna coll'infinita distanza tra'l niente, e la realità del corpo; la qual distanza si dee superare nel produr'alcuna cosa di niente: Così niuna cosa naturale sussistente, sia fuoco, terra, od altro corpo, si può naturalmente ridurre al niente; ma sempre ciascheduno corpo per la sua corrottione si conuerte in vn'altro corpo, che può riempire l'istesso luogo del primo. Et in vero la virtù, che riduce vn corpo al niente, deue esser infinita; percioche deue superare parimente la distanza, che si ritroua infinita frà la realità della sostanza corporea, & il niente. Sendo dunque la possanza di ciascheduna causa naturale finita, e limitata, non può la Natura in verun modo ridur alcuna cosa al niente, consumandola sì fattamente in tutto, che resti vacuo quel

quel luogo, qual prima conteneua detta sostanza. Di più conseruando Dio Massimo, come causa vniuersale tutte le cose nell'esser loro; sendo solo Dio l'Essere per essenza, & ogn'altra cosa hauendo l'essere per participatione, in quanto essa viene da Dio conseruata nell'essere, che Dio stesso gli hauea nell'origine di lei communicato; già non può cos'alcuna annientarsi, se non sottrahendosi dalla sua conseruatione l'aiuto, e manutentione, per così dire, della prima causa vniuersale, che tal cosa in essere sostenta: Non potendo adunque causa veruna seconda sottrahere, nè rimouere la mano di Dio, nè l'aiuto della prima causa dalla conseruatione delle cose nell'esser loro, nè dalla partecipatione dell'esser diuino; già fermo stà, che nessun corpo si può ridurre al niente da cagion naturale. Di questa partecipatione dell'esser diuino nelle cose tutte, & della conseruatione delle cose nell'esser datogli da Dio nella loro generatione, chiaramente parlò Aristotile, mentre disse: e *Hoc autem rationabiliter contingit: Quoniam enim in omnibus inquimus quod melius est desiderare naturam semper: melius autem esse, quam non esse: esse autem quot modis dicimus, in alijs dictum est: hoc autem in omnibus impossibile existere, propterea quod longe a principio distant: reliquo modo compleuit totum Deus, continuam faciens generationem.* & altroue: f *Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum: animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper; & diuino participent, secundum quod possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcumque agunt secundum naturam.* g *Ipsum autem cuius gratia duplex est: hoc quidem cuius, illud vero cui. Quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino continuatione, propterea quod nihil*

e 2. de gen. t. 59.

f 2. de an. t. 34.

g tex. 35.

*hil contingit corruptibilium idem, & vnum numero permanere, secundum quod potest participare vnumquodque, sic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus; & permanet non ipsum, sed quale ipsum: numero quidem non vnum, specie autem vnum.* In oltre la Natura suole sempre operar con la maggior facilità, & breuità di tempo, e con minore sconcerto delle cose, & violenza che può; posciache sempre desidera il meglio in tutte le sue operationi: Hora dato, e non concesso, che nelle viscere della terra per qualche cagion naturale (il che però non si può far assolutamente) si annientasse qualche sostanza materiale, e quindi fusse pericolo d'introdur il vacuo nel luogo da quella già occupato; dir dobbiamo che per ischifarlo, la natura con più facilità, in più breue tempo, senza squarciar la terra, o subissar le città, e tormentar le prouincie intiere, sarebbe ristringere in se stessa la terra, e discendere verso il centro con mouimento suo naturale la parte di essa terra vicina e soprastante a quel luogo, che per l'annihilatione di quel corpo si euacua; congiungendo le pareti di quel seno insieme. Nè la somiglianza delle mine militari, ò lo scoppio e spezzamento degli archibugi, ● bombarde troppo cariche, con li terremoti, mi possono persuader la fuga dell'imminente vacuo, fondamento dell'opinione del Sig. Franc. Maria; ma più tosto la fuga della contraria troppa pienezza, che togliendo l'equalità frà il luogo, & il corpo contenuto, & inducendo la penetration de' corpi, violenta la natura à così strani sconuolgimenti della terra. Poi che concederò facilmente che'l terremoto si faccia da somigliante cagione, ed anco in simigliante guisa, che lo abbattimento de' beloardi nelle mine militari, aggiungo ancora che lo spezzamento delle bombarde, & archibugi troppo pieni di poluere; ma in ciò non mi pare che habbia luogo l'introdut-

troduttione, ò la fuga dell'imminente vacuo; ma più tosto il contrario, che è l'abhorrimento della penetratione de' corpi nella troppa pienezza, e la fuga del luogo minore del corpo, che si deue in esso contenere. Nelle mine dic'egli, *la parte terrea, che pria la riempiua, suanisce*; questo suanimento non è riduttione di quella parte terrestre al niente, in modo che resti quel luogo vacuo; ma quella parte terrea, che riempiua la mina, non è altro che la poluere; questa poluere preso fuoco, non si riduce al niente, ma si conuerte per accendimento in fiamma, questo fuoco di fiamma, in cui si è conuertita la poluere, non è, come si dice, *annientato per mancanza di alimento*; ma sendo la fiamma non altro che fumo ardente, & essalatione accesa, come dice Aristotile: *b Confessa autem & sensui ignis generatio; maxime enim ignis flamma; hac autem est fumus ardens: fumus autem ex aere & terra.* & altroue: *i Est enim flamma spiritus sicci ardor*. essendo dunque la fiamma fumo ardente, & essalatione accesa, per qualche sua densità, visibile, mentre suanisce dagli occhi non si annienta, ma si conuerte in materia e sostanza di fuoco più rara, tenue, sottile, e perciò inuisibile; per il che suanisce dalla vista sì, ma non già dalla entità reale delle cose, nè si riduce al niente. Hora perche la polue militare, di sostanza densa e terrea, che riempiua il luogo della mina, mentre si conuerte in fuoco, diuenta molto più rara sostanza, e perciò di maggior dimensione, e di più ampia grandezza; questo fuoco di fiamma, in proportione più di mille volte maggiore, che la polue (si come in altri *k* Quesiti dimostrai, rispondendo al Signor Galilei) richiedendo in vn subito generato, molto maggior luogo di quella cauità, nella quale si conteneua la poluere, rompe con violenza la terra, per hauer luogo decente, proportionato, & eguale alla sua

b 2. de gen. t. 28.

i 1. meteor. su. 2. c. 1.

k l. 2. c. 12. 14.

dimensione nelli spatiosi campi dell'aria, nelli quali esalando con impeto, squarciata la terra, se ne vola. Altrimenti per riempire quel poco di vano basterebbe che la terra in se stessa rientrasse, si abbassasse, si accosciasse, & alquanto si ristringesse. Così vediamo che li archibugi, quando scoppiano per essere troppo carichi di poluere, mentre quella in fuoco si conuerte, per la rarità di questo tenendo necessità presentanea di molto più ampio luogo, che non è la cauità del metallo, violentemente spezzati si rouesciano per di fuori, dando così luogo all'vscir della fiamma: che per ischifar il vacuo in essa canna, bisognerebbe che il ferro si ristringesse in dentro, accosciando, & congiungendo le superficie interiori fra di loro. Così dunque per essere la positione del Sig. Franc. Maria tutta fondata sù l'annihilatione di vna sostanza corporea, che induce il vacuo, ò minaccia d'indurlo, pare a me, che sia più tosto ingegnosa, che vera; non potendosi, per le ragioni addotte, da forza naturale ridursi al niente cosa veruna sussistente. Nè mi pare, che in questo particolare ci dobbiamo scostar punto dalla positione di Aristotile, che vuole il terremoto generarsi da vento in troppa quantità rinchiuso nelle anguste cauità della terra, che si fà con violenza strada per hauer luogo eguale alla sua grandezza, nè s'introduchi la penetratione de' corpi: poi che fà di mestieri, per indurre il terremoto, che nelle viscere della terra si generino, ò si portino d'altronde l'esalationi ventose in tanta quantità, che non sia colaggiù luogo eguale, nè proportionato alla loro grandezza, atto a capirle; percioche deue sempre il luogo essere capace alla grandezza in essò contenuta, e totalmente proportionato ed eguale; non mai maggiore, nè minore; non maggiore, perche si darebbe il vacuo fra il corpo continente, e'l contenuto: non minore,

*Opin. vera.*

per-

perche altrimenti si darebbe la penetratione di due corpi, ò di due parti corporee; & si porrebbero due sostanze corporee in vn luogo solo capace non più che di vna di loro. Rifuggendo sempre dunque la Natura non meno la penetratione de' corpi, che la presenza del vacuo; e non tolerando che luogo si dia, nè senza corpo alcuno contenuto, al tutto vacuo; nè che altro corpo contenghi fuor di quello, che lo può riempire; per ischifar l'vno, e l'altro, si fanno dalla Natura merauigliosi, e prodigiosi effetti nelle cose materiali; frà i quali ottiene principalissimo luogo il terremoto. Piace al Sig. Franc. Maria di riferirlo nella fuga dell'imminente vacuo, come si è veduto; Piace ad Aristotile (la cui dottrina io giudico essere la vera) di riferirlo nell'abhorrimento della penetratione de' corpi, ò sia (che è lo stesso) nell'introduttione di nuouo corpo in luogo totalmente di altro corpo ripieno, ò pure (che è lo stesso dogma) nell'introduttione di vn corpo maggiore in vn luogo minore: poiche vuole che il terremoto si generi da vento in gran quantità rinchiuso nelli seni della terra, mentre accumulandosi in maggior mole che in essi possa esser contenuta, squarciando la terra, si fà strada a luogo capace della sua grandezza. Mentre dunque l'essalationi sono prodotte, od intruse in maggior quantità di quella che può essere contenuta in quelle cauità terrene; siano dette essalationi ò ignee, ò aeree, ò terree, come sono li venti, da' quali per il più far si sogliono i terremoti, come chiaramente si vede per esperienza, che in essi non si osserua sempre vscir essalationi di fumo, ò fiamme, ma si bene spesso di venti, che sono in questo proposito chiamati da Aristotile col nome di spirito, fiato, e vento; & detti cagionar il terremoto per la loro gran quantità, che non può capire in quelle angustie della terra: *Sed quoniam*, 

2. meteor. su. 3. c. 2.

Ee 2 di-

dice lui, *manifestum est, quod necessarium & ab humido, & a sicco fieri exhalationem; necesse est his existentibus fieri terræmotum. Existit enim terra per se quidem sicca, propter imbres autem habens in seipsa humiditatem multam, vt & a Sole, & ab eo qui in ipsa igne incalescens, multus quidem extra, multus quoque intra fiat spiritus* (ecco qui assegnata per causa del terremoto, non la leggierezza, ò calidità delle esalationi, ma si bene la moltitudine loro; & chiamate queste col nome non di fumo, ma di spirito, che è fiato, e vento, generato nelle viscere della terra dal fuoco, che vi risiede; & fuori della terra, dal calor del Sole, che ambidue operano nella secca sostanza di essa terra) *& hic spiritus* ventorum *aliquando quidem continuus extra fluit omnis* (quando troua strada patente fino alla superficie esteriore della terra) *aliquando autem intro omnis* (quando non ha spiraglio aperto, per cui possa nell'aria di sopra liberamente peruenire) *aliquando autem & partitur* (mentre vna parte di quello non troua l'esito dalla terra nell'aria di sopra, e l'altra lo troua) *si itaque hoc impossibile sit aliter se habere; quod post hoc considerandum vtique erit, quale maxime motiuum erit corporum: necesse est enim ad plurimum natum ire, & vehementissimum maxime tale esse* (già qui si riferisce la vehemenza grandissima dello scuoter la terra nella gran copia del vento veloce, in esso contenuto, mentre dice, *ad plurimum natum ire*, non la leggierezza, ò calidità somma, che consumi) *vehementissimum igitur est ex necessitate, quod citissime fertur; percutit enim maxime, propter velocitatem* (la qual velocità gli viene, perche tiene necessità di hauer subito luogo eguale alla sua grandezza, e se lo procaccia presentaneamente) *Ad plurimum autem natum est pertransire, quod per omne ire maxime potest; tale autem est, quod subtilissimum* non assolutamente, ma in riguardo all'acqua, & alla terra,

ra,

ra, si dice il vento sottilissimo; del quale l'aria, & il fuoco semplice, & altre essalationi sono corpi più sottili; mentre il vento partecipa di qualche terrestre portione, che è cagione che non ascenda per diritto, ma si muoua transuersalmente verso la terra; il che anche consta da ciò che soggiunge il Filosofo) *Quare si quidem spiritus natura talis est, maxime corporum spiritus motiuus est, etenim ignis quando cum spiritu fuerit, fit flamma, & fertur celeriter. Non igitur aqua, neque terra, causa erit vtique motus; sed spiritus, quum intro forte fluxerit, qui extra exhalat.* (Ma che cotal vento non faccia terremoto, se non quando si ritroua nelle viscere della terra in tanta quantità, che colaggiù non habbia luogo di se capeuole, nè strada aperta per vscir all'aria, subito lo dice Aristotile) *Quapropter fiunt tranquillitate plurimi & maximi terræmotus; continua enim existens exhalatio, sequitur vt in pluribus impetum principij; quare aut intro simul, aut extra fertur omnis* (poi che mentre l'aria è senza venti sopra la terra in tranquillità, fà di mestieri che l'essalatione ventosa, che di continuo si genera da fuochi sotterranei, non troui aperto l'esito all'aria di sopra; e perciò si accumuli tutta in grandissima quantità dentro la terra: doue scorrendo, se può incontrare in qualche cauerna di se capace, si và mouendo nelle viscere della terra con far muggiti, & anco talhora terremoti senza rottura, mentre và correndo per longa strada a tale cauerna; ma se non troua luogo, nel quale possa capire dentro la terra, con impetuose scosse la dimena, & isquarcia, e finalmente dalle fatte aperture se ne vola nell'aria. Ma minori sono li terremoti, quando l'essalatione ventosa non è in tanta copia, e parte resta nella terra, e parte troua la strada per vscir fuori nell'aria, doue soffia; il che subito confessa Aristotile) *Quosdam autem fieri terræmotus & flatu existente* supra

ter-

terram in aere, *nihil irrationabile; videmus enim aliquando simul plures flantes ventos; quorum quum in terram feratur alter, erit flatus existente terræmotu. Minores autem hi magnitudine fiunt, propterea quod diuisum est principium, & causa ipsorum.* ( si che l'origine del terremoto prouiene da essalatione di vento, che non ha esito per vscire da luoghi sotterranei, nè luogo nelle viscere della terra proportionato alla grandezza di tal essalatione. Anzi che dall'aria intruso il vento nella terra, e prohibito di quindi vscire, congiunto con quella, che di continuo dentro essa si genera, per la sua soprabondanza produce facilmente il terremoto, come soggiunge Aristotile dicendo ) *Nocte autem plures, & maiores fiunt terræmotus. Qui autem die, circa meridiem; tranquillissimum enim est vt in pluribus dici meridies. Sol enim quum maxime dominatur, dissoluit exhalationem in terram; dominatur autem maxime circa meridiem. Et noctes etiam diebus tranquilliores sunt, propter absentiam Solis; quare intro fit iterum fluxus, sicut recursus in contrarium eius, quæ extra fit, effusionis. Et ad diluculum maxime: tunc enim & flatus nati sunt incipere flare. Si igitur intro extiterit permutatum principium ipsorum, sicut Euripus, propter multitudinem, fortiorem facit terræmotum* ( doue appare che la causa del terremoto sia la moltitudine delle essalationi ventose) *Adhuc autem circa loca talia fortissimi fiunt terræ motuum, vbi mare fluxibile est, aut regio laxa, & subantrosa. Quapropter & circa Hellespontum, & circa Achaiam, & Siciliam, & Eubœam: circa hæc enim loca videtur per angustum fluere sub terram mare. Quapropter & calidæ Balneæ, quæ circa Aedepsum, a tali causa factæ sunt. Circa autem dicta loca terræmotus fiunt maxime, propter angustiam spiritus; spiritus enim factus vehemens propter multitudinem maris, quod multum affertur, repellitur iterum in terram, qui natus erat effluere ex terra. Regiones-*

*nesque, quæcumque laxa habent, quæ subtus sunt, loca, multum suscipientes spiritum, concutiuntur magis.* (ecco dunque la causa del terremoto assegnata dal Filosofo, gran moltitudine di vento rinchiuso in anguste cauità della terra, & impedito ad vscir fuori. Il che và replicando Aristotile, & confermando con altre ragioni, & esperienze, che non sarà disdiceuole di riferire) *Et vere autem, & autumno maxime, & in pluuijs, & in siccitatibus fiunt, propter eandem causam; tempora enim hæc maxime spirituosa: æstas enim, & hiems, hæc quidem propter gelu, illa autem propter æstum facit immobilitatem: hæc enim valde frigida est, illa autem valde sicca. Et in siccitatibus quidem spirituosus aer; hoc ipsum enim est siccitas, quando amplior exhalatio sicca facta fuerit, quam humida. In pluuijs autem, eo quod amplior fiat intus exhalatio, & eo quod intercipitur in angustioribus locis, & compellatur in minorem locum talis segregatio, repletis concauitatibus terræ aqua: Quum enim inceperit dominari, eo quod multa in paruum locum comprimatur, fortiter mouet fluens ventus, & offendens* (certo che non si poteua più chiaramente dire, che'l terremoto fosse prodotto da moltitudine di vento, rinchiuso a forza in luoghi angusti della terra non capaci di così grand'essalatione. Il che ancora con somigliante passione fatta dal vento flatuoso nel picciol mondo và subito dichiarando il Maestro di color che sanno, mentre soggiunge) *Oportet enim intelligere, quod sicut in corpore nostro & tremorum, & pulsuum causa est spiritus, qui intercipitur, virtus; sic & in terra spiritum similia facere: & hunc quidem terræ motuum velut tremorem esse; illum autem, velut pulsum. Et sicut accidit sæpe post mistionem (per corpus enim fit velut tremor quidam, quum transfertur spiritus deforis intro simul totus) talia fieri & circa terram. Quantam autem habeat spiritus virtutem, non solum ex ijs, quæ in aere fiunt, oportet speculari (hic enim pro-*

pter

*pter magnitudinem existimabit vtique aliquis talia posse facere) sed & in corporibus animalium. Tensiones enim, & conuulsiones, & spiritus quidem sunt motus: tantum autem robur habent, vt multi simul tentantes vi tenere, non possint dominari motui ægrotantium. Tale itaque oportet intelligere fieri & in terra, vt comparetur ad paruum maius.* ( Per il che non si deue por dubbio che'l vento nella terra rinchiuso habbia forza di scuoterla,& far horribili terremoti grandissimi. Ma che del terremoto sia cagione il vento, che dalle carceri della terra tenti sprigionarsi, ne rende subito vn euidente segno Aristotile, con dire ) *Signa autem horum ad nostrum sensum facta sunt: Iam enim terræ motus in quibusdam locis factus, non prius desijt, quam quum eruperit in eum, qui est super terram, locum, manifeste, tanquam procella, exierit, qui mouit, ventus: quale & circa Herculeam, eam, quæ in Ponto, nuper factum fuit: & prius circa Sacram insulam; hæc autem est vna vocatarum Aeoli insularum. In hac enim intumuit aliquid terræ, & ascendit velut collis moles cum sono: tandem autem rupta, exiuit spiritus multus, & fauillam, & cinerem eleuauit; & Liparæorum ciuitatem, existentem non longe, omnem incinerauit; & ad quasdam in Italia ciuitatum venit; & nunc adhuc, vbi exufflauit, manifestum est: etenim facti ignis in terra hanc putandum est esse causam, quum decisus accensus fuerit, primo in parua dissecto aere. Coniectura autem est quod fluant sub terram spiritus, & quod fit circa has insulas, quum enim ventus futurus est flare Auster, præsignificat prius; sonant etenim loca, ex quibus fiunt exufflationes, propterea quod mare propellatur iam de longe; ab hoc autem, quod ex terra exufflatur, repellatur iterum intro, quæ quidem superuenit mare, hac. Facit autem sonum sine quassatione propter amplitudinem locorum (effunditur enim in immensum intra) & propter paucitatem repulsi aeris.* ( vuol dunque Aristotile, che il terremoto si

fac-

faccia, quando gran quantità di venti si rinchiude in vna cauità della terra si picciola, che non vi possa capire; onde sia constretto à procacciarsi luogo eguale alla sua grandezza; il che fà scuotendo la terra, & aprendola; per le cui fessure se ne vola nelli spatiosi campi dell'aria. La qual dottrina propone anco più di sotto, mentre dice) *Quum autem fortis factus fuerit terræ motus, non mox, neque ad semel cessat agitans, sed primo quidem vsque ad quadraginta dies agitat, posterius autem & ad vnum, & ad duos annos dominatur secundum eadem loca. Causa autem magnitudinis quidem est multitudo spiritus, & locorum figuræ, per quæ vtique fluxerit; quæ enim repulsus fuerit, & non facile pertranseat, & maxime concutit, & intus retineri necessarium est in locorum angustijs, velut aqua, non potens pertransire.* (& finalmente, doppò) *Quando igitur fuerit multus spiritus, mouet terram, vt tremor, ad latus quidem. Fit autem raro, & secundum aliqua loca, velut pulsus, sursum desubter; quapropter & rarius quassat hoc modo; non enim facile sic multum conuenire principium; ad longitudinem enim multiplicatior, quam ea, quæ a profundo secretio.* Quanto poi s'appartiene alla somiglianza posta frà il tuono, e'l terremoto, la quale il Sig. Francesco Maria s'ingegna di tirare alla sua positione della fuga dell'imminente vacuo: tale somiglianza pose Aristotile nella causa materiale; ma nell'efficiente, ò sia formale, che consiste nel mouimento, vi pose discrepanza notabile, mentre disse: m *Nos autem dicimus esse eandem naturam, super terram quidem Ventum, in terra autem Terræmotum, in nubibus autem Tonitruum. Omnia enim esse hæc secundum substantiam idem, exhalationem siccam: Quæ fluens quidem aliqualiter, Ventus est: sic autem, facit Terræmotum; in nubibus autem, quum transmutationem subiens excernitur, coeuntibus & concrescentibus in aquam, tonitrua, & coruscationes,*

m 2 meteo. su. 4. c. 2.

*& ad hæc illinc, naturæ eiusdem cum his existentium*. Non si conforma dunque la generatione del tuono con la produttione del terremoto in altro che nella materia, la quale è secca essalatione, ma nella formalità differenti sono sommamente; percioche il vento è essalatione, che da se stessa scorre, senz'esser impulsa violentemente da cagione esterna: il Terremoto parimente vien fatto dalla stessa essalatione, che scorre, mossa pure da se stessa, non violentata, nè impulsa, nè espulsa da mouente esteriore, ma solamente da principio interno spontaneamente si muoue, se ben con gran violenza per la sua gagliardia; poiche per ire dalle carceri sotterranee alla libertà dell'aria in luogo alla sua natura, e grandezza proportionato, da se stessa con impeto si muoue spezzando tutti gli ostacoli; che per ciò dice Aristotile, che il vento nell'aria libera è *fluens aliqualiter*; dinotando quella parola *fluens* esser mosso spontaneamente da se stesso, non da cagione esterna, che lo necessiti, e violenti: & quel *aliqualiter*, denota mouimento non esorbitante, & violentissimo. Del terremoto dice, che l'essalatione dentro la terra *fluens sic*, cioè da causa interna, e spontaneamente, ma con tale violenza, che scuota, e spezzi la terra, *facit terræmotum*: la doue nel tuono, e nel fulmine vuole che la stessa essalatione nelle nubi si transmuti in fiamma, & sia da esse nubi violentemente espulsa verso la terra, mentre si ristringono, & condensano in acqua: dicendo, *In nubibus autem quum transmutationem subiens excernitur*. E mentre il Sig. Franc. Maria primieramente richiede, *qual sia lo stimolo che muoue l'essalatione tanto violentemente à suilupparsi dalle nubi, poi ad accendersi, e finalmente à precipitar sù la terra, di doue così lentamente s'era partita*. Direi con Aristotile, che lo stimolo è la naturale nimistà che tiene la nube densa pregna d'acqua fredda ed humi-

da

da con l'essalatione secca di natura ignea, all'acquea totalmente contraria; sendo proprietà del contrario più potente lo scacciar da se l'inimico di più deboli forze; l'essalatione secca nelle nubi non è molta; le nubi sono nella parte superiore densissime; di doue con gran forza cacciano la essalatione à basso, verso la terra, che per sua leggierezza vorrebbe salire ad alto nella sua sfera; ma non lo può fare, sì perche non ha forza di penetrare la densità superiore delle nubi, sì anco per essere da esse rispinta verso la terra. Sono le nubi al di sopra più dense, perche quiui è maggior freddo, che più le condensa; sendo più vicine alla mezzana region dell'aere freddissima, doue non arriuano le refrattioni de' raggi solari dalla terra; & anco doue mancano di essere l'essalationi più calde, che sono gite nella regione più sublime, mentre han potuto separarsi dalle nubi non ancora tanto addensate, & inspessite. Tra le nubi d'ogn'intorno cinta l'essalatione non ancora separata, si accende, per antiperistasi; poiche ristretta l'essalatione da suoi contrarij in angusto, sente vnirsi il suo calore, ch'era disperso, con la quale vnione si conuerte in fuoco di fiamme; le quali sono violentemente contro la loro naturale inclinatione precipitate in giù verso la terra; perche fatta fiamma l'essalatione, tiene maggior contrarietà con l'acqua delle nubi; e doue si ritroua maggior nimistà, quiui più violentemente si ributta il nimico. La qual dottrina ci viene insegnata dal Filosofo con quelle parole; n *De Coruscatione autem, & Tonitruo, adhuc autem de Vortice, & accenso Turbine, & Fulminibus dicamus: etenim horum idem principium existimare oportet omnium: Exhalatione enim, vt diximus, existente duplici, hac quidem humida, illa autem sicca, & concretionem habente, ambo hac potentia, & coeunte in nubem, sicut dictum est prius;*

n 2. meteo. su. 4. c. 1.

*adhuc autem spissior quum fiat consistentia nubium ad vltimum terminum; quà enim deficit calidum, quod disgregatur in superiorem locum, hac spissiorem & frigidiorem necesse est esse consistentiam. Quapropter & Fulmina, & Procellæ, & omnia talia feruntur deorsum; quamuis natum sit sursum ferri calidum omne: sed ad contrarium spissitudinis necesse est fieri extrusionem, velut nuclei ex digitis exilientes: etenim hæc pondus habentia feruntur sæpe sursum. Quà igitur segregatur caliditas in superiorem dispergitur locum; quæcumque autem intercluditur sicca exhalatio in transmutatione aeris, qui infrigidatur, hæc coeuntibus nubibus excernitur: vi autem lata, & offendens continentes nubes, facit percussionem, cuius sonus vocatur Tonitruum.* Et anche prima l'haueа detto con tali parole delle stelle cadenti: o *Et quædam quia expelluntur, proijciuntur, velut ex digitis nuclei, vt & in terram, & in mare videantur cadere, & noctu, & per diem, serenitate existente: deorsum autem iaciuntur, quia densitas deorsum inclinat propellens; quapropter & fulmina deorsum cadunt: omnium enim horum generatio, non exustio, sed segregatio ab expulsione est: quoniam & secundum naturam calidum sursum natum est ferri omne.* L'essalatione adunque del fulmine discende al basso con violenza, perche ci è violentemente dal freddo delle nubi più spesse & inclinanti all'in giù, come sua nemica precipitata; ma prima dalla terra lentamente se ne ascese in alto, perche si trouaua inuiluppata col vapor acqueo graue, che gli impediua il veloce corso all'insù, à guisa di peso, che premendo il dorso del portatore, fà ch'egli non si possa mouere con velocità; il che molto prima così disse Aristotile: p *Manente autem terra, quod circa ipsum est humidum, a radijs, & ab alia quæ desuper est, caliditate, euaporans fertur sursum. Quum autem caliditas, quæ duxit ipsum sursum dereliquit, & illa quidem disperditur ad superiorem lo-*

o 1. meteo. su. 2. c. 1.

p 1. meteo. su. 3. c. 11.

*locum; hæc autem & extinguitur, propterea quod suspenditur longius in aerem, qui est super terram, cogitur iterum vapor infrigidatus; & propter derelictionem caloris, & propter locum, & fit aqua ex aere*. E poco doppo: *Signum autem est, quod fiunt hæc* (tratta della rugiada, e della brina) *quia non longe suspenditur vapor: in montibus enim non fit pruina: Causa autem est, vna quidem hæc, quod sursum ducitur ex cauis & humectis locis: quare, velut onus portans maius, sursum ducens caliditas, quam secundum ipsam, non potest eleuare ipsum ad multum locum altitudinis, sed prope dimittit iterum*. Quello che poi soggiunge il Sig. Franc. Maria, *l'essalationi solleuate dal Sole, e dalla loro propria attiuità nell'aria, & iui ammassate insieme, se quando circondate all'intorno dal corpo denso delle nubi più materiali, sono da' raggi ardenti del Sole accese, ardendosi in vn tratto quelle secchissime materie; perche non resti il vacuo in quelle concauità, da per tutto rinserrate, come dissi, dalla densità de' grossi vapori; si spezza ella violentemente, acciò vi si possa introdur l'aria; e disfattesi in lampi quelle essalationi più spiritose, piombano poi velocemente in terra fatti fulmini l'altre più rassodate, e graui*. Tale discorso dico, se ben ingegnoso, contiene però dogmi non punto verisimili; primieramente l'essalatione cinta d'ogn'intorno dalle dense nubi, non può esser accesa da' raggi del Sole; poiche questi à quella non arriuano; sendo tra lei, ed essi frapposta vna grossa solidità, & ispessezza di nube. Nella qual materia acquea si rintuzzerebbe, e spegnerebbe anche ogni calore, mentre per essa passassero li raggi sino alla rinchiusa essalatione. Ma cotal'essalatione si accende per antiperistasi, che concentra & vnisce il di lei calore, e l'aualora; come il freddo del verno fà maggiore il calor nostro naturale, secondo l'esperienza. Di poi l'essalatione mutata in fiamme per il suo accendimento non ap-

porta pericolo di vacuo nella concauità delle nubi; mà più tosto rarefatta maggiormente riempie quel luogo, & ne richiede vno maggiore. In oltre la nube non si spezza ella per riceuer l'aria, ma si ristringe, & si vnisce maggiormente, per ispinger da se l'auersaria sua essalatione ignea, dalla quale è squarciata nella sua parte inferiore men spessa; nel qual isquarciamento si produce il tuono; non in altra guisa, che le dita per iscacciar il nocciuolo della ciregia si vniscono, e comprimono nello spingerlo fuori da loro; per vsare l'esempio familiare del Filosofo. Quell'essalationi più spiritose, che si dicono disfarsi in lampi, per tale disfaccimento non si annientano, lasciando il luogo vacuo, come si suppone, ma occupano luogo maggiore per l'acquistata rarità. L'essalationi poi fatte fulmini piombano velocemente in terra, non perche siano rassodate, e graui; poiche sono fuoco di fiamma tenuissima, che spesso consuma il vino, & anco la moneta, e la spada, senza forar la botte, nè la borsa, nè tampoco il fodero; ma piombano i fulmini verso terra contro la natura del fuoco, perche vi sono violentemente cacciati & impulsi dalle nubi, che si ristringono, come i nocciuoli dalle dita, che si comprimono, sono cacciati in alto contro la loro natura graue; come osseruò *q* Aristotile. Da tutte le cose predette mi pare di poter conchiudere, che il Terremoto si faccia quando gran copia di essalatione ventosa, viene ristretta sotto la terra in luogo angusto, non capace della sua quantità; & acciò non si dia la penetratione de' corpi, ma ogni luogo sia eguale al corpo contenuto, tal vento non potendo in luogo ripieno entrare, e perciò procacciandosi luogo proportionato alla sua grandezza, spezza scuotendo vehementemente la terra per le cui fessure, & voragini vscendo con impeto, se ne vola nell'ampia capacità dell'aria.

*q* 1. meteo. tu. 4. c. 1.

Que-

Questo è quanto mi occorre di scriuere a V. S. Illustris. in risposta della sua gentilissima lettera. Con la quale occasione voglio supplicarla mi procuri la gratia dell'Illustris. Sig. Francesco-Maria, e l'assicuri, ch'io altretanto ammiro la sottigliezza del suo intelletto, quanto io desidero, che mi collochi nel numero de' suoi più intimi seruidori, non ostante la discrepanza delle nostre opinioni. Et con pregargli da Dio benedetto felicità, la riuerisco. Padoua li 20. Giugno 1647.

*Decem admirabilia Quæsita proponuntur ex D. Augustino.*
*Cap.* XXXI.

Admirabilis doctrinæ Viro vndequaque egregio
Fortunio Liceto
Sebastianus Baldus S. & F.

VLtra humani ingenij vires profecto sit, vnum hominem posse omnibus tam humanis, quam etiam diuinis scientijs, veluti omnis homo esset, se ipso sufficere; in omnibus tam esse expeditum atque promptum, quam in singulis sit quicumque in vna qualibet singulariter excellit doctrina; nil esse tam imperuium humano captui, quod ab eo de vltimis naturæ finibus non euocetur; quantumlibet se illatebrent, sintque *ignorabiles* literæ, atque doctrinæ, in theatrum tamen se dare orbi literario, obstetricante vnius hominis intellectu. Quis rogo, non stupeat hanc vnius viri mentis altitudinem? Quid occinere amplius perrexerint poetæ de Briareis & Argis, quantumlibet manus multiplicent & oculos in vno homine, ad stuporem hominum? Tu certe vir admirabilis, si non Argus fueris, vel centimanus vir, fueris tamen ipsius *naturæ oculus*, qui dum cuncta prospicis, ab om-

omnibus suspiceris; fueris *Ismahel* quispiam, qui prope centimanus, contra omnes ipse pugnabat, dum interim omnium manus in eum vnum collimarent; nam tu peræque sufficis vnus hominum Chiliadi disputantium, & quęrentium, immo & orbi toti dixerim, non tam omnium scientiarum, quam literatorum omnium hominum. Inter tot myriades interrogantium virorum, tota exhauriri videtur literaria inquisitio; quare prope fatiscit humanum ingenium, dum noua quærere molitur, exotica & curiosa, a tua sublimi mente luminanda. Ego, siue tarditatem meam causare velis, siue quia obrui me sentio quæsitorum innumerabili numero, non a me ipso quæram, sed a Magno D. Augustini Ingenio, quod tibi proponere deliberaui, dignum certe tua responsione. Ausim dicere ipsum Augustinum, quantumuis Augustissimus esset, & pene aliorum ingenia sua magnitudine obrueret, nihil tamen de sua dignitate diminutum, facile putaturum fuisse, si te forte in consilium vocaret, qui de rebus difficillimis atque omnino implexis a viris doctissimis frequenter interrogaris, veluti Tu *Consus* quidam esses, aut *Sentia* quispiam Deus, vt alicubi loquitur ipse Augustinus.

Ergo nodus, isque multiplex tibi proponitur; nam rerum multarum petitur consilium & sententia, quibus dissoluendis omnino imparem ipse se putat Augustinus, quasi vltra humanum ingenium sit, harum rerum reddere rationem; vt hinc agnoscant Ethnici homines, posse corpora damnatorum hominum ab igne torqueri, dolitura, & arsura, non tamen peritura, quanquam diuinæ Fidei non suffragetur humana ratio, quæ ab homine reddi non potest, *ratiocinatores videlicet magni, qui de omnibus rebus, quas esse mirabiles constat, possint reddere rationem*; quum certe ipsi, non rerum quas Fides ipsa docet, sed & mi-

mirabilium quorumdam, immo & innumerabilium, *quæ historia non factorum & transactorum, sed manentium locorum tenet*, vllam afferre possint rationem. Sed ipsum in promptu habeo Augustinum, & iam proprio loquitur ore, dum & ego interim sileo pumilio scilicet ad Gigantis conspectum, non tam loquentis, quam fulminantis contra Ethnicos quosque & alios Christi Ecclesiæ hostes perduelles: sic autem scribit ad Marcellinum lib.21. de Ciu.Dei, cap.5. *Verumtamen homines infideles, quibus cum diuina vel præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem a nobis earum flagitant rerum, quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus: ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse, vel futurum non esse, quia ratio inde non possit reddi; quandoquidem sunt ista de quibus similiter non potest. Non itaque pergo per plurima, quæ mandata sunt literis, non gesta atque transacta, sed in locis quibusque manentia, quo si quisquam ire voluerit & potuerit, vtrum vera sint explorabit. Sed pauca commemoro. Agrigentinum Siciliæ salem perlustrent, quum fuerit admotus igni, veluti in aqua fluescere; quum vero aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quemdam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus, vt non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces vt in ceteris extinguuntur accensæ, sed non vt in ceteris accenduntur extinctæ. Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel iam non possit extingui. Lignum cuiusdam ficus Aegyptiæ non vt ligna cetera in aquis natare, sed mergi: & quod est mirabilius, quum in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari. Po-*

Quæsitum primum. II. III. IV. V. VI.

*ma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressuve tentata in fumum ac fauillam corio fatiscente vanescere.* VII. *Pyritem lapidem Persicum tenentis manum, si vehementius prematur, adurere; propter quod ab igne nomen accepit.* VIII. *In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum Luna crescere, atque deficere.* IX. *In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fœtus non amplius triennio viuere.* X. *Tylon Indiæ insulam eo præferri ceteris terris, quod omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. De his atque alijs innumerabilibus mirabilibus, quæ historia non factorum & transactorum, sed manentium locorum tenet, reddant rationem, si possunt,* &c. Hactenus Augustinus locutus est, cuius ego nomine hos nodos, eosque bis quinos tibi propono viro Catholico, & de castris Augustini doctissimo; tacitique mecum proponunt alij tum doctrina, tum etiam prosapia viri Illustrissimi, qui hoc Quæsitum non tam meum, quam de ipsius Augustini thesauris expromptum, tibi vni, Liceto admirabili, prudenter propositum vnanimiter sentiunt. Hi mecum curiosissime expectant, quid tandem sis responsurus his fere dixerim ænigmatibus, atque indissolubilibus nodis, quos nisi tuus soluat Oedipus, norunt ipsi cum Augustino fore omnino indissolubiles.

Ceterum quanto citius habuero tertium & quartum volumen tuarum responsionum, tanto gratius fuerit, addo & oportunius, quum vsui maxime mihi sit futurum responsum illud, in quo de viribus imaginationis edisseris, scribens Aresiano Quæsito, ad ornandam scilicet supellectilem meam meorum *Collectaneorum de Febribus*, quæ calamo incitatiori in lucem paro in præsentia. Quid porro sentias de altero Quæsito Illustrissimi D. Marci Antonij Saulij, præcipue auidi expectamus; quem virum

a vir-

a virtutum omnium comitate dicam an comitatum? & agendi mira quadam dexteritate nobilissimum quidem omnibus, mihi certe tum dominum, tum amicissimum velim hac dictione toti orbi contestari. Vale tu interim, *Vir scientiarum*, & mihi amicissime, & viue ad annos vsque ipsius Nestoris, ad Reipublicæ tum ornamentum, tum perennitatem. Genuæ die 19. Februarij 1647.

*Resp. Lic. ad primum Quæsitum de Sale Agrigentino, in ignibus fluescente, in aquis crepitante ac exiliente. Cap. XXXIII.*

Cl. Viro Sebastiano Baldo Fortunius Licetus B. A.

ET me vocas, optime Balde, simulque tecum me prouocant isti viri doctissimi, pariter & Illustrissimi, quorum nomina taces, ad illos naturæ nodos extricandos, quos ingeniorum apex D. Augustinus inextricabiles esse scribit? ac Ethnicis proponit veluti rationem habentes hominum ingenia superexcedentem, non secus ac humanum captum superat miraculorum diuinorum ratio? hic enim hostes Christi, negantes miracula diuinis literis descripta, quod eorum nulla ratio physica possit afferri, conuincere studet eo argumento, quod multarum rerum naturalium etiam apud nos existentium, quas nemo negare potest, nulla ratio physica valeat ab humana mente perspici ac assignari. Verum quoniam facere nunquam potui quin tuis votis in re literaria pro virili satisfacerem; & quia forte D. Augustinus argumentatur ad hominem, proponens nodos Ethnicis illis, quibuscum edisserit, insolubiles; quos tamen ipse, si mentis aciem acrius intendisset, enodare sciuisset; & quoniam a Aristoteles admirabilia naturæ non esse negligenda, sed ab

a 1 de part. c. 5.

Gg 2 homi-

homine Philosopho penitius introspicienda, solerterque rimanda præcipit, *Restat*, inquit, *vt de animante natura disseramus, nihil pro viribus omittentes, vel vilius, vel nobilius: nam & in ijs, quæ hoc in genere minus grata nostro occurrunt sensui, natura parens, & autor omnium, miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt causas, atque ingenue philosophantur. Absurdum enim nullaque ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium non sine delectatione propterea inspectamus, quod ingenium vna contemplamur, quod illas condiderit, id est artem pingendi, aut fingendi: rerum autem ipsarum naturæ ingenio, miraque solertia constitutarum contemplationem non magis persequamur, atque exosculemur, modo causas perspicere valeamus. Quamobrem vilium animalium disputationem, perpensionemque fastidio puerili quodam spreuisse, molesteque tulisse, dignum nequaquam est; quum nulla res sit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur.* Quum igitur ista dena mirabilia naturæ, de quibus hic agit D. Augustinus infra sortem animalium habeantur, nec ob vilitatem aspernanda sunt, nec ob difficultatem omittenda philosophantibus ingenuis; at alacriter, & audacter adeunda; quibus explicandis si pares extiterint, gloriam sibi, & vtilitatem ceteris comparabunt; sin minus, nihil dedecoris subibunt, & alijs ingenio pollentibus acutiori, viam parabunt faciliorem ad abditæ causæ cognitionem. Age, qui nitimur in vetitum semper, cupimusque negata, vel ob difficultatem in mundo literario quoque; experiamur ingenij vires, num ad latentis veritatis adytum peruenire valeamus. Mirabile quidem est, quod ait D. Augustinus, *b Agrigenti Siciliæ salem, quum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere; quum vero ipsi aquæ adiungitur, velut in igne crepitare.* Quam quidem experientiam vel fecit ipse D. Augustinus, vel factam accepit ab alijs; nimirum vel a So-

*Quæsitum.*

b 21 de ciu. c. 5.

a Solino, vel a Plinio, vel ab Antigono Caryſtio, vel ab omnibus hiſce: Porro Solinus ait: *c Quanta in aquis, tanta eſt nouitas in Salinis: Salem Agrigentinum ſi igni iunxeris, ſoluitur vſtione: cui ſi liquor aquæ proximauerit, crepitat veluti torreatur.* Antigonus item Caryſtius in ſua Mirabilium hiſtoriarum Collectione ſcriptum reliquit, *d* loquens de Sale: *Conſimile autem huic videtur fieri ex mari. Donauit enim nobis Siculus aduena ſalem, qui quidem in igne liqueſcebat; in aqua vero crepitabat, exiliebatve.* Plinius autem poſt Antigonum, ſed ante Solinum infit: *e Flos ſalis non fit niſi Aquilonibus. In igne nec crepitat, nec exilit Tragaſæus, neque Acanthius ab opido appellatus; nec vllius ſpuma, aut ramentum, aut tenuis. Agrigentinus ignium patiens, ex aqua exilit.* Dicitur autem ignium patiens, quia non crepitat in igne, nec ex eo proſilit, vt alij ſales; quod tamen habet commune Tragaſæus cum Acanthio, qui ſimiliter in igne non crepitat, nec exilit. Sed quid eſt illud τὸ *ignium patiens?* arbitror in igne liquari; quia ſal quum ſit aqua concreta, non poteſt non eliquari, dum ab igne patitur, e quo non exiliat: vbi namque proſiliat ex igne, liquationem anteuertit, quam extra ignem non patitur in aere. Non omittam, quæ ſcribuntur ab eruditiſſimo Salmaſio de Solino, & Plinio in propoſito, ſcribente: *f* Non dicit Plinius, ſalem Agrigentinum ſi igni admoueris, liqueſcere & diſſolui; hoc enim plane contrarium naturæ ſalis: ſed ſimpliciter ignium patientem eſſe, hoc eſt in igne non crepitare, nec exilire: *Agrigentinus*, inquit, *ignium patiens, ex aqua exilit.* Dixerat ante, in igne nec exilire, nec crepitare Tragaſæum ſalem, neque Acanthium, nec vllius ſpumam, nec eum qui ad ramentum tenuis ac minutus eſt: hoc vero plus habere Agrigentinum, quod quum patienter ignes ferat, ſine crepitu & exultatione, ex aqua tamen exiliat. Scripſimus

c Polyh. c 11.

d c. 183.

e l. 31. c. 7.

f pag. 115. e.

„ mus autem in Plinio, *In igne nec crepitat, nec exilit Tragasæus, neque Acanthius ab oppido appellatus: nec vllius spuma, aut ad ramentum tenuis:* vulgo editur, *aut ramentum, aut tenuis:* at quid aliud salis ramentum, nisi sal tenue. Scripti habent, *aut atramento:* ex quo fecimus, *aut ad ramenta*. Salem ad ramenta tenuem vocat instar ramenti. Nullum igitur salem sic attenuatum exilire in igne, nec vllius spumam; tenues sales λεπτοὺς ἅλας Græci vocant. Ceterum quod ait noster, salem Agrigentinum igne liquescere, id habet ex Antigono Carystio, qui ita scribit παραπλήσιον δὲ τούτῳ, ὁρατὰ γενόμενον ἐξ ἁλὸς, ἐδωρήσατο γὰρ ἡμῖν σικελὸς ξένος τοιοῦτον. ὃ ἐν μὲν τῷ πυρὶ ἐτήκετο. ἐν δὲ τῷ ὕδατι ἥλλετο. de Agrigentino sale id intelligendum. Sed Plinius tantum dixerat, ignium patientem eum esse, hoc est non exilire, nec crepitare igni admotum: plus hic dicit, igne etiam dissolui & liquescere: quem vidit, vt hinc apparet, Solinus. Falluntur, qui in Plinio rescribi volunt, *ignis impatiens:* ideo impatientem ignis dici putant, quia igne liquescat. Immo patiens ignis, qui non exilit, sed tacitus liquescit & dissoluitur. Hæc vir eximius: in quibus vt accipio lubens postremam conseruationem literæ Plinianæ: *Agrigentinus ignium patiens, ex aqua exilit*. Ita recipere nequeo duo superiora; quorum vnum est, Solinum quid amplius dixisse, dum ait Agrigentinum salem in igne liquescere, quam Plinius asserens eum patientem esse ignis; quod contrarium plane sit naturæ salis in igne colliquari; sed ignium patiens dicatur, quia non crepitat, nec exilit ex igne: Nam in primis experiuntur chimici sales in igne dissolui, ratione dictante concretam aquam frigore (cuiusmodi multos esse sales apertum est, & infra patebit) igne dissolui. Deinde vero sal Agrigentinus indomitus non est igni, vt adamas esse dicitur; ast in igne liquescit quietus; quum sit aqua frigore con-

concreta; quæ vim ignium patitur, non quia sustineat ignium vires indissolubilis & inuicta; sed quia non crepitans, nec exiliens, at quiescens in igne colliquetur veluti glacies. Alterum nec vlla ratione cum exiguo confundi debet. Non enim exiguum ferri ramentum tenuem habet substantiam, sed crassam & densam: ignis flammæ grandioris tenuis est substantiæ, non tamen ideo ramentum dici potest, neque molis exiguæ; lata lungaque plumbi lamina bipalmaris, & adeo subtilis, atque tenuis, vt aquæ supernatet, ramentum non est, etsi tenuissima sit; ita folium auri longitudinis ac latitudinis vltra bipalmarem, sed adeo tenue, vt leui spiritu moueatur per aera, tenuissimum est, ramentum tamen non est. Nec cum vulgo viri docti censent, exiguitatem idem omnino esse cum tenuitate substantiæ; sed sensus Pliniani dogmatis est, Salis Tragasæi, Acanthij, & Agrigentini nullam differentiam in igne crepitare, nec exilire, siue substantiam raram habuerit, veluti spuma; siue molem obtinuerit exiguam, veluti ramentum; siue tenuem materiam sortiatur a natura: sed omnes istorum trium salium differentias, tam raram quam densam materiam habentes, tam magnam quam paruam molem obtinentes, tam tenuem quam crassam substantiam possidentes, Agrigentinus, Acanthius, atque Tragasæus in igne fluescunt, non ex eo prosiliunt, nec in eo crepitant, vt alij sales omnes; in aqua vice versa crepitant, & ex ea prosiliunt; in qua cuncti sales alij quieti dissoluuntur, at in igne crepitant, ex eoque prosilire nituntur. Isidorus de proposito dicit: * *Parturit & mare eius* (de Sicilia loquitur) *corallum: gignit & sales Agrigentinos in igne solubiles, crepitantes in aquis*. & infra: * *In natura quoque salis differentiæ sunt. Nam alibi suauis, & alibi salsissimus. Commune sal in igne crepitat: Tragasæum nec crepitat in igne, nec exilit. Agrigen-*

* l.14.c.6.

* l.16 c.2.

*gentinum Siciliæ flammis patiens, in aqua exilit, in igne fluit contra naturam.* Cuius differentiæ causam, in abdita Naturæ maiestate mirabiliter delitescentem, vt antea satis innuere videtur Aristoteles, asserens, g *Quum nulla res sit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur*; ita postea D. Augustinus h circa salium varietates hoc admirandum Naturæ veluti portentum opponit Ethnicis, diuina miracula pernegantibus. Ceterum latentem istam rationem ex adytis Naturæ finibus eruere fortasse poterimus, vbi salis intimam generationem ac essentiam ex Aristotele, Galeno, Auicenna, Plinioque perspexerimus. Aristoteles profecto i scribit in Chaonia fontem & fluuium aquæ dulcis esse, cuius aquæ quum decoxerint aliquam partem, reponunt, quæ per coctionem euaporato tenuiori humido aereo cum calido igneo, concrescit in salem: verba Magistri sunt: *In Chaonia enim fons est aquæ latioris, effluit autem hic in fluuium propinquum, dulcem quidem, pisces autem non habentem. Elegerunt enim, vt qui ibi sunt, fabulantur, optione data ab Hercule, quando venit ducens ab Erithia boues, salem pro piscibus, qui fiunt ipsis ex fonte. Huiusmodi enim aquæ quum decoxerint aliquam partem, reponunt, & fit, frigefacta, quum euaporauerit humidum cum calido, sales, non grumosi, & compacti, sed laxi, & tenues, sicut nix.* Quæ quidem salis vna generatio est, ex humido aqueo (e quo euaporauerit vi coctionis tenuius humidum aereum, & calidum igneum) vna cum terræ portione residua, frigoris vi congregato, & veluti conglaciato, vti nubes, euaporatis igneis exhalationibus, in aeris media regione, vi frigoris concrescit in niues: est enim aqua fontis illius non omnino simplex ac pura, sed alijs elementis permista; quorum igneo, & aereo vi caloris concoquentis (cuium est heterogenea disgregare) separatis: aqua cum portione terrea remanens,

g 1. de part. c. 5.

h 21. de ciu. cap. 5.

i 2. meteo. su. 1. c. 3.

k 2. de gen. t. 8.

vi frigoris, cuium est viceuersa congregare pariter heterogenea, & homogenea, cogitur ac veluti congelatur in sales. Alteram vero salis generationem prius attulerat Aristoteles per commistionem aquæ simplicis cum terræ portionibus adustis, aiens, *l* Manifestum esse mare salsum fieri, quod in aquam dulcem decidant exhalationum terrea ramenta adusta. Cui sententiæ prorsus adhærens Auicennas inquit, *m* *Sal autem generatur ab aquositate, in qua est terrestreitas plurima, quam adussit caliditas*. & antea multo *n* dixerat: *Omnis vero salsuginis causa est, vt aquosæ humiditati pauci saporis, aut priuatæ eo, terreæ partes adustæ complexionum siccarum, & saporis amari æquali temperamento misceantur*. Verum enimvero bifariam potest humor in salis generatione se habere, vel concretus,& congelatus a frigore;sicuti dixerat Aristoteles de sale genito ex aqua fontis Chaoniæ, vel siccatus a calore Solis, veluti passim obseruatur fieri circa litora maris in salinis; qua de re *o* Galenus ita, *Sal porro eiusdem speciei cum marino est, qui in stagnis quibusdam salsedinem habentibus nascitur; æstate videlicet aquis æstu ex ijs absumptis, cuiusmodi est Tragasius, non procul a Sminthо: Confluit enim illuc ante aquas spontaneas, quæ admodum sunt calidæ, copiosa aqua stagnans non amplo in loco: & ea æstate omnis absumitur, a Sole videlicet arefacta*. His optime consentiens Plinius asserit: *p* *Sal omnis aut fit, aut gignitur* (nimirum fit ab arte, gignitur a natura) *vtrumque pluribus modis; sed causa gemina, coacto humore, aut siccato. Siccatur autem in lacu Tarentino æstiuis Solibus; totumque stagnum in salem abit, modicum alioquin, altitudine genua non excedens. Item in Sicilia in lacu, qui Cocanicus vocatur, & alio iuxta Gelam. Horum extremitates tantum inarescunt, sicut in Phrygia, Cappadocia, Aspendi, vbi largus coquitur, & vsque ad medium lacum.. Aliud etiam in eo* mi-

*l* 2. meteo. su. 1. c. 3.

*m* l 3. f. 18. tr. 2. c. 16.

*n* l. 1. f. 1. d. 4. c. 1.

*o* 11. de nat. fac. f.

*p* l. 31. c. 7.

*mirabile, quod tantundem noctu subuenit, quantum die auferas. Omnis est talis sal minutus, atque non gleba est. Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis relicta. Hic omnis rore densatur, & est acrior, qui in scopulis inuenitur.* Sane primum genus salis fit a Solis æstibus humore siccato: secundum autem humore densato frigiditate nocturni roris cadentis; quo fit vt Aspendi salis tantundem noctu subueniat, quantum die auferas; qua ros noctu cadens eadem mensura tantundem aquæ suo frigore congelat, quantum interdiu sublatum e lacu fuerit. Quod quidem genus condensatione genitum immediate, & aliud exsiccatione celebratur a Plinio subijciente: *Sunt etiamnum naturales differentiæ tres. Namque in Bactris duo lacus vasti, alter ad Scythas versus, alter ad Arios, sale æstuant: sicut ad Cittium in Cypro, & circa Memphin, extrahunt lacu, dein Sole siccant.* Hæc est origo salis per exsiccationem aquæ a calore: Per congelationem autem siue condensationem a frigore generatio statim affertur ita: *Sed & summa fluminum densantur in salem, amne reliquo velut sub gelu fluente, vt apud Caspias Portas, quæ salis flumina appellantur.* nimirum noctu cadente multa copia frigidi roris, aduehenteque secum magnam manum exhalationis adustæ prius elatæ sursum, cuius permistione cum fluminis aqua superiori, vi frigidi roris condensata, sal oritur. Quin & intra terram sal fossilis oritur, humore densato vi frigoris, vbi nullus est calor æstuans ipsum exsiccare valens: quod & mox adijcit Plinius: *Effoditur & e terra, vt palam est, humore densato, in Cappadocia. Ibi quidem cæditur specularium lapidum modo. Pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. Carrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt.* Quas quidem originum differentias in sale discernit pondus, atque leuitas; nam ortus hu-

*Mirabilis restitutio salis explicata.*

mo-

more ſiccato vi caloris validi ſal eſt leuis; at ortus humore virtute frigoris addenſato graui pondere donatur. His ita ſe habentibus, iam mihi videre videor apertam rationem cur ſal Agrigentinus in igne quietus eliquetur fluefcens: & aqua reſperſus crepitet; ad aliorum ſalium vulgarium differentiam, qui crepitant in igne, fluunt liqueſcentes aqua madefacti: nam Agrigenti ſal ortum habet ex humore vi frigiditatis congelato, cum interceptione permiſtioneque terreſtris exhalationis aduſtæ, reliquias ignium ſopitas in ſe conſeruantis. Congelatum frigore quemvis humorem in igne quietum liquari, rationabile ſatis eſt: ſopitum ignem exhalationis terreæ aduſtæ, dum aqua perfunditur, crepitare, proſilireque, nouum non eſt; nam & cinis, & calx affuſione aquæ crepitat, & proſilit: exhalatioque fumida ſurſum in nubibus aqueis crepitat in tonitrua, & proſilit in fulgura: ſcribente Magiſtro: q *Si tonat, quum extinguitur ignis, neceſſe eſt ſtridere, & ſtrepere:* Sic etiam ſonat & ſtridet ferrum candens, dum in aqua ponitur: vel aquis inſpergitur: tale quid afferas de ſale Agrigentino, qui liqueſcit in igne quietus, quod conſtat humiditate frigore concreta; crepitat, & reſilit in aqua, propter exhalationem aduſtam, quam in ſe continet ampliorem. Quis non agnoſcit, niuem, glaciem, atque rorem frigore concreſcere; calore vel igneo, vel ſolari liqueſcere? quis ignorat cineres, & calcem aſperſione aquæ proſilire, crepitareque; quum igitur in Agrigentino ſale duo ſint iſta, condenſatus humor vi frigoris, & aduſta exhalatio cinerea multa calcis naturam obtinens; phyſice ſal iſte crepitat aſperſus aquis, & inde reſilit; igne vero flueſcens eliquatur tacitus. In ſalibus autem alijs, qui fiunt humore ſiccato vi caloris adurentis, id non obſeruatur, vt igne liquentur, & in aqua crepitent indeque reſiliant: quia ſa-

*Quæſiti ſolutio.*

q 2. poſt. anal. t. 54.

les isti constant ex terrea exhalatione tantum gradum adustionis non habente, cuius virtute crepitare valeant in aquis, ac inde resilire, sed ocyssime restinguitur ab aqua, citiusque corrumpitur quam crepitum aut saltum edere possit: ijdemque sales vulgares ex aqua potius exsiccata, quam addensata constituuntur; & parum illud aquæ quomodocumque concretæ quod habent, ab igne citius absumitur dissolutum, quam vt a nobis liquescere fluereq. videri queat; liquescit attamen ocyssime: sed in aquis facile colliquantur, & diffluunt, exhalatione ipsorum terrea vim aquarum perpetiente. In igne vero crepitant, exsilientes, vt ex Aristotele r constat asseuerante; *Propter quid quando sal in igne proijcitur, sonat? An quia sal humidum habet, non multum tamen, quod a calido inspiratum, & violentia exiens scindit salem. omne enim quod scinditur sonat.* Ita vetus habet versio: noua vero sic: *Cur sal igni ingestus mouere crepitum soleat? An quia sal parum humoris intra se continet, quod mox a calore ignis conuersum in spiritum, violentoque exiliens impetu salem rumpit. omne autem quod rumpitur, mouere crepitum solet.* Sed hoc non competit Agrigentino sali, qui multum habet humoris condensati; nam id multitudine sua diu resistens ignis actiuitati, salem non rumpit, sed sensim dissoluitur; quapropter in igne liquatur: vt apte colligitur ex Aponense in hoc loco; dicit enim: *Quare quum sal proijcitur in ignem, scinditur, & sonum causat ad modum tonitrui: soluit dicens causam esse, quia sal habet humiditatem quandam, non autem multam; propter quod Medicus dicit ipsum calidum & siccum in secundo gradu: huius autem humiditas, per calidum resoluens humidum interius in vapores causatur spiritus ventosus, qui est in eo; non enim mox quum sal cadit in ignem, calor potest per totum transire; immo crustula quædam efficitur exterius, per quam calidum paulatim subintrans humidum sub-*

r 11. sect. probl. 6.

*subtiliat interius; & ideo dixit ipsum humidum non multum; quia si esset multum, statim actione liquesceret ignis, & non fieret crustula exterius defendens calidum liquefactum.* In sale vero, qui fit per humoris condensationem, non arefactionem, multus est humor, qui diutius ignis actionem tolerans, in eo liquatur, non crepitat; & huiusmodi sal est Agrigentinus. Hæc igitur causa mihi succurrit afferenda colliquationis Agrigentini salis in igne, quum sales alij vulgares in igne crepitent; quia ille contineat multum humidi congelati, ceteri parum habeant humidi siccati.

*De Fonte noctu feruido, interdiu gelido.*
*Cap. XXXIV.*

QVod autem secundo proponis ex D. Augustino subiungente, [a] *Apud Garamantes quendam fontem fertur esse, tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus, vt non tangatur:* iam aggredior. Hausit hanc historiam D. Augustinus ex Plinio, & plerisque scriptoribus Classicis; Plinio quidem asserente, [b] *Matelga oppidum Garamantum: itemque Debris, affuso fonte, a medio die ad mediam noctem aquis feruentibus, totidemque horis ad medium diem rigentibus: clarissimumque oppidum Garama caput Garamantum: omnia armis Roman. superata, & a Cornelio Balbo triumphata, vnius omnium externo curru & Quiritium iure donato; quippe Gadibus nato ciuitas Roman. cum Balbo maiore patruo data est. Et hoc mirum, supra dicta oppida ab eo capta, autores nostros prodidisse.* Solino velut eadem hinc describente: [c] *Garamantum oppidum est Debris, fonte miro, qui denique alternis vicibus die frigeat, nocte ferueat; ac per eadem venarum commercia, interdum ignito vapore æstuet, interdum glaciali horrore algescat* (vel, *algore horrescat*) *Incredibile memoratu vt tam breui temporis curriculo natura*

[a] 21. de ciu. c. 5.
[b] l. 5. c. 5.
[c] Polyh. c. 42.

*tam*

*tam dissonam sui faciat varietatem; idque qui percontari velit tenebris, inesse fluori illi æternam faciem credat:* ( meo periculo legas, *æternam facem* ) *qui rimetur die brumales scatebras, nunquam aliud existimet, quam perpetuo rigere. Vnde non immerito per gentes Debris inclyta est, cuius aqua ex cælesti vertigine mutant qualitatem, quamuis controuersa siderum disciplina; nam quum mundum a calore vesper temperet, ab occasu incipit ita incalescere, vt ni tactu abstineas, noxium sit contigisse. Rursus quum ortus Solis incanduerit, & radijs feruefacta sint omnia, sic glaciales euomit scaturigines, vt hauriri etiam a sitientibus nequeat. Quis ergo non stupeat fontem, qui friget calore, calet frigore?* D. Augustinus hoc admirabile fontis non ex Plinio, sed ex hoc loco Solini notasse videtur euidentissime. Quem locum ab initio dum eruditissimus Salmasius* admonet habere duplicem lectionem: *qui denique alternis cursibus:* & alteram: *quid ni? qui alternis cursibus.* Nos vtramque recipimus; sed in illa priore vox *denique* non signat id quod, *tandem*; verum id, quod, *omnino:* sic Ouidius: *Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.* Quam lectionem magis probamus, quia denotat aquam illam noctu calidissimam esse, die frigidissimam; etenim mens est Solini mirabile referre, quod idem fons interdiu sit omnino frigidus, noctu ex toto feruidus. Isidorus *d* in originibus, cum D. Augustino scribit, vel ex D. August. *Apud Garamantes fontem esse aiunt ita algentem die, vt non bibatur: ita ardentem nocte, vt non tangatur.* Huic fons consimilis naturæ celebratur apud Hammonem a Classicis item autoribus; etenim Herodotus in Melpomene scribit: *e A Thebis itinere dierum decem primi Ammonij, habentes templum ad Thebani Iouis effigiem; etenim Thebis ( quemadmodum a me memoratum est) aspectu arietino Iouis simulachrum est. Apud hos est alia quoque aqua, quæ sub matutinum quidem*

*p.382.

d l.13.c.13

e l.4.c.181

*dem tepet, sub horam autem, qua forum frequentissimum est, frigescit: sub meridiem multo frigidior est: eaque hora hortos irrigant. Declinato iam die remittitur frigus, donec Sol occidit: tunc tepescit, magis ac magis calescens, ad mediam vsque noctem, quo tempore feruens exæstuat: præterita nocte media, ad auroram vsque refrigescit. Cognominatur autem fons iste Solis.* De quo pariter Diodorus Siculus ita: *f Haud longe ab ipsa arce, alterum extat Hammonis templum, multis magnisque arboribus inumbratum: prope quod fons est, qui ob id, quod ei accidit, Solis nuncupatur, habet enim aquam, secundum horarum spacia mutationes mirabiles facientem. Ad primum diei ortum tepida exit de fonte: progrediente die ad horarum additamenta paulatim frigescit, donec meridie æstuante ipsa ad summam redigatur frigiditatem; quam rursus per momenta sua remittit sensim, vsque ad Solis occasum; nocteque ineunte vsque ad mediam, semper magis incalescit. Inde calore deficiente fit, vt circa lucem pristinum statum prorsus recuperet.* Lucretius itidem huius fontis meminit, g asserens:

f l.17.c.5.

g l.6.

,, Esse apud Ammonis fanum fons luce diurna
,, Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:

De eodem fonte sic Arrianus: *Et fons ex eo oritur, nulla in re ceteris fontibus, qui ex terra effluunt, similis; nam meridie aqua frigida est, si quis eam gustauerit; & multo magis, si quis attigerit, ita vt frigidior esse non possit: inclinante autem in vesperam Sole calescit: a vespere porro calidior fit in horas vsque ad mediam noctem: quo tempore calidissima est: a media autem nocte sensim refrigescit magis ac magis; & mane iam frigida est, meridie porro frigidissima.* Verum Antigonus ait: *h Eorum fontium, qui sunt apud Hammonem, dicere Aristotelem, fontem eum, qui Solis esse existimatur, medijs noctibus & meridie calidum fieri, matutino autem & serotino tempore frigidum, tanquam glaciem.* De tali fonte men-

h hist. admir.

mentionem ab Aristotele fieri non videmus in Admirandis Auditionibus, quæ prostant, nec alibi: Fortassis Antigonus locupletiores habuit Aristotelicas illas Auditiones. mutat attamen ipse conditiones fontis, quem calidum media nocte pariter & meridie ponit solus. Plinius autem alibi de hoc etiam fonte dicebat: *i Iouis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet*. Qui statim addit: *In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, & circa meridiem maxime frigidus, mox paulatim tepescens, ad noctis media feruore & amaritudine infestatur*. Qui tertius fons celebratur alius ab Hammonio, & Garamantico, quod illi solum mutationes caloris atque frigoris quotidie subeant, sed iste præterea saporem interdiu dulcem, noctu mutet in amarum; quæ quidem mutatio peræque mirabilis est atque mutatio diurnæ frigiditatis in caliditatem nocturnam, vt vnicuique constat. Porro quamuis eadem sit conditio proprietasque mira trium istorum fontium; D. Augustinus tamen vnius Garamantici meminit, non Hammonij, neque Troglodytici. Ceterum huius admirabilis euentus causam physicam omnium primi referre conati sunt aliqui in Solem noctu fontis alueum subterraneum percalefacientem, sed irrito conatu; quos apte refert, atque refellit his versibus k Lucretius immediate subnexis:

i lib. 5. cap. 103.

*Quæsiti solutio ex antiquis.*

k l. 6.

*Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri*
*Sole putant subter terras feruescere raptim,*
*Nox vbi terribili terras caligine texit.*

Quasi Sol noctu fontis alueum infernum posticum ab opposita terræ parte calefacere queat, calore transmisso longius ab Antipodum regionibus ad ima fontis: qui Sol interdiu tangens aquam nudam, nullo corpore terræ contectam calefacere non potuit: vnde recte subdit,

*Quod nimis a vera est longe ratione remotum.*

Quip-

*Quippe vbi Sol nudum contrectans corpus aquai,*
*Non quierit calidum supera de reddere parte.*
*Quum superum lumen tanto feruore fruatur;*
*Qui queat hic subter tam crasso corpore terram*
*Percoquere humorem, & calido sociare vapori?*
*Præsertim quum vix possit per septa domorum*
*Insinuare suum radijs ardentibus æstum.*

Ipse vero propriam de proposito sententiam afferens addit immediate Lucretius:

Ex Lucretio.

*Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod*
*Rara tenet circum hunc fontem, quam cetera tellus:*
*Multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.*
*Hinc vbi roriferis terram nox obruit vmbris*
*Extemplo subtus frigescit terra, coitque.*
*Hac ratione fit, vt tanquam compressa manu sit,*
*Exprimat in fontem quæ semina cumque habet ignis.*
*Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.*
*Inde vbi Sol radijs terram dimouit obortis,*
*Et rarefecit calido miscente vapore:*
*Rursus in antiquas redeunt primordia sedes*
*Ignis, & in terram cedit calor omnis aquai.*
*Frigidus hanc ob rem sit fons in luce diurna.*
*Præterea Solis radijs iactatur aquai*
*Humor, & in luce tremulo rarescit ab æstu:*
*Propterea fit, vti quæ semina cumque habet ignis,*
*Dimittat, quasi sæpe gelum, quod continet in se,*
*Mittit, & exsoluit glaciem, nodosque relaxit.*

Quibus duas causas afferre videtur euentus admirandi propositi Lucretius; prima quidem est, quod fons iste situm habeat in terra rara & spongiosa, quæ multas intra se contineat exhalationes igneas; quo factum est, vt nocturno frigore terra compressa coeat in se se, proindeque feruidos illos halitus in fontem exprimat, quibus

mentionem ab Aristotele fieri non videmus in Admirandis Auditionibus, quæ prostant, nec alibi: Fortassis Antigonus locupletiores habuit Aristotelicas illas Auditiones. mutat attamen ipse conditiones fontis, quem calidum media nocte pariter & meridie ponit solus. Plinius autem alibi de hoc etiam fonte dicebat: i *Iouis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet*. Qui statim addit: *In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, & circa meridiem maxime frigidus, mox paulatim tepescens, ad noctis media feruore & amaritudine infestatur*. Qui tertius fons celebratur alius ab Hammonio, & Garamantico, quod illi solum mutationes caloris atque frigoris quotidie subeant, sed iste præterea saporem interdiu dulcem, noctu mutet in amarum; quæ quidem mutatio peræque mirabilis est atque mutatio diurnæ frigiditatis in caliditatem nocturnam, vt vnicuique constat. Porro quamuis eadem sit conditio proprietasque mira trium istorum fontium; D. Augustinus tamen vnius Garamantici meminit, non Hammonij, neque Troglodytici. Ceterum huius admirabilis euentus causam physicam omnium primi referre conati sunt aliqui in Solem noctu fontis alueum subterraneum percalefacientem, sed irrito conatu; quos apte refert, atque refellit his versibus k Lucretius immediate subnexis:

i lib. 5. cap. 103.

*Quæsiti solutio ex antiquis.*

k l. 6.

*Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri*
*Sole putant subter terras feruescere raptim,*
*Nox vbi terribili terras caligine texit.*

Quasi Sol noctu fontis alueum infernum posticum ab opposita terræ parte calefacere queat, calore transmisso longius ab Antipodum regionibus ad ima fontis: qui Sol interdiu tangens aquam nudam, nullo corpore terræ contectam calefacere non potuit: vnde recte subdit,

*Quod nimis a vera est longe ratione remotum.*

*Quip-*

*Quippe vbi Sol nudum contrectans corpus aquai,*
*Non quierit calidum supera de reddere parte.*
*Quum superum lumen tanto feruore fruatur;*
*Qui queat hic subter tam crasso corpore terram*
*Percoquere humorem, & calido sociare vapori?*
*Præsertim quum vix possit per septa domorum*
*Insinuare suum radijs ardentibus æstum.*

Ipse vero propriam de proposito sententiam afferens addit immediate Lucretius:

Ex Lucretio.

*Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod*
*Rara tenet circum hunc fontem, quam cetera tellus:*
*Multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.*
*Hinc vbi roriferis terram nox obruit vmbris*
*Extemplo subtus frigescit terra, coitque.*
*Hac ratione fit, vt tanquam compressa manu sit,*
*Exprimat in fontem quæ semina cumque habet ignis.*
*Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.*
*Inde vbi Sol radijs terram dimouit obortis,*
*Et rarefecit calido miscente vapore:*
*Rursus in antiquas redeunt primordia sedes*
*Ignis, & in terram cedit calor omnis aquai.*
*Frigidus hanc ob rem sit fons in luce diurna.*
*Præterea Solis radijs iactatur aquai*
*Humor, & in luce tremulo rarescit ab æstu:*
*Propterea fit, vti quæ semina cumque habet ignis,*
*Dimittat, quasi sæpe gelum, quod continet in se,*
*Mittit, & exsoluit glaciem, nodosque relaxit.*

Quibus duas causas afferre videtur euentus admirandi propositi Lucretius; prima quidem est, quod fons iste situm habeat in terra rara & spongiosa, quæ multas intra se contineat exhalationes igneas; quo factum est, vt nocturno frigore terra compressa coeat in se se, proindeque feruidos illos halitus in fontem exprimat, quibus

aqua calescat noctu: dum vero interdiu Sol calore suo terram laxans ad pristinam raritatem redegerit, ea suas igneas exhalationes intra se recipiat, & contineat; quibus aqua destituta natiuam sibi frigiditatem interdiu recuperet. Secunda vero causa non ad terram, sed ad aquam tota refertur; quod censet Lucretius, interdiu Solaribus radijs aquam rarescere, proptereaque contenta quæcumque sunt in aquæ corpore semina ignis, ex aqua euolent; ea proinde spoliata feruidis ignis corpusculis omnino, frigescat; sed noctu continens in se talia corpuscula ignis, ab illis feruorem sibi conquirat. Quarum causarum nulla mihi videtur afferre solutionem quęsiti: non quidem prima, tum quia falso ponitur, terram raram & spongiosam nocturno frigore comprimi, ac in se se coire; proindeque feruidas exhalationes igneas in aquam fontis exprimere; namque terræ durities impedit quo minus a frigore comprimi valeat, & compressa exprimere semina ignis in se contenta; nam si spongia mollis compressa dimittit ab se liquorem contentum: dura tamen substantia pumicis rari nullo frigore comprimi poterit, vt intra se contentum corpus aeris expellat. tum quia dum a superni Solis radijs interdiu terra calescit, atque rarescit, laxaturque, si placet, non ideo feruidæ ignium exhalationes deorsum in terram ex aquæ corpore feruntur; etenim non solum ignis est natura sua sursum a terra scandere, non autem deorsum intra terram descendere: verum etiam æstiuis temporibus interiora terræ frigent; hieme calescunt magis: vt vnicuique constat experimento. Secunda causa longe magis abest a vero, quia non solum huius fontis aqua, sed cuiusvis alterius ob istiusmodi rationem interdiu frigida, noctu vero calida pariter in summo sentiretur: quod non contingere, certissimum est; quum ista varietas propria sit paucis-

simo-

ſimorum fontium obſeruatorum apud Garamantas, Troglodytas, & Hammonem. Aptius quæſitum ſoluere videtur, verioremque cauſam euentus afferre D. Coſtæus præceptor, aſſeuerans in opere ſuo De potu in morbis: *l Quæ de caloris ac frigoris viciſſitudine ſcribuntur, an quemadmodum fontibus optimis accidit, hyeme calidis eſſe, ob caloris in interiora terræ reuocationem; æſtate frigidis, ob eiuſdem foras euaporationem: ita Hammonis fons, contracto per noctis frigus calore, calet; expanſo interdiu foras, friget? Quod etiam de Troglodytico aiunt, an eadem quoque eſt nocturni caloris, & diurni frigoris ratio? & hæc eadem mutati quoque ſaporis eſt cauſa? Quia enim amarus ſapor terrenum, & exuſtum vaporem ſequitur, an hic denſata noctu aquæ ſuperficie non exhalans, ſed in ipſa aqua retentus cum calore, amarore aquam inficit? contra rareſacta aquæ ſubſtantia interdiu, cum caliditate, quæ diſſlatur, ſaporis quoque corrigitur prauitas, remanetque fons & frigidus, & dulcis.* Verum enimvero non omnino videtur his haberi plana quæſiti ſolutio: tum quia non apparet hinc ratio, cur eadem viciſſitudo qualitatum contrariarum diu noctuque non animaduertatur in alijs fontibus; quum aqua fontis cuiusque ſit aqua pariter diurno calore, frigoreque nocturno alterabilis: tum quia non aſſignatur cauſa cur viciſſitudo caloris & frigoris in alijs fontibus omnibus oriatur ex viciſſitudine hiemis & æſtatis, in his tribus peculiari modo ſequatur viciſſitudinem noctis atque diei: tum quia gratis accipitur, aquam Troglodytici fontis noctu denſari ſic in ſuperficie, vt prohibeatur egreſſus aduſtarum exhalationum illi conciliantium amaritudinem; quomodo non æſtuans aqua noctu raram habet ſui ſuperficiem ab interno calore rareſaciente? quomodo calore, qui feruidam aquam illam reddit, attenuatæ fuliginoſæ vaporationes ex aquæ ſuperficie non erumpant,

Ex Coſtæo.

l li. 1. c. 36. *De mutatione caloris & frigoris.*

*Mutatio ſaporis vnde.*

eam perforantes? quomodo densitas, imperceptibilis omnino sensui, poterit impedire noctu fumosas adustiones ex aqua Troglodytica? quomodo peculiare fonti Troglodytico fuerit hoc admirabile, non commune ceteris, ac Hammonio speciatim, & Garamantico, qui sine mutatione saporum, solas primas qualitates actiuas die nocteque permutant? Aliter igitur, & altius, atque distinctius est hac in re philosophandum. Censeo mirabilis huius euentus vtriusque causam non in solam aquæ conditionem propriam, nec in solam subiectæ circumfusæque fonti telluris proprietatem referri debere; ac vt primum de mutatione caliditatis, & frigiditatis aquarum istorum fontium ad mutationem contrariam earundem qualitatum aeris ambientis nocturni diurnique seorsim agamus: illud ante omnia sumere lubet ex inuariabili quotannis experientia, puteorum aquas hieme calidiores esse, contra frigidas æstate: cuius varietatis causa sit, quod hieme frigiditas ambientis pellat non solum calidas exhalationes in superficie terræ degentes ad interiorem humi sinum, sed etiã prohibeat exhalationes e subterraneis ignibus assidue sursum emergere tentantes attolli; quare coaceruatæ plurimæ superimpositas illi telluri aquas calefaciunt hieme; sed æstate calor ambientis euocat ad se feruidas telluris exhalationes, quibus expoliata terra sub aquis natiua frigiditate riget, qua consimilem qualitatem superiacentis aquæ conseruat non solum, sed etiam adauget; vnde sunt aquæ fontium, & puteorum (qui fontes operti sunt) impense frigidæ temporibus æstiuis; quam doctrinam latissime proposuit in libro *De natura pueri Cous Hippocrates*. Deinde sumo, noctem hiemi, diem æstati comparari; quum hiems *m* Aristoteli fiat abeunte Sole a nobis, æstas e contra Sole ad nos accedente; diesque constituatur Solis præsentia, nox autem

*Solutio nostra sua iacit fundamenta.*

*II. Tu.d. m 2. de gen. t. 58.*

tem

tem eiusdem absentia. Quin & matutinum tempus accipio correspondere verno, meridianum æstiuo, vespertinum autumnali, nocturnum autem hiemali, penes varietatem caliditatis & frigiditatis in ambiente. Quam quidem varietatem Aristoteles etiam agnoscit in mense Lunari, dum ait: *n Propter quid Nilus decrescente mense magis fluit? quoniam hibernior decrescens est: & propter quid hibernior decrescens est? quoniam Luna deficit: hæc autem ita se habent inter se*: & alibi: ** Tum etiam vt menstrua secundum naturam mensibus decrescentibus potius fiant, eadem de causa occidit; tempus enim hoc mensis frigidius est & humidius, propter Lunæ decrementum, defectionemque. Sol enim per totum annum, hiemem atque æstatem facit; at Luna per mensem id agit: quod ita fit, non accessu discessuque Lunæ, sed alterum increscente luce, alterum decrescente*: vt initium mensis, quando Luna crescit, correspondeat verno tempori, & matutino, quando Sol nos accedit: medium mensis, dum adest plenilunium, correspondeat æstati pariter atque meridiei: Lunæ secunda quadratura post medium mensis æmuletur autumnum & vesperam: denique finis mensis circa Lunæ defectum referat hiemem, atque noctem: Quibus temporibus in ambiente fiat variatio caloris & frigoris; etenim noctes Lunæ silentis frigidissimæ sunt, augescentis minus frigidæ, plenilunij tepidiores, vt ait *o* Aristoteles; decrescentis Lunæ, caloris adhuc remissioris. Assumo tertio, Caliditatem ambientis per se quidem & immediate fontium, & puteorum aquas excalefacere, frigiditatem easdem refrigerare: sed per accidens, ac mediate contrarium fieri, vt ambiente calido frigescant aquæ, frigido calefiant, opposita de parte; nimirum ab aeris caliditate calor in aquæ summo producatur, & inde communicetur ad inferiores vtcumque partes; a frigido calescant primum aquæ partes

*n* 2. post. anal. t. 89.

* 4. de gen. an. c. 2.

*o* 4 de part. an. c. 5.

*III. Funda.*

tes

tes infimæ, vnde calor ascendat ad superas: De primo præclarum habemus Aristotelis problema p dicentis: *Cur puteorum aquæ tepidæ a meridie æstate reddantur? An quod tunc frigiditate aeris iam superata, calor plene inualuerit: ante autem frigor calore soluitur & cessat. Non enim simul alter cessat, alter inualescit: sed spatio temporis.* Nimirum nocturnis vaporibus aqueis aer plenus frigiditatem inde contraxit, qua superficiales aquæ partes alterauit ad frigidum, oriens mane Sol incipit sensim discutere frigidos illos aeris vapores, nec eos ex toto dispulit ex aere prius quam abierit meridies; etenim Sol matutinus radijs obliquis multos vapores leuiter absumit, nec nisi iam ad meridiem perductus rectis radijs illos omnino tollit, & aeris vniuersam frigiditatem nocturnam destruit; qua prorsus abolita, mox a meridie radijs feruidioribus aquarum summitates tepefacere potest in æstate. De secundo iam dictum est, hyberna frigiditate aeris pelli calidas exhalationes de terræ superficie ad intimos elementi sinus; inhiberique ne subterraneorum ignium fuligines ex imis locis ad extima telluris ascendant; quare congregatæ pulsæ de sursum cum infernis ascendere prohibitis, quin & his assidue coaceruatis, & auctis in imo telluris, ibi calor vehementior gignitur, quo superiacentes aquæ calefiunt ab imis partibus & calore subinde gliscente superiores etiam adeo calescunt, vt euincant ab aere partibus externis impactam frigiditatem. E contra calor ambientis viuidus vt aquæ superficiem immediate calefacit; ita tum attrahens ad se de terra calidas exhalationes: tum illis de se sponte sursum ascendentibus viam aperiens laxando terram, consumpto penitus humore, quo pori terrestres occludebantur: tum etiam frigidos vapores ex aquæ summo, summaque telluris regione sibi contrarios pellens ad aquæ fundum, ac terræ partes infimas; hi con-

p 24. sect. probl. 2.

congregati viribus pollentes, aquam ex imo perfrigerant adeo, vt communicata frigoris intensi qualitate per totum aquæ corpus aqua temporibus æstiuis, & in aere feruidiori frigeat vniuersa. Præterea sumere lubet ab Hippocrate, non æque cito calefieri, refrigerarique quaslibet aquas, sed alias citius, & facilius; alias e contra serius, ac difficilius; ait enim, q Aquam, quæ cito calefit, & cito refrigeratur, esse leuissimam; hoc est terrenarum partium minime participem, ac vt ait in com. Galenus facile alterabilem; quæ me iudice fuerit maxime pura, tenuis, & rara. Denique sumo, nonnullas esse aquas insidentes telluri, continenti semper ardentes ignes, modo fundo fontium viciniores, & magnos; modo minores, & ab alueo fontis paulo remotiores: vbi fons habuerit sub alueo subterraneos ignes magnos, & valde vicinos, huius aqua semper erit diu noctuque calida; sicuti sunt aquæ thermales Aponenses, & aliæ multæ passim. Vbi vero fons insederit humo non ita magnum, nec ita vicinum incendium obtinenti; fontis eius aqua de se frigida, tunc solum excalfiet, quando creuerit incendium, ac ex eo feruidiores exhalationes in maiori copia perrexerint ad fundum fontis, & aquæ. Modo cogita mecum, optime Balde, paucos admodum esse fontes, quibus in terra subsideat ignis ardens in tali proportione quantitatis, atque viciniæ, qua non nisi forinsecus ab aere frigido noctis exhalationes (interdiu per terræ meatus libere conscendentes ad aerem, a cuius calore simili euocari solitæ sint) pellantur ad intima telluris, & ibi coaceruatæ pergant ad aquæ fundum per patentiores meatus; vbi calefaciant aquam; ac huiusmodi tres esse propositos, Garamantinum, Troglodyticum, & Hammonium; in quibus ista tria conueniant, non in alijs vllis, ignis ardens in vicino loco subterraneo ad limita-

IV. Funda.

95. aph. 15

V. Fundam.

mitatam distantiam, vt ob nimiam viciniam aquæ non semper caleant, nec ob nimiam remotionem ex breui frigore nocturno tanta copia feruidarum exhalationum concentrari, cogiq. non valeat, quæ breui spacio temporis illius ad aquas fontis excalfaciendas perferri queant: In terra subdita fonti simul & illi circumposita ad determinatum spacium, meatus ad focum subterraneum, neque nimis arcti, neque nimis pauci sint, per quos debita sufficientium exhalationum feruidarum copia perferri valeat ad ima fontis calefacienda: In foco subterraneo non adsit nimis exigua fomitis accensi materia, quæ tantas exhalationes non edat, quantis opus est ad aquam fontis vniuersam intense calefaciendam; nec adeo multa, quæ semper aquam illam impense calefaciat. Quæ quidem quum difficile sit vna simul comperiri, propterea rari sunt fontes, ac solum tres enumerantur in mundo, qui noctu caleant, interdiu frigeant, Garamanticus, Troglodyticus, & Hammonius. Quare iam asserendum censeo, Fontem Garamantum, de quo D. Augustinus, ideo tam frigidum esse diebus, vt non bibatur impune, sed maximo cum caloris, potissimum ventriculi detrimento, cui sunt inimica omnia intense frigida: tam feruidum noctu, vt non tangatur innoxie; sed adurit carnes tangentium: cuius varietatis causa est, quia prope fontem illum sub terra semper ardet ignis in quadam debita distantia, & magnitudine, proportionatos habente meatus vsque ad ima fontis apte dispositos, & ad tellurem in debita distantia circumpositam: proportionatusque ignis adest ibi molis nec ita magnæ vt semper aquam percalefaciat, nec ita pusillæ, vt exhalationes feruidas vi frigoris concentratas congregare nequeat, quibus aqua calefiat. Itaq; nocturno frigore pellente calidas exhalationes in superficie telluris & aquę degentes ad interiores vtriusq;

*Solutio ex positis.*

par-

partes; prohibenteque ne quæ iugiter ex igne subterraneo generantur per adustionem terrenæ substantiæ, sursum ad aerem liberis meatibus exeant; ijs exhalationibus adauctis, quum in angusto loco contineri nequeant, per apertos & patentiores terræ meatus ad fundum fontis terminatos ascendunt, & aquam ex imo noctu percalefaciunt, & intensius eo calefaciunt, quo plures in eam inferuntur; sensim vero Solis radijs ad aerem diurnum accedentibus remittitur ambientis frigiditas, & inditur aeri solaris caliditas, qua permittitur exhalationibus de terreno foco sursum ascendentibus egressus in aera; quare prius impactæ liquori fontis exhalationes feruidæ, partim ex aqua euocatæ ab ambientis calore, partim non impeditæ sursum ex aquis euaporare a remissa frigiditate diem vicinum fugiente, partim destitutæ nouo fomite de subtus eas conseruante, partim denique superstites a contraria frigiditate aquæ natiua penitus extinctę, rursum interdiu se se reuocat aqua in pristinam frigiditatem: ac eo magis intensam, quo paulo prius noctu feruentiores extiterunt: etenim Aristotelis obseruatione, *r confert ad celeritatem congelationis & præcalefactam fuisse aquam*. Quin & aqua fontis illius interdiu frigidissima est vt bibi nequeat, quia propter suitenuitatem, vi caloris pristini sibi conquisitam intime penetrat linguam, oris & internam ventriculi tunicam ad intensissimum dolorem, ac tantam non innati caloris internecionem. Quod autem de Fonte Garamantum asseritur, id ipsum asserendum est de Fonte Iouis Hammonis, & de Troglodytico, quantum attinet ad mutationem frigiditatis diurnæ in caliditatem nocturnam, sed quod peculiare sibi Troglodyticus habet, vt interdiu dulcis gustetur, nocte saporem habeat amarum, eamdem ferme rationem obtinet cum aliqua differentia; nam exhalationes adustæ

r 1. meteo. su. 3. c. 2.

*De mutatione saporis.*

Kk me-

mediam naturam obtinent permistione terræ ac ignis excedentis; quæ quidem exhalatio plus ignis quam terræ adustæ continuerit, ea conciliat aquæ dulcem saporem, siue potius non tollit aquæ dulcem saporem; quæ vero exhalatio plus in se continet adustæ telluris, quam ignis, illa saporem amarum aquis conciliat, vt ex *f* Aristotele constat, & *t* Alberto. Quoniam igitur exhalationes illę, quæ noctu multæ permiscentur adustæ cum aqua fontis Garamantum, & Iouis Hammonis a prædominio sunt igneę cum minori terræ participatione; propterea noctu fontium illorum aquis intensam caliditatem conciliant, intacto sapore dulci sibi natiuo. Sed quoniam exhalationes adustæ noctu peruadentes aquam fontis Troglodytarum simul habent participationem multarum partium ignearum, atque terrenarum crassiorum; vt ab igneis aqua fontis acquirit calorem intensum, ita prorsus a terreis amarum saporem adipiscitur.

*f* 2. meteor. su. 1. c. 3.
*t* veget. l. 3 tr. 2. c 3.

## *De fonte in Epiro, faces accensas extinguente, ac extinctas accendente.* Cap. XXXV.

QVod insuper tertium admirabile profers ex D. Augustino scribente mox: *In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in ceteris extinguuntur; sed, non vt in ceteris, accenduntur extincta*. Desumpsit veritatem admirabilis huius etiam historiæ D. Augustinus e Classicis Autoribus; etenim Pomponius Mela scribit: *a In Epiro Dodonai Iouis templum, & fons ideo sacer, quod quum sit frigidus, & immersas faces, sicut ceteri extinguat, vbi sine igne procul admouentur, accendit*. Post eum Plinius ait: *b In Dodone Iouis fons, quum sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extincta admoueantur, accendit*. Post vtrumque Solinus *c* ex ipso Mela *d* sumens ait: *In Epiro sacer fons est, frigidus vltra*

*a* l. 2. c. 3.
*b* l. 2. c. 103
*c* Polyh. c. 12.
*d* loc. cit. l. 1. c. 3.

*vltra omnes aquas, & spectatæ diuersitatis; nam in eum si ardentem immergas facem, extinguit: si procul, ac sine igni admoneas, suopte ingenio (*alia litera legit, *incendio) inflammat. Dodone, vt Maro dicit, Ioui sacra est.* Ab his desumpsit Isidorus, quæ profert, *e In Epiro esse ferunt fontem, in quo faces extinguantur accensæ, & accendantur extinctæ.* Ante hos omnes de consimili fonte locutus est Antigonus Carystius in sua mirabilium historiarum Collectione, Græce productus a *f* Dalechampio, & ita Latine versus: *Circa Athamantam autem (*idest Thessaliam) *templum esse Nympharum, in quo fontem esse, cuius aqua quum sit frigidissima, quicquid tamen super eam aquam posueris, calefieri: quod si quis stipulam, aut lignum aridum, aut aliud quippiam tale admouerit, id flamma concepta statim accendit.* Lucretius item de consimili fonte *g* cecinit:

*Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe*
*Stupa iacit flammas, concepto protinus igni:*
*Tædaque consimili ratione accensa per vndas,*
*Conlucet, quocunque natans impellitur auris.*

De Dodonęo in Epiro fonte Plinius aliud miraculum prodit, allatis adijciens: *h Idem meridie semper deficit; qua de causa Anapauomenon vocant: mox increscens ad medium noctis exuberat; ab eo rursus sensim deficit.* cui videatur habere contrariam naturam putei, de quibus meminit Aristoteles inquiens: *i Iuxta paludem Ascaniam Mythopolis oppidum conditum est, quod per centum viginti quinque stadia a Cio distat; quo in oppido algore hiemis aduentante, puteos omnes exsiccari ferunt, vt nullo modo vas ab eorum aqua intingi possit: feruore autem æstatis adeo repleri, vt ad extrema puteorum labra vnda prosiliat.* Ceterum ibidem Plinius Dodonæo fonti consimilis proprietatis esse fontem alium obseruat, addens immediate propositis: *k In Illyrijs supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur.*

e 13. orig. c. 11.

f in Lucr. l. 6.

g lib. 6.

h l. 2. c. 103

i Admir. aud. c. 52.

k l. 2. c. 103

Verum enimvero D. Augustinus in præsentia, præter ceteros, videtur Pomponium Melam maxime secutus de fonte Dodonęi Iouis in Epiro, faces ardentes immersas, vt alij fontes efficiunt, extinguente, ac extinctas ad aliorum differentiam, accendente. Cuius quidem admirabilis rei causam ita proponit Doctiss. Præceptor Costæus: *l Scribunt gelidum esse fontem, cui immersæ faces extinguantur, extinctæ accendantur. Est hic aliquid rationi consentaneum. Sunt fontes non pauci, qui sulphuris, bituminisve paulum habent: atque hi, si a prima sui scaturigine multum absint, dum per frigida loca sæpe feruntur, frigent. Ipsis autem frequenter pinguis ille, quo scatent, succus superficiei innatat. Fax igitur accensa, sicut extingui non potest, nisi altius sub huiusmodi fontis superficie pingui immergatur; ita illi ipsi superficiei, dum immergitur, ignis vim imprimit, cui occurrens, dum extrahitur (extrahere autem celerrime oportet, ne aquam imbibat) rursum accenditur. Consimile quid non semel vidimus, tabulam ligneam aridam, aut etiam parietem, sulphure quidam quum clam illinisset, faculam ceream insufflando extinguit, statimque adhuc fumantem, & ignis semina retinentem tabulæ affricat, reaccenditur. Quod autem de Illyriorum fonte scribitur, vestes super illum expansas, quum frigidus sit, accendi: occultiorem habet, quam attingere nobis vt liceat, causam: sed hoc accedit ad fabulas; neque, licet ætate nostra Illyricæ oræ tutius omnia pateant, vbi tamen hic sit fons, aliquis nouit.* Profecto veritati litandum est apud inclytum Præceptorem. De fonte quidem Epiri, licet verum sit experimentum tabulæ sulphuratæ cereum extinctum fumigantem reaccendentis: at immersam faculam in aquis extinctam, tantum adhuc extractam ignis prunæ sibi retinere, fumique flammabilis, vt reaccendi valeat a bitumine sulphureque supernatante fontis aquæ, vix credi-

l 1. de pest. in morb. c. 22. Quæsiti solutio ex Costæo.

bile

bile fuerit. Præterea quod nemo veterum de reaccensione, sed omnes de simplici facis accensione testantur. Immo vero Mela, simul & Solinus asserunt, accendi faces eas, quæ sine igne fuerint admotæ. Quinimmo fatentur ijdem extinctas faces procul admotas, non tangentes aquam fontis, ab eo accendi. *Procul* autem hic sumitur pro eo quod *non immersum* est, siue pro eo quod *non tangit* aquam, sed prope illam sit; etenim facula *prope* laticem, respectu demersæ, tangentisve, dicitur *procul* abesse, quia discita, disiunctaque sit: respectu vero distantioris dicitur prope: Eruditissimo Salmasio tamen placuit assumere dictionem *procul* in contrario sensu, pro *vicine*, vt communiter *Eumenides*, hoc est, *benignæ* dicuntur Furiæ, quæ crudelissimæ sunt: *bellum*, quod minime bellum est; ait enim *m* suis in Plinianis ad Solinum, *Si procul ac sine igne admoueas*: ex Plinio: sed non dicit Plinius, si procul admoueas immo e longinquo non accendit extinctas faces, sed propius ac sine igne admotas. (Verum eruditissime Vir, Solinus non ex Plinio, sed ex Mela desumpsit, vbi sine igne procul admouentur: mox addit Salm.) An *procul* ἀρχαϊκῶς noster posuit, *ἀντὶ τοῦ prope?* ita videtur. Glossæ: Procul, ἐγγὺς καὶ μακρὰν, καὶ πόῤῥωθεν. Terentius in Hecyra: *Procul hinc stans accepi vxor*. ibi Donatus, *procul*, *nunc prope*. certe Philoxenus apud Glossas in Lexico Latino-Græco vetere scribit: *Procul*. ἐγγὺς, καὶ μακρὰν, καὶ πόῤῥωθεν attamen hinc non habeo apud Latinos autores *procul* sumi pro eo quod est *prope*. tum quia Philoxenus autoritatis tantæ non est: tum quia Lexicon Græco-Latinum vetus, quod Cyrilli scriptis additum apud easdem Glossas, maioris autoritatis, hæc habet, iuxta quæ possunt etiam intelligi Philoxeni verba, vel per ea corrigi: dicit enim Cyrillianum illud Lexicon: ἐγγὺς, *Prope*: μακρὰν, *Longe Procul*: πόῤ-

*Digressio de notationib. Cl. Salmasij*

*m pag. 136.*

πόῤῥωθεν, *Eminus, Procul*. Nec obest item Terentius in
* act. 4. sc. 3 * Hecyra, quicquid ibi Donatus asserat; etenim eo loci Poeta maritum Lachen introducit, asserentem coniugi suæ Sostratæ, se procul ab eius præsentia distantem, ab eaque non visum in Scena, vbi cum gnato colloquium habuerat, audiuisse sermonem, quem Sostrata cum filio Pamphilo seruerat, se purgans de suspicione, quam vir eius Laches habebat, ne culpa sua Philomena Pamphili sponsa cum socru se morari noluerit, sed matris domum redierit; quum ipse Laches veluti latens procul ab eis colloquentibus esset in extremo Scenæ: Quare *procul* illinc stantem audisse se dicit illos; quod ipsi vicini colloquerentur ad inuicem, ille vero ne ab ipsis conspiceretur, *procul* ab eis mansit in ea distantia, qua sermones eorum, auribus capere posset; vt comparatus ad viciniam inter se mutuo confabulantium, *procul* illinc stans audiuisse sermones ipsorum recte dicatur. Ita plane facula comparata demersæ, vel aquam immediate tangenti, proprijssime dicitur procul admota fonti, quæ non attingit aquas. Culpat autem Clarifs. Salmasius in alijs item

Solinus à Salmasio notatus.

„ Solinum addens: Mela: *vbi sine igne procul admonetur, accendit*: ab eo igitur sumpsit. Plinius in Dodone hunc
„ fontem esse dicit, Solinus in Epiro: Plinius simpliciter
„ gelidum vocat, & hoc satis ad miraculum: Noster vltra
„ omnes aquas frigidum facit, quod præter historiam est,
„ & furti negandi gratia additum. Omisit eiusdem fontis
„ aliud miraculum, quod Plinio ponitur; scribit enim eum
„ fontem semper meridie deficere, qua de causa dicitur
„ ἀναπαυόμενον incolæ vocant: *mox increscens ad medium*
„ *noctis exuberat, rursum sensim deficit*. ita legendum.
„ Ἀναπαυόμενος autem ideo dictus, quod meridie cessaret
„ & veluti requiesceret, quod soliti veteres, & meridiari
„ id dicebant Romani. Varro de R. R. *tamen æstiuum diem*

*si non*

*si non diffinderem meo insititio somno meridie, viuere non pos-* "
*sem*. ita scribi debet, ac interpungi. male est in editis, "
*æstiuo die*. sic lib. III. *æstate diem diuidere meridie* dixit, "
somno scilicet meridiano. ita & *diffindere diem æstiuum* "
*somno*. Hæc vir eruditissimus; quorum postrema de Varronio meridiari pulchra. Sed priora difficultatem habere videntur. Solinus e Mela si sumpsit, Fontem esse in Epiro, non est opponendus illi Plinius, qui ponit in Dodone. ac eo minus, quod Dodone locatur in Epiro; scribente Mela, *In Epiro Dodonæi Iouis templum, & fons ideo sacer* &c. Ex Mela eodem sicuti potuit Plinius assumere fontem esse Iouis in Dodone, nulla facta Epiri mentione: sic impune Solinus inde sumere sibi quiuit, Fontem in Epiro sacrum esse, præterito nomine Dodonæo. Neque culpandus est Solinus, quod Plinio ponente fontem simpliciter gelidum, quod satis sit ad miraculum, faciat vltra omnes aquas frigidum, quod præter historiam sit, & furti tegendi gratia additum: tum quia gelida fontis aqua supra communes alias aquas frigida dici vere potuit; tum quia culpandus eadem ratione Plinius esset, qui gelidum dixit, assumens a Pomponio, qui simpliciter frigidum posuerat; quod item satis est ad miraculum: magisque Plinius peccasset, eo quod gelidum frigidius est frigido simpliciter. Sique Plinius præter historiam non dixit, gelidum afferens fontem, quem Mela frigidū asseruerat, multoque antea Lucretius, nec id furti tegendi gratia mutauit; iam neque Solino fuit inurendum huiusmodi stigma. tum quia Solinus ipse secutus est Melam, qui secundum miraculum fontis non posuit; non autem Plinium, qui meminit diurni decrementi, & nocturni incrementi. De quo secundo miraculo satius fuisset causam inuestigare, quam Solinum de illo non agentem insimulare. Sed hac de re nos * alibi suo loco. Iam ad inclytum Costæum

*Solini defensio.*

* cap. seq.

vt

De fonte Illyrico.

vt redeamus, De fonte Illyrico fatemur & nos abditissimam esse causam, sed tamen insignes autores accusare non ausim, quasi nobis fabulosa commenta pro veris experimentis venditauerint: neque satis est ad fabulam arguendam, quod iste fons in Illyria nunc non habeatur, quia vt multi passim alij, desijsse potuit. Certe consimilia miracula proponit non inter fabulas Aristoteles, dum ait: n *Aiuntque fontem prope lapidem quendam magnum, ac sponte natum inesse, qui æstatis feruore ineunte ignis flammam effundere asseritur: at algore hiemis procedente ex eodem loco aquæ emanationem erumpere, quæ adeo frigida est, vt collecta minime a niue differre videatur. nec quidem hoc modico tempore apertum esse, sed vniuerso quidem æstu ignem emittit, ceteris vero anni temporibus aquam*. & antea: o *Circa Atitaniam, iuxta confinia Apolloniatis, saxum quoddam inesse autumant, ex quo quidem emissus ignis non percipitur; quum vero oleo desuper respergitur, inflammatur*. Et alibi: p *Sæpenumero etiam in mari euaporationes ignis existunt*. Liuius q arsisse mare testatur anno 535. ab V.C. Nicephori r testimonio, Roma sub Alarico, maritimi fluctus, perinde ac campi plurimo igne exardescere diu visi sunt. Alphonsi Veneti Vasæi s notatu, Anno Domini 939. e mari ortus ignis in varias fusus regiones vsque Zamoram multa oppida incendio absumpsit. Maioli pariter t obseruatu, *Sæpe id accidit, vt e mari erumpat ignis, sicut inter insulas Teram & Terasiam memorant auctores anno Dom. 716. quod in Insulis postea differemus pluribus. Idque in Italia apud Puteolos accidisse vel nostra ætate compertum est: extantque adhuc montes ex eiecta pumice confecti*. Quæ, cum alijs plurimis id generis alibi locorum obseruatis, indubiam fidem faciunt de Illyrico fonte superimpositas vestes accendente, non obstante frigiditate sua, quin ex illo sursum attollantur exhalationes igneæ de fundo scaturientes,

n admir. aud. c. 109.

o cap. 34.

p de mund. c. 5.

q lib. 23.

r l. 13. c. 36.

s Chron. Hisp.

t dier. canic. coll. de mari p. 214.

tes,

tes, vt infra latius apparebit. Quare iam ad alios accedamus autores, qui principale Quæsitum de fonte Dodonæo faces extinctis procul admotas accendente, accensas vero ac in eo demersas extinguente. Fontem Epiri talem quum supra descripsisset [u] Lucretius allatis versiculis,

[u] lib 6

*Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe*
*Stupa iacit flammas, concepto protinus igni:*
*Tædaque consimili ratione accensa per vndas,*
*Conlucet, quocumque natans impellitur auris.*

Cuius admirabilis euentus causam latius expromere nititur illico subdens:

*Quæsiti solutio ex Lucretio.*

*Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis*
*Semina, de terraque necesse est funditus ipsa*
*Ignis corpora per totum consurgere fontem,*
*Et simul expirare foras, exireque in auras,*
*Non tam viua tamen, calidus queat vt fieri fons.*
*Præterea dispersa foras erumpere cogit*
*Vis per aquam subito, sursumque ea conciliari:*
*Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquai.*
*Qui scatet, & salsas circum se dimouet vndas.*
*Et multis alijs præbet regionibus æquor*
*Vtilitatem opportunam sitientibus nautis,*
*Quod dulceis inter salsas interuomit vndas.*
*Sic igitur per eum possunt erumpere fontem,*
*Et scatere illa foras in stupam semina quo quum*
*Conueniunt, aut quum tædai corpori adhærent,*
*Ardescunt facile extemplo; quia multa quoque in se*
*Semina habent ignis stupæ, tædæque tenentes.*
*Non ne vides etiam nocturna ad lumina lychnum*
*Nuper vbi extinctum admoueas, accendier ante,*
*Quam tetigit flammam? tædamque pari ratione?*
*Multaque præterea prius ipso tacta vapore*

*Eminus ardeſcunt, quam comminus imbuat ignis.*
*Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum eſt.*

*Explicatur Lucretij ratio.*

Nimirum opinatur Lucretius huius admirabilis euentus eam eſſe cauſam, quia fontis aqua tota ſcateat igneis exhalationibus de ſubiacente ſolo in eam elatis, quæ foras etiam ob leuitatem aſcendant ex aqua in aerem: Quibus tamen exhalationibus igneis aqua fontis non incaleſcat, tum quia tantæ non ſunt, quæ ſufficiant ad aquam calefaciendam; tum quia frigiditate liquoris earum vis calefaciens hebetetur, ac extinguatur; tum quia non tandiu morantur in aqua vt eam calefacere valeant, ſed celeri curſu per eam ferantur; quemadmodum in plerisque maris regionibus de fundo ſcaturiens aqua dulcis impetuoſa marinam terebrat e pelago ſurgens in altum, atque nautis in medio mari dulcem potum exhibens, quæ celeri ſuo tranſcurſu tempus non habet aquam marinam dulcorandi. Quare iam egreſſæ foras exhalationes igneæ ſolitariæ de fontis aqua ſtupam, aut aliquam tædam ſi impingant, ob ignis illa ſemina, quibus affluunt, vtramque comburentes accendunt, non ſolum quia liberatæ prorſus ex aqua, cuius humore frigido labefictabantur, vires vſtorias ſibi natiuas recuperant, perinde ac viciſſim aqua feruens remota iam ab igne protinus in ſuam frigiditatem natiuam priſtinam ſe vindicat: verum etiam quia de fonte ſurgentes illæ igneæ exhalationes ignis propria ſemina coniungunt cũ conſimilibus ignium ſeminibus in ſtupa, tædaque conſiſtentibus, atque deliteſcentibus; a quibus corroborantur, & expoliantur omni frigida humiditate aquæ; ſi quum vna ſecum detulerint, vnde viribus auctæ facile ſtupam, ac tædam accendunt. Et ſane fumidam exhalationem ſine flamma poſſe ſtatim accendere ſtupas, atque tædas etiam diſtantes, quas non attingat flamma, de qua ſurgit exhalatio

fu-

fumida, confirmat experimentis Lucretius, tum quia sæpe videmus, fumum ardentis lucernæ procul ab inferiori flamma surgentem, seminibus ignis intra se contentis vna iunctis cum similibus delitescentibus in fumo distantis lucernæ tædæve recens extinctæ vtramque facile reaccendere. Quin etiam vicissim a flamma lucernæ superioris ardentis inferiorem nuper extinctam solo contactu fumi reaccendi, testatur Aristoteles alicubi dicens: x *Quæ sub lucernis posita exhalatio a superiori flamma accendit inferiorem lucernam; mirabilis enim & huius velocitas est, & similis proiectioni*. Qua ratione scribit alibi, y mare deuri facile posse, ad potabilis aquæ differentiam; quod ex mari surgunt exhalationes calidiores ob vnctuositatem, quam ex aqua dulci; quæ sunt faciliores inflammatu desuper ab igni; sæpe namque superficiei maris innatat bitumen, & naphtha, quæ facile rapiunt ad se se flammas etiam distantes, per fumum ac exhalationem igneam a se sursum ascendentem; quum ex maris salsugine substantia fuliginis oleaginosæ iugiter exhalet, quæ facile deuritur; suntque, Septalij notatu, z qui verissime asserant, tempore tepido ex mari oleum quasi sudorem manare; quod facile est mare intuentibus conspicere; quippe cæruleus ille color obscurus, speciemque liquidi bituminis præseferens, tum & marina ipsa infusa flammis exardescens, manifeste indicant non modicam inesse mari per salsuginem olei naturam; quæ cum sale vsque adeo conuenit, vt oleo permistus sal illud adaugeat; & e sale facile multum olei spagirici detrahant, vt a Andernacus ostendit. Arrianus item in Indica historia refert Ichthyophagos oleum e mari sibi depromere ad pisces condiendos. Quare Lucretius ista respiciens tandem ait, multa corpora tacta fumosa exhalatione prius eminus inflammari, quam proximo flammarum igne tangantur; ita

x 1. meteo. su. 2. c. 1.

y 23. sect. prob. 15. & 32.

z loc. cit.

a 2. de prif. & no. med.

bituminum genera, naphthaque præsertim ignes rapit ex interuallo vt ait *b* Plutarchus; Aproxidis item herbæ radicem *c* Plinius e Pythagora monet e longinquo flammis concipere, non secus atque naphtha. Sic explicatur Lucretij ratio de proposito; quæ quidem proxime videtur ad veritatem accedere, sed tamen illam non assequitur omnino; tum quia Democriti philosophiam colens opinatur ignium semina peræque reperiri ceteris in rebus, adeoque reliquis in fontibus, vt in isto; qui tamen alij non accendunt exstinctas tędas atq; stupas imminentes, vt iste: tum quia si labefactatæ ab aqua exhalationes illam excalfacere nequiuerunt, multo minus suspensam, aut innatantem fonti stupam, & extinctam facem inflammare poterunt: tum quia degens in stupa ignis permistus alijs elementis, non actu est, sed in ea potentia esse dicitur ab *d* Aristotele; cui omne agens agit quatenus est *e* actu: tum demum quia non habemus ex ista theoria causam alterius euentus admirabilis in hoc fonte, quem dicit *f* Plinius in meridie semper deficere, mox increscentem media nocte semper exuberare. Quare censuerim ego, duo peculiaria Dodonæo fonti natura inesse, quibus ad aliorum fontium differentiam habet ista duo miracula; quorum vt distinctam contemplationem agamus; id sane commune retinet cum ceteris fontibus, quod immersas ardentes faces extinguit, ab aqua, cuius proprium est flammas communiter extinguere; sed proprio quodam priuilegio faces extinctas accendit, non solum innatantes ac etiamnum fumantes, ignisque semina retinentes, ob naphthæ, bituminis, atque sulphuris portionem supernatantem, vt opinatur Cl. Costæus; verum etiam nunquam accensas, & procul positas, vt cum Pomponio Mela Solinus ait, non repugnante Lucretio, propter aliam causam; quia terra sub fonte

de-

*b* 5 sympos. qu 7.
*c* l.25.c.17.
*Extenditur Lucretij ratio.*
*d* 1. de gen. t.84.
*e* 8. phys. t.17.
*f* l.2.c.103.
*Solutio nostra.*

degens, non ita procul ab eo scatet igne multo, qui sensim assidue procreat exhalationes igneas, quæ per occultos terræ meatus ad ima fontis pergentes per aquæ substantiam vtcumque porosam, vel sibi latentia per eam foramina parantes egrediuntur foras in aerem: namque de marinis, & alijs aquis attolli sursum aliquando visibiles exhalationes igneas, aperte notaruunt insignes viri; Seneca dicit: * *Maiorum nostrorum memoria, vt Posidonius tradit, quum insula ex Aegæo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. Nam demum prodebat ignem, non continuum, sed ex interuallis emicantem, fulminum more, quotiens ardor inferius iacens superum pondus euicerat. Deinde saxa reuoluta, rupesque partim illæsæ, quas spiritus antequam verteretur, expulerat: partim exesæ, & in leuitatem pumicis versæ, nouissime cacumen exusti montis emicuit. Postea altitudini adiectum, & saxum illud in magnitudinem insulæ creuit. Idem nostra memoria, Valerio Asiatico Consule iterum accidit. Quorsus hæc retuli? vt appareret, nec extinctum ignem mari superfuso, nec impetum eius, grauitate ingentis vndæ prohibitum exire. Ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodorus Posidonij auditor tradidit, per quam diruptis aquis, ignis emersit. Quod si immensa aquarum vis subeuntium ex imo flammarum vim non potuit comprimere: quanto minus in aere extinguere ignem poterit nubium tenuis humor, & roscidus?* Theophrastus in proposito nostro scribit: * *Nam & hic in aere extenuato semper humore, & præcipiti violentoque impetu erumpente, interdum fragor & saltus quidam datur: interdum perpetuus crepitus, & inflammatio: quod idem quodammodo facit ignis in puteo, quum flatus est, eo scilicet ignescente.* Plinius item infit: * *Quid quod innumerabiles parui, sed naturales* ignes *scatent? In Nymphæo exit e petra flamma, quæ pluuijs accenditur. Exit & ad Aquas Scantias. Hæc quidem inua-*

*lida*

* 2. nat. qu. c. 26.

* lib. de Ignef.

* l. 2. c. 107

*lida quum transit, nec longe in alia materia durans. Viret æterno hunc fontem igneum contegens fraxinus.* & mox: *Quin & repentinos ignes existere, & in aquis, & in corporibus etiam humanis: Thrasymenum lacum arsisse totum*, &c. Ad hunc locum addit in suis notis Dalechampius: *Eadem flamma micat in vliginosa terra, quum baculo sculpitur prope Gratianopolim Allobrogum, ad fontem, quem Ardentem vocant, e qua stramen admodum possit accendi.* Permeat autem ex imo fundo fontis exhalatio ignis non difficulter; etenim Aristoteles in aqua meatus agnoscit, dum inquit: g *Cur mare perspectius, & dilucidius est, quam aqua potui idonea, quum crassius sit? dulcis enim salsa tenuior est. An tenuitas causa non est, cur mare dilucidius sit, sed directi meatus id faciunt, quos tum plurimos, tum amplissimos continet; ergo illa potu idonea spissa ex tenuitate suarum partium est, salsa amplioribus interstitijs inanit.* Per istos itaque meatus aquæ fontis, etsi marinis angustiores, minusque directas exhalationes igneæ de subiacente tellure scandere possunt ad fontis extimam superficiem. Quin & viam sibi per aquæ corpus parare possunt exhalationes tenues in aera, facilius quam aqua dulcis ex imo mari, cuius tamen substantiam crassiorem densa non valde minus aqua dulcis perforat in multis locis, vt optime notauit nuperrime Lucretius. Quæ quidem exhalationes aquam fontis minime calefaciunt, quod actu calidæ non sint in aqua, cuius frigiditate fuerint eneruatę, caloreque actuali prorsus exutæ; quem etiam magna ex parte perdiderunt procul ab igne subterraneo, vnde prosilierunt ad ima fontis per longiores frigidæ terræ cuniculos. At demum in aerem delatæ, qui natura sua calidus h est, etsi remisse i calidus, destitutæque vaporibus aqueis, pristinam suam sibi naturam, & qualitatem igneam acquirunt, ac velut hypecauma fiunt; quare comburunt vestes, accen-

g 23. sect. prob. 15.

h 2. de gen. t. 24. & sequentib.

i 1. phys. t. 54.

cendunt ſtupas, & inflammant extinctas faces; id autem faciunt procul a fonte, tum quia prope fontem adhuc implexæ ſunt vaporibus aqueis, nec dum ab eis omnino ſpoliatæ: tum quia procul a fonte multæ concurrunt in vnum, quæ prope fontem ad eius ſuperficiem diſperſæ adhuc erant, ſenſim illarum vnaquaque ad ſimilem accedente; quarum vnione coaceruationeq. calorem actuoſiorem acquirunt, ac vim vſtoriam; ignis enim lambens ob raritatem non vrit, & ob implexos vapores aqueos; quibus deſtituta iam exhalatio ſupra mediam regionem aeris impingens in materiam combuſtibilem eam accendit in ignita meteora; vt de fonte Dodonæo dicendum idipſum plane ſit, quod k Ariſtoteles in Meteorologia dicit, De globo ex elemento telluris & aquæ coagmentato, vi caloris ſolaris attolli ſurſum in aera duos halitus inuicem complicatos, exhalationem fumidam, ignis maxime participem; & vaporem aqueum, quem velut onus exhalatio ſecum defert; at relinquit in aere medio, vel infimo, vbi virtute frigoris ibi diu, noctuve vigentis vapor cogitur in niues, pluuias, rores, pruinas, & id generis; at calidior exhalatio, quę vaporibus aqueis ac frigidis implexa prope terram neque nos, neque aerem inferiorem, ac medium calefacere potuit; illis vaporibus omnino ſpoliata, procul a tellure, reſumit ſibi natiuas qualitates igneas (non ſecus ac aqua feruens remoto calefaciente, ſe vindicat in priſtinam frigiditatem naturalem) quibus & aerem illum ſupremum calefacit, & halitus ibi paſſim repertos inflammabiles accendit in varia meteora ignita ſtellarum cadentium, caprarum ſaltantium, cometarum, & id generis. Ita plane cogites vna mecum, Cl. Balde, ſub Epiri fonte non ita procul in terra ſubeſſe locum ardentis ignis, e quo iugiter per abditos meatus telluris ad ima fontis aſcendant exhalationes igneæ tenuiores,

k 1. meteo. ſu. 2. c. 1. & ſu. 3. c. 1.

quæ

quæ per aquæ substantiam, vtcumque labefactatæ a soli frigiditate, magisque adhuc ab aqua, de qua sursum foras exeuntes ad aliquam altitudinem, relictis prope fontem aqueis vaporibus, coeant procul ab illo in vnum corpus igneum subtilitate quidem, & raritate inadspectabile; quod tamen faces extinctas accendere valeat, & stupam inflammare, vestesque superpositas in altum comburere. Quod non euenit alijs fontibus, quia non habent infra se subterraneum ignem in ea mole, ac in ea distantia, qui valeat in superiacentes fontes debitam exhalationis huiusce copiam halare. Quod mihi nunc occurrit dicendum de miraculo naturæ a D. Augustino proposito.

*De fontis Epiri eiusdem diurno, nocturnoque fluxu & refluxu, & alterius æstu triplici: deque maris æstu.*
*Cap. XXXVI.*

QVod autem attulit de Fonte Dodonæo eodem mirabile aliud Plinius, inquiens: *a In Dodone Iouis fons, quum sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extincta admoueantur, accendit. Idem meridie semper deficit; qua de causa Anapauomenon vocant; mox increscens ad medium noctis exuberat; ab eo rursus sensim deficit:* & mox addens: *Contra Timauum amnem insula parua in mari est cum fontibus calidis, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuunturque.* Quodque Seneca scribit: *b Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt?* aliam obtinet causam in naturæ maiestate quoque delitescentem; cui paret etiam fortassis admirabilius Fons ille latices in lacum Larium deponens, qui ter in die suscipit æstum reciprocum, de quo Plinius Iunior in Epistolis inquit: *c Fons oritur in Monte, per saxa decurrit, deciditque in lacum Larium: huius*

a l.2.c.103

b 3 nat.qu. c.16.

c l.4. Epist. vlt.

*mira*

*mira natura, ter in die statis auctibus, ac diminutionibus crescit, decrescitque: cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur: iuxta recumbis, & vesceris; atque etiam ex ipso fonte, nam est frigidus, potas: interim ille certis dimensisque momentis vel subtrahitur, vel assurgit: anulum, seu quid aliud ponis in sicco, alluit sensim, ac nouissime operitur: detegitur rursum, paulatimque deseritur. Si diutius obserues, vtrumque iterum atque tertio videas. Spiritusne aliquis occultior os fontis & fauces modo laxat, modo includit, prout in latus occurrit, aut decessit expulsus: quod in ampullis ceterisque generis eiusdem videmus accidere, quibus non hians, nec statim patens exitus? Nam illa quoque quanquam prona & vergentia per quasdam obluctantis animae moras crebris quasi singultibus sistunt, quod effundunt. An quae Oceano natura fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur, aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur, & egeritur? An vt flumina, quae in mare deferuntur, aduersantibus ventis obuioque aestu retorquentur? Ita est aliquid, quod huius fontis excursum per momenta repercutiat. An latentibus venis certa mensura, quae dum colligit quod exhauserat, minor est riuus, & pigrior; is quum collegit, agilior, maiorque perfertur. An nescio quod libramentum abditum & caecum, quod quum exinanitum est, suscitat & elicit fontem; quum repletur, moratur, & strangulat? Scrutare tu causas, quae tantum miraculum efficiunt; mihi abunde est, si satis expressi quod efficitur.* Equidem his Plinium quaesiti primam causam proponere non video, sed euentus huius varios modos afferre; namque ventus intime latens si modo fauces internas fontis laxat, modo includit, prout in latus excurrit, aut decessit expulsus; nos quaerimus causam huius excursus, ac decessionis venti subterranei, rationemque cur statis ternis vicibus in die fiat. Iidem si fons hic aestuat reciproce ratione prorsus eadem, qua

*Solutiones ex Plinio.*

*Expenduntur Pliniana.*

mare; nos huius rei causam quęrimus in vtrisque. Quod autem ab externo vento fieri dicitur, id in proposito locum non habet, vt quemadmodum flumina ventis aduersis impediuntur ne libere ferantur in pelagus, vnde tumeant; & absentibus ventis flumina detumescant libere defluentia; quia venti forinsecus non ita statis vicibus ter in die fonti semper obuiant,& a fonte recedunt. Non abnuero, latentibus venis certa mensura, quæ dum colligit quod exhauserat, minuitur fons: qui recolligens aquas augeatur: sed nobis inquiritur causa huius collectionis aquarum modo in venis latentibus, modo in alueo patente fontis ad pręstitutas vices quotidianas illas æquales. Non negauero libramentum abditum & cæcum, quod exinanitum augeat fontem, repletum inaniat; sed peto qua ratione libramentum id efficiat; quo repleatur, & depleatur; quare statis illis vicibus; quidque proprie sit istud abditum & cæcum libramentum; ac omnino quæro causas physicas, quas Plinius ipse scrutari me iubet. Profecto non aliam esse causam physicam huius reciprocationis in fonte Lario, Dodonæo, & alijs plerisque reor, quam sit in mari; de cuius æstu nunc sat erit fundamenta breuiter afferre: Nimirum arbitror cum Aristotele, a cælorum motu, *d* ac lumine *e* præsertim gigni calorem hic apud nos in aere prope terram; qui calor ab aere telluri communicatus,tum sponte ex necessitate materiæ continuata serie partium ad interiora terræ viscera repit; tum etiam violenter a superueniente frigiditate aeris hiemalis, atque nocturni, deorsum magis ad centrum terræ semper impellitur. Calor iste profundioribus terræ partibus impactus, assidue validiores acquirit sibi vires, tum ratione circumobsistentis sibi frigiditatis, qua vnitur concentratus, & nouos gradus actiuitatis adipiscitur vnitus: tum ratione densitatis terræ subiectæ;

*d* 2. cæl. t.42.
*e* 1. meteo. c.4.

*Maris æstus explicatur, ad quæsiti solutionem.*

nam

nam in subiecto densiori calor est æstuosior: tum etiam ratione sulphurearum, bituminosarumque materierum, quas in ijs locis inuentas accendit. Quo factum est, vt calor hic in terræ finibus validissimus, & alia multa iugiter efficiat ignis opera, præcipueque de terra semper multam exhalationem procreet; vt ostendit *f* Aristoteles: Quæ quidem exhalatio leuem naturam sortita, connata sibi naturali propensione semper, qua data via, sursum inhiat in ventos. Ceterum quia ex intimis terræ partibus ad exteriorem eius oram non est semper huic exhalationi apertus exitus; proptera non vbique de terra surgit exhalatio talis; verum ex terræ specubus perpetuo, siue sine fine, vt ait *g* Plinius, & experimento compertum habemus in ore cuiusque cauernæ: Nisi forte contingat maximam vim exhalationum in aliqua telluris infera parte gigni, quæ nullũ obtineat perspiratum; tunc enim ista sibi viam parans & patefaciens, exitumque recludens terræmotu voragines efficit, per quas egressa montes & ciuitates integras, & fontes etiam absorbet. Sic in terra mari subiecta multæ passim cauernæ sunt, e quibus exiens exhalatio multa, maris aquas lentore suo nimium consistentes abrumpere non valens ac perforare, ipsas extollit in fluxu pertransiens radendo terram subiacentem, ita vt vbi tota penitus exierit exhalatio, sponte redeat aqua maris ac refluat in pristinum locum. Sed quia sub quibusdam maribus nullæ reperiuntur in terra cauernæ, de quibus exeat exhalatio venti; proptera non omnia maria fluxu & refluxu agitantur. Si quando vero tanta exhalationis portio in cauerna terræ sub maris aquis hiatum non habente colligatur, quæ possit violenter exitum sibi recludere; tunc disrupta cauerna fiunt in mari voragines absorbentes insulas veteres, facientesque distractiones partium continentis in insulas

*f* 1. meteo. su. 2. c. 1.

*g* l. 2. c. 45.

nouas, vt de Sicilia dudum contigisse memorant Aristoteles, Strabo, *i* Thucidides, Dionysius Halicarnasseus, Polybius, Plinius, Mela, Solinus, *k* Trogus, *l* Silius & alij citati a Leandro, speciatimque *m* Virgilius introducens Helenam ita dicentem,

i l.1.& 6.
k lib.4.
l lib.14.
m 3. Aen.

*Hæc loca vi quondam, & vasta concussa ruina*
*(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)*
*Dissiluisse ferunt, quum protinus vtraque tellus*
*Vna foret, ruerit medio ni pontus & vndis*
*Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque & vrbes*
*Littore diductas angusto interluit æstu.*

Claudiano quoque de raptu Proserpinæ tractanti
*Trinacria quondam Italiæ pars vna fuit.*

Et quoniam maria non omnia consimiliter cauernosam terram premunt, sed alibi sub aquis terra magis cauernosa est, alibi minus; propterea quædam maria euidentiorem patiuntur æstum, quædam obscuriorem: & quædam rariores habent in die fluxuum vicissitudines, quædam crebriores. Et quia hieme in terra magis viget calor, quam æstate; proinde maris æstus hieme semper maior est, quam æstate. Adde, quoniam non quæuis exhalationis portio valet maris molem attollendo parare sub vndis in terræ latenti superficie sibi viam ad exitum; proinde non semper fluit mare, sed statis vicibus fluit, ac refluit, tanto requisito tempore ad tantam exhalationis copiam coaceruandam, quanta sufficiat ad aquas eleuandas. Et quoniam aquarum moles, ac densitas vbique par & æqualis non est; ideo non consimiliter in omni mari eadem horarum mensura fit æstus. Id autem, quod simul in duabus quartis oppositis, orientali & occidentali, pariter Aquilonari & Australi, fiat fluxus, & refluxus eodem temporis interuallo, non aliunde prouenit, quam quia e maxima terræ cauerna sub mari, forte

a Pla-

a *n* Platone Barathri nomine vocata, iugiter exiens magna manus exhalationis, quum sursum recta scandere vsque ad aerem impediatur a vasta mole, crassitudineque aquarum; & ab earum pondere recta deorsum aquas deprimente congeries exhalationis illa scindatur in duas partes æquales, & simul vna pars ad dexteram mundi regionem in orientem plagam fertur, altera vero ad læuam in occidentē; qua exhalatione iam ad auras emersa, dum vtrimque maria in propriam sedem non absque impetu feruntur, exeuntem ex eodem specu exhalationem impellunt occurrentia ad os cauernæ: vbi ad eam molem colligitur noua exhalatio; quæ denuo quieturas alioquin aquas consimili modo attollat in nouum fluxum perpetuis vicibus; dum enim tantam in molem adaucta fuerit exhalatio, quæ tum nequeat ibi contineri, tum vim habeat aquas attollendi, & sub illis terram lambens foras in aerem exeundi, fluxum aquarum promouet; at in auras elata, permittit aquas in suum locum refluere. Idipsum dicendum est euenire duabus alijs quadris ob cauernam consimilem in opposita terræ parte sub aquis maximam exhalationum vim expirantem. Quod autem de mari dictum est, id ipsum dicendum est de Dodonæo fonte, nec non de plerisque alijs, quibus consimiliter inest incrementum & decrementum statutis horis; nempe sub ijs esse criptam exhalationes expirantem, quæ vbi collectæ fuerint ad eam molem, qua non amplius contineri valeant in specu, sed vim habeant, qua possint aquas attollere, sensim exeuntes inter aquam & alueum viam sibi parant, vnde sursum aquam attollentes, fontem adaugent; vbi iam expirauerint, fons imminuitur, aqua refluente deorsum in locum vacuum. Quod fit æquali mensura temporis, vicibusque statis; quoniam ad eandem mensuram exhalationis gignendam, & coaceruan-

*n* in Phædone.

*Solutio Quæsiti.*

uan-

uandam, æquale tempus requiritur, & æqualis calor in terræ subditæ specu. Neque mirum est, perennem esse hunc maris, ac fontis æstum; perennis est enim illius caussa, nimirum calor in terræ profundo suscitans exhalationes: & iugis est exhalationum exitus de terræ cauernis; quemadmodum perpetuus est tum exitus ignis ex Aetna, Theonochema, & alijs plerisque montibus assiduum ignem expirantibus: tum exitus fluuiorum plurium e fontibus. Quod autem cum communi placito referendus non sit æstus maris in Lunæ motum, vel inde patet, quod non solum simul dominari nequeat æque Luna super duas quartas mundi plagas ad inuicem oppositas, orientalem dico, & occidentalem, quæ simul tamen eodem tempore tument, ac alio tempore simul decrescunt; verum etiam quia Ludouicus Barthema testatur apud Indos Cambaiæ se vidisse maris aquas crescere ad oppositum nostri pelagi; quia crescunt apud nos aquæ magis in plenilunio, fluxum maiorem obtinentes, minorem in nouilunio; quum apud Indos aquæ maiorem e contra fluxum habeant in nouilunio, quam in plenilunio. Sed hac de Quæstione satis in proposito; redeamus iam ad Quæsita ex D. Augustino deducta.

lib.4.c.1.

*De Asbesto lapide semel accenso non patiente postea extinctionem. Cap. XXXVII.*

QVod vlterius affertur ex eodem D. Augustino dicente, *Asbeston Arcadia lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel iam non possit extingui.* Desumptum videtur a Solino, dicit enim: a *Nec lapidem spreuerimus, quem Arcadia mittit: Asbesto nomen est, ferri colore: hic accensus semel, extingui non potest.* Plinius hunc inter gemmas collocat, & ex eo linum fieri ponit incombustibile; scribit enim

a cap.13.

enim agens de gemmis, [b] *Asbestos in Arcadia montibus nascitur, coloris ferrei*. & multo ante de lino ex eo lapide facto: [c] *Inuentum iam est etiam* linum, *quod ignibus non absumeretur. Viuum id vocant: ardentesque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque viuere ardendo: rarum inuentu: difficile textu propter breuitatem. Rufus de cetero color splendescit igni. Quum inuentum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis Asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus autor est, linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cadi. Ergo huic lino principatus in toto orbe*. Longe mihi aliud est, quod de hoc lapide Asbesto Plinius, & Solinus aiunt: vere quidem Plinius inquit, ex eo confectum linum ignibus non absumi; nam & ego frustulum habeo lapidis Asbesti, e quo detracta tenui scrobe sæuo peruncta flammas concipit, quibus non absumitur; & absumpto sæuo statim flamma desinit; iterumque sæpius illita, & inflammata, nunquam detrimentum sensit Asbesti particula. Quod autem ait Solinus, Asbestum accensum semel extingui non posse, quod in argumentum sumpsit D. Augustinus aduersus Ethnicos, fides iam sit apud autores illos Ethnicos, & præsertim apud Solinum, e quo desumpsit id Augustinus: Namque mappæ Plinianæ, Regumque tunicæ tandiu flammis inuictæ arserunt, quandiu pingui fomite fuerunt imbutæ; quo iam consumpto desijt in eis collucere flamma. Sed fortasse Solinus eo sensu dixit, Asbestum semel accensum extingui non posse, quod tarde, difficileque nimium extingueretur; quo sensu dicit Aristoteles, [d] ingenerabile dici etiam, quod non facile, ne-

[b] l.36.c.10.

[c] l.19.c.1.

[d] 1. cæl. t.111.

e tex. 114. neque cito, aut bene generatur: & e incorruptibile, quod
f 2. de an. t. 103. non facile corrumpitur: & f & inuisibile, ingustabile, inaudibile, quod vix videri, gustari, audirive potest.
g l. 21. c. 6. Etenim & D. Augustinus paulo post ait de Lucerna Veneris, quam ex Asbesto lychnum & oleum habuisse suspicatur, ita sub dio exarsisse, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, dicto aduersariorum, quibus Asbesti naturam obijcit, de Solini Ethnici sententia inextinguibilem; non enim ex propria mente, quasi censeat Asbestum semel accensum esse penitus inextinguibilem, hoc argumentum proponit Augustinus, vt ad hominem argumentatur; & contra Ethnicum negantem ea miracula Dei, quorum non potest homo physicam rationem afferre, proponit miraculum naturæ in Asbesto lapide, quod Ethnicus fatetur esse verum, cuius rationem physicam adducere non potest. De quo lapide sic Isi-
h l. 16. c. 4. dorus in h Originibus ex Solino pariter & D. Augustino: *Asbeston Arcadiæ lapis, ferrei coloris: ab igne nomen sortitus, eo quod accensus semel, nunquam extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid humana ars molita est, quod gentiles capti sacrilegio mirarentur. Denique in templo quodam fuisse Veneris fanum dicunt, ibique candelabrum, & in eo lucernam sub diuo sic ardentem, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret.* Quare de lapide Asbesto dixerim, arte pos-
i cap. 6. se præparari sic (quod admonet D. i Augustinus inferius) vt accensus vel difficulter extinguatur, imbribus, & vento resistens, vt ignes artificiales alij multi; vel nunquam extinguatur, ob rationes a nobis allatas in opere De Lu-
k l. 3. c. 17 & seqq. cernis k Antiquorum; quas non est vt huc afferamus; præsertim quum latius explicatæ sint in editione secunda, quam vrget in præsentia Typographus Combi Venetus auctiorem multo, & æreis iconibus illustriorem. Ceterum ad allatum Plinij locum omittenda non sunt, quæ

po-

posuit apud Solinum Salmasius, vir infinitæ propemodum lectionis inquiens: *l* Asbesto nomen est ferri colore ] *ex Plinio, qui in montibus Arcadiæ nasci scribit. Hic accensus extingui nequit.* Apsictos *nomen quoque lapidis apud eundem Plinium, qui semel excalefactus nequit refrigerari.* ἄψικτος. *In optimo libro* Aspictos *scribitur*, vt Spycharion, Microspychus, *male in editis*, Asyctos *vocatur*. Aliter enim scribit Plinius de Asycto, quam gemmam non ait semel excalefactam non posse refrigerari, vt citat Vir Cl. sed solum septem diebus calorem in se retinere: verba Plinij sunt ipsissima: *m Asyctos septenis diebus calorem tenet excalfacta igni: nigra, ac ponderosa, distinguentibus eam venis rubentibus.* Quod autem de Asbesto dixerat Plinius *n* ex Anaxilao, linteo Asbestino circumdatam arborem, abscindi surdis ictibus, qui non sentiantur, tum habere potest intellectum, vt pro insensibilibus parum sensibiles accipiamus, & pro surdis exiguos ac tenuissimos sonos interpretemur, etenim *o* Aristoteles inaudibile ponit pro eo quod ægre auditur: *sicut enim paruus sonus inaudibilis quodammodo est*, inquit alicubi. Quin & lanæ percussæ sonum edere negantur a Philosopho, quæ tamen leuem sonum reddunt; ait ipse, *p Quædam enim non habere sonum dicimus, vt spongiam, lanam: quædam autem habere, vt æs, & quæcumque solida, & læuia sunt, quoniam possunt sonare.* & mox: *q sicut autem diximus, non quorumlibet ictus sonus est; nullum enim faciunt sonum lanæ, & si percutiantur: sed æs, & quæcumque lenia, & concaua sunt: æs quidem, quoniam lene est; concaua autem reflexione faciunt multos ictus post primum, non potente exire, quod motum est.* Ita ergo si circumdatam arborem Asbestino linteo percusseris, nullum inde sonum excusseris, ictusque surdos feceris, quia leues ac exiguos admodum sonos excitaueris; cuiusmodi sunt, qui lanæ percussionibus

*l* pag. 140. D.

*m* lib. 37. c. 10.

*n* l. 19. c. 1.

*Digressio, qua locus Plinij difficillimus illustratur.*

*o* 2. de an. t. 103.

*p* 2. de an. t. 77.

*q* tex. 78.

eliciuntur: prohibetur enim a linteo molli, cedenteque ferri motum aerem integrum a re percussa vsque ad auditum; quod illico subiungit Aristoteles addens: *f Amplius auditur in aere, & in aqua, sed minus: Non est autem soni dominus aer, neque aqua: sed oportet solidorum percussionem fieri ad inuicem, & ad aerem: hoc autem fit, quum permanet percussus aer, & non dissipatur*. Quoniam ergo percutiens arborem obtectam linteo solidum corpus immediate non percutit, sed molle linteum ac cedens; ob inæqualitatem cedentis aer dispergitur atque scinditur, nec vnus ac integer impellitur; in qua quidem aeris vnitate, ac integritate ponit paulo post Aristoteles naturam soni, dicens: *t Vacuum autem recte dicitur audiendi dominus: videtur enim esse vacuum aer: hic autem est faciens audire, quum mouetur continuus, & vnus. Sed propterea quod fragilis est, non sonat, nisi læue sit, quod percutitur; tunc autem vnus fit simul, propter planum; vnum enim est læuis planum. u Sonatiuum igitur est, quod motiuum est vnius aeris continuitate vsque ad auditum*. Qua ratione igitur Aristoteles tum aerem vacuum appellat, quod sensui non apparet plenum ac solidum: tum sonum esse negat exilimum ex percussione lanæ factum: quem inaudibilem ait, quia vix audiatur, & parum afficiat auditum: ita recte Plinius ex Anaxilao ponere potuit arborem opertam Asbestino linteo cædi surdis ictibus, qui non audiantur; nam, vt ait alibi Magister, *x quoniam tanquam existeret, dicit intellectus; quod enim parum, tanquam nihil distare videtur*. Ac certe quemadmodum arbor operta panno, filtrove cæditur ictibus, qui parum audiuntur, ac veluti surdi sunt; ita non ab re circumdatam Asbestino linteo arborem cædi surdis ictibus, qui non audiantur, Anaxilao consentire Plinius valuit. Verum quia quæstionis huius vtriusque ratio petita fuit ex acceptione vocis inextin-

f tex 79.

t tex. 81.

u tex. 82.

x 2. phys. t. 56.

gui-

guibilis, & inaudibilis pro eo quod difficulter extinguitur, & parum auditur; operepretium fuerit ostendere frequentem atque familiarem esse Aristotelis huiuscemodi sensum in his, & consimilibus vocibus: Primum quidem de Ingenerabili ait: y *Dicitur autem ingenerabile vno quidem modo, sit aliquid nunc, quod prius non erat, sine generatione & mutatione, quemadmodum quidam tangi, & moueri dicunt; non enim generari dicunt id, quod tangitur, neque id quod mouetur. Vno autem, si quid, quod potest fieri, aut factum esse, non est: similiter enim & hoc ingenerabile, quia contingit fieri. Vno vero, si quid omnino impossibile est factum esse: vt quandoque quidem sit, quandoque autem non. Impossibile autem dicitur dupliciter; aut enim simpliciter; quia non verum est dicere quod factum vtique erit, aut quia non facile, neque cito, aut bene.* Solinus igitur, & Anaxilaus hoc modo postremo sumunt Asbestum esse inextinguibilem, & surdis ictibus, qui non audiantur, Asbesti linteo contectam arborem cædi. Dein Aristoteles addit: z *Et de Incorruptibili eadem ratio: Aut enim quod sine corruptione quandoque quidem est, quandoque autem non est, vt tactus ipsos, quia, quum prius sine corruptione sint, posterius non sunt. Aut existens quidem, impossibile autem non esse. Aut etiam, non futurum aliquando, nunc autem existens: tu enim es, & tactus nunc; sed tamen corruptibiles, quia erit aliquando, quando neque te esse verum erit dicere, neque hac tangere. Maxime autem proprie, quod quidem est, sed impossibile est corruptum esse sic, vt nunc existens posterius non sit, aut contingat non esse. Aut & id, quod nondum corruptum est, contingit autem posterius non esse. Dicitur autem incorruptibile & quod non facile corrumpitur.* Quo posteriore sensu vere dicere potuerunt Solinus & D. Augustinus, Asbestum semel accensum, esse inextinguibilem: & Anaxilaus apud Plinium, Asbesti linteo circumdatam ar-

y 1. cæl. t. 111.

z tex. 114.

borem surdis ictibus, qui non audiantur, excindi. Deinceps de Inaudibili, & alijs insensibilibus alibi scribit Aristoteles ita: a *Adhuc autem, sicut auditus, & vnusquisque sensuum hic quidem audibilis & inaudibilis, ille vero visibilis & inuisibilis, & olfactus odorabilis & inodorabilis. Inodorabile autem, aliud quidem, secundum id, quod omnino impossibile est habere odorem; aliud vero paruum habens, & prauum. Similiter autem & ingustabile dicitur.* & infra: b *Sicut autem visus & visibilis est, & inuisibilis (tenebrae enim inuisibiles sunt; indicat autem & has visus) adhuc autem & valde splendidi (etenim hoc inuisibile est: alio autem modo quam tenebrae) similiter autem & auditus & soni, & silentij; quorum aliud audibile, aliud inaudibile est: & magni soni; sicut visus est splendidi (sicut enim paruus sonus inaudibilis quodammodo est, sic & magnus, & violentus. Inuisibile autem aliud quidem omnino dicitur, sicut & in alijs, quod impossibile: aliud autem, si aptum natura non habet, aut praue, sicut carens pedibus, & carens nucleis) sic vtique & gustus est & gustabilis, & ingustabilis: hoc autem est, quod paruum, aut prauum habet saporem, aut corruptiuum gustus. Videtur autem principium esse potabile, & impotabile; gustus enim quidam ambo; sed hoc quidem est prauum, & corruptiuum gustus, illud autem secundum naturam.* Sic igitur & inextinguibile bifariam dicitur, aliud quidem, quod omnino non potest extingui; aliud vero, quod difficulter, atque tarde potest extingui; priori sensu dicebant Ethnici, contra quos agit D. Augustinus, Lucernam in fano Veneris sub dio esse penitus inextinguibilem, adscribentes id miraculo Veneris; & ad hominem argumentum proferens D. Augustinus aduersus eorum vnumquemque sumit ex Ethnico Solino lapidem Asbestum semel accensum esse penitus inextinguibilem: licet verus non sit iste sensus, at alius, quo Solinus existimauit, & D. Augu-

a 2. de an. t. 96.

b tex. 103.

gu-

gustinus, Asbestum esse inextinguibilem, quia semel accensus difficile possit extingui. Nec aliter asseras de surdis ictibus, & inaudibilibus, quibus Anaxilaus apud Plinium ait cædi arborem linteo Asbestino circumdatam. Hæc habui, quæ dicerem de proposito, mi Balde.

*De ligno ficus Aegyptiæ, quod primum ob grauitatem demergitur, & sub aquis acquisita leuitate, sponte sursum attollitur, & innatat aquis. Cap. XXXVIII.*

QVod autem postea refers ex eodem D. Augustino, *Lignum cuiusdam ficus Aegyptiæ non vt ligna cetera in aquis natare, sed mergi; & quod est mirabilius, quum in imo aliquandiu fuerit: inde ad aquæ superficiem rursus emergere; quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari:* desumptum plane fuit ex Theophrasto, Plinio, & eius compilatore Solino: Plinius etenim ait: [a] *Et in Aegypto multa genera, quæ non alibi. Ante omnia ficus, ob id Aegyptia cognominata. Arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquam fœcundo prouentu, scalpendo tantum ferreis vnguibus: aliter non maturescit. Sed quum factum est, quarto die demetitur, alio subnascente: septeno ita numerosa partu, per singulas æstates multo lacte abundante. Subnascitur, etiamsi non scalpatur, fœtus quater æstate, prioremque expellit immaturum. Materies proprij generis inter vtilissimas. Cæsa statim stagnis mergitur. Hoc est eius siccari. Et primo sidit, postea fluitare incipit: certoque fugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. Quum innatare cæperit, tempestiua habet signum.* Theophrastus ista prius ediderat de Moro Aegyptia dicens: [b] *Sunt enim pleraque in Aegypto arbores, vt morus,* (sua lingua συκάμινος) *& persea dicta, & glans, & spina, & aliæ*

[a] l. 13. c. 7.

[b] 4. de hist. pl. c. 2.

*& alia quædam, quæ peregrinari omnino nequeunt. Morus similis quodammodo Moro nostrati est; quippe folio, magnitudine, aspectuque proxima. Fructus præter ceteras peculiariter gignit, vt volumine primo disseruimus. Non enim germinibus, non ramis, sed caudice pomum parit, magnitudine ficus, & visu proximum. Succo atque sapore caprificis sane simile, verum longe dulcius, granisque internis omnino carens, multitudine numerosius. Maturescere nequit, nisi scalptum. Quæ quum scalpta sint, ad quartum diem maturescunt diuersitate nulla. Hisce ablatis alia & alia ex eodem loco subnascuntur: idque alij ter, alij sæpius factitari æstimant. Rimosa arbor admodum est, & ligno ad multa percommodo. Proprium id præter cetera habere videtur, quod cæsum continuo viride est; tum autem profundum petit, ac mergitur: tum enim in profundas fodinas, stagnaque proxima conditur: madefactumque in profundo siccatur. Quumque siccum omnino fuerit, superstuitat, atque innatat. Itaque probe tum conditum esse videtur; fit enim leue atque solutum. Morus proprietates hasce habet.* Alibi tamen idem Theophrastus, quam in præsentia Morum a folijs nuncupat, a fructibus ficum Aegyptiam appellat, vbi dicit primum: c *Veteres autem cessant, quod effætas iam eas longa ætas reddiderit; quemadmodum arbor illa in Aegypto, quæ anno centesimo fructificare narratur. Ficus autem regionis eiusdem, nunquam nisi scalptis fructibus oleoque perunctis concoquere potest; ex humorum scilicet vbertate, nimiaque alimentorum copia.* Deinde: d *In ipsis arboribus, locis feruidis, atque aptissimis, immaturi persistunt* fructus: *scalpti autem, & oleo illiti (vt dictum est, incipiunt maturescere, vt ficus Aegyptiæ: illis enim ad hunc modum tractatis, humoris, ac spiritus aliquid effluit, & calor admitti amplius potest.* Sic ergo Theophrastus eandem arborem modo Morum, hoc est Interpreti, sed sua lingua Sycaminum, modo ficum Ægyptiam appellat. Hanc

c 1. de caus. pl. c. 21.

d 2. de cau. pl. c. 10.

Hanc Dioscorides foliorum æque Mori, fructuumque ficus habita semper ratione, vno communi nomine composito Sycomorum nuncupare maluit: *e* etsi nihil de proposito miraculo spontaneæ emersionis post submersionem itidem spontaneam. Solinus cum Plinio, non Morum, neque Sycomorum, sed Ficum Aegyptiam vocat; eademque fere promit, quæ Plinius; ait enim; *f De Arboribus, quas sola fert Aegyptus, præcipua est Ficus Aegyptia, folijs Moro comparanda; poma non ramis tantum gestitans, sed & caudice. Vsque adeo fœcunditatis suæ augusta est, vt vno anno septies fructum sufficiat. Vnde pomum decerpseris, alterum sine mora protuberat. Materia eius in aquam missa subsidit; deinde quum diu desederit in liquore, leuior facta sustollitur, & versa vice, quod natura in alio ligni genere non recipit, fit humore sicca.* Ceterum inter hos Classicos de Ficu Aegyptia non desunt controuersiæ; namq; Theophrastus Plinio persuasit, & Solino, solum in Aegypto nasci, nec alibi peregrinari: contra tamen Dioscorides eam in Caria, & Rhodo quoque prouenire scribit, eadem enim est Sycomorus, & Ficus Aegyptia (vt obseruat, apud Lucam Cl. * Maldonatus) dum ait: *g Sycomorum, aliqui etiam Sycaminum, idest morum vocant: cuius fructus Sycomorum etiam, propter inefficacem gustum appellatur. Arbor est magna, fico similis, frondosa, multo lacte abundans, folijs mori: pomum ter, aut quater anno fert, non ramis, vt fico, sed caudice ipso: caprifico non dissimile, dulcius, grossis sine granis interioribus; quod non maturescit, nisi vngue, aut ferro scalpatur. Nascitur plurimum in Caria, Rhodo, locisque non multi tritici feracibus, vbi prouentu fecundo, restibilique iuuamentum adfert, quum annona premit.* Quin & in Syria nasci Sycomorum constat e sacra pagina tum vetere, scriptum habente, *h Fecitque vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum: & ce-*

*e* l.1.c.144.

*f* cap.45.

*I. Controu.*

* com. in c.19.

*g* lib. 1. c.144.

*h* 3.Reg. c.10.

*cedrorum præbuit multitudinem, quasi Sycomoros quæ nascuntur in campestribus*. & alibi: *i Præbuitque Rex argentum & aurum in Hierusalem quasi lapides, & cedros quasi Sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.* & alio loco: *k Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam in superbia & magnitudine cordis, dicentes, Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus*. & alibi quoque: *l Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi: & in Bethel non adÿcies vltra vt prophetes: quia sanctificatio regis est, & domus regni est. Respónditque Amos, & dixit ad Amasiam, Non sum propheta, & non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum, vellicans Sycomoros*. Prophetauit autem hic in Syria, quum, vt legitur in prologo, fuerit eius cognatio ex oppido Thecue, quod sex miliaribus distat a Bethleem. tum etiam noua, scribente D. Luca: *m Et ingressus perambulabat Iericho; et ecce vir nomine Zachæus; & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues: & quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus*: Iericho autem in Syria est, non in Aegypto: sic ergo Sycomorus non in Aegypto sola nascitur, vt aiunt Theophrastus, Plinius, atque Solinus. At isti fortasse Syriam, quod esset Aegypto contermina, non distinxerunt ab Aegypto; quo nomine Naso non distinxit Aethiopiam ab Indis, quibus vtcumque contermina est, dum *o* cecinit:

*Perseus Andromedem nigris portauit ab Indis*.

Qua de re late nos alibi, *p* tractantes de Monstrorum natura, caussis & differentijs. Maius momentum habet Dioscoridis testimonium de Caria, & Rhodo: & D. Augu-

sti-

*i* 2. Paral. c. 1. & 9.

k Isai. 9.

*l* Amos 7

*m* cap. 19.

*Solutio.*

*o* 1. de arte am.

*p* 2 d. mõstr. cau. c. 47.

stini q dicentis: *Et quale genus ligni ascendit Zachæus? Sycomorum. In regionibus nostris aut omnino nusquam, aut raro forte alicubi nascitur; in illis autem partibus multum est huius generis ligni. Et poma sycomora dicuntur, pomo quidem fici similia, sed tamen distant aliquid; quod possunt nosse, qui viderunt, vel gustauerunt. Quantum tamen indicant interpretatione nominis, Sycomora Ficus fatuæ Latine interpretantur*. Placet attamen cum Galeno mori vocem ab arbore moro deduci, cuius folia imitatur sycomorus; nam græce συκάμινος dicitur, absque relatione prorsus vlla ad fatuitatem, sed ad solam arborem Morum, quæ Græce Μορέα, ἡ συκάμινος appellatur. At Plinius, atque Solinus cum Theophrasto fortasse tractarunt de loco primi natalis earum arborum: alioqui cæcutierunt in proposito. Secunda controuersia est, qua Theophrastus, Dioscorides, & Plinius aiunt arborem istam fructus ferre caudice, non ramis: vnus Solinus ait, eam poma non ramis tantum gestitare, sed & caudice. Hanc litem sedaueris, si cum Matthiolo Galenum legeris ita scribentem: r *In Alexandria Sycomori plantam vidi vna cum fructu, paruæ, candidæque ficui adsimilem. Is fructus nullam habet acrimoniam, exiguæ dulcedinis est particeps; estque facultate humidior quodammodo, ac frigidior, veluti mora. Quinimmo inter mora, ac ficus medium iure quis ipsum collocarit; atque hinc nomen ipsi inditum esse mihi videtur. Ridiculi namque sunt, qui fructum hunc ob id aiunt Sycomora fuisse nominatum, quod paruis ficubus assimiletur. Ipsius autem nascendi ratio ab alijs arborum fructibus quodammodo est diuersa: haud enim ex primoribus ramulis, ac germinibus, sed ex prægrandibus ramis, caudiceque enascitur*. Sed in meo textu nonnihil habeo varietatis, habet enim: *Plantam Sycomori vidi in Alexandria vna cum fructu, paruæ ficui albæ adsimilem. Is fructus nullam habet acrimoniam: exiguæ tamen*

q ser. 8. de verb. Ap.

II. Controu.

Solutio.

r 2. de al. fac.

s 2. de simp. al. fa. c. 35.

*dulcedinis est particeps; estque facultate, vt mora, humidior quodammodo, ac frigidior. Quin potius in medio mororum ac ficuum iure quis ipsum collocarit; indeque nomen ipsi arbitror esse positum: ridiculi enim sunt, qui fructum hunc ob id aiunt sycomora fuisse nominatum, quod paruis ficubus sit assimilis. Ipsius autem generatio ab alijs arborum fructibus quodammodo est diuersa; non enim ex surculis ac germinibus, sed ex ipsis ramis ac stipitibus enascitur.* Nimirum quum aliæ passim arbores, ficusque vulgares præsertim, suos fructus edant non ex trunco, nec ex ramis maioribus, verum ex ipsis surculis, atque germinibus, qui subtiles, tenues, tenerique sunt in cacuminibus ramorum; e contra Sycomorus vna plantarum omnium suos fructus egerit e caudice plurimos, & nonnullos etiam e magnis densisque ramorum corporibus, qua caudici proxime nectuntur; non autem in ramorum summitatibus tenuioribus, nec in eorum corporibus secundum partes a caudice distantes; vt videre licet in icone Sycomori nobis ob oculos apud Dioscoridem a Matthiolo proposita; & vt mihi testatus est de visu Cl. Veslingius, qui plures annos in Aegypto Medicinam coluit; addiditque Sycomori plantas esse maximas, & ex vna radice simul caudices plures amplos emergere; vnde patet a Galeno visam fuisse plantam nouellam. Theophrastus itaque cum Dioscoride conferentes originem fructuum Sycomori cum ortu fructuum ficus vulgaris, & aliarum arborum, dicere potuerunt apte non ex ramis, at ex caudice Sycomori fructus exoriri: Solinus autem considerans originem fructuum Sycomori simpliciter, nulla collatione facta cum alijs arboribus, optime dicit Sycomorum fructus edere non ex caudice solum, sed etiam ex ramis. Quin etiam ramorum nomine Theophrastus & Dioscorides totam rami corpulentiam intelligunt, e qua tota

fru-

fructus non oriuntur in Sycomoro: Solinus autem ramorum nomine quamlibet eorum partem intelligit, etiam caudici proximam; e qua sola prodeunt fructus ramorum in Sycomoro, præter eos, qui prodeunt e caudice. Ceterum ratio cur Sycomorus ad aliarum arborum, vulgariumque ficuum differentiam fructus egerat e trunco, & e ramis prope caudicem; ea fortasse fuerit, quod Sycomorus habet non solum substantiam sui ligni non admodum densam & compactam: humoremque nutritiuum, in materiam fructuum concessurum, non admodum crassum & viscidum, sed fluidiusculum, & in maxima vbertate: locumque natalem in regione calidiore; quæ singula constant ex obseruatis apud Theophrastum: itaque caliditas ambientis vigens digerit in trunco Sycomori succum alimentarem abundantiorem, & ex caudicis non densa valde, neque nimium compacta substantia elicit ipsum in fructus; quum arbores aliæ minori succo scatentes, & densiore substantia, ducunt per eam vniuersam ad vltimos ramorum fines alimentarem succum in constitutionem fructuum; ac eo magis, quo fructus quum *t* semina sint, aut semen in se se contineant, Aristotele doctore; cui semen absolute definitur *u* esse excrementum vtile vltimi alimenti mutati; nimirum quod superabundat nutritioni partim fere omnium; iam communiter arbores omnes fere fructus edunt in ramorum cacuminibus, quod fructuum materia sit succus alimento plantæ totius superabundans: at in Sycomoro caudices amplissimi sunt, rami statim fere a trunco siue prope truncum valde subtiles exiguique; succusque nimium exuberans in caudice; propterea prorumpit e trunco, & initio ramorum in substantiam fructus, nec in vltimos ramos defertur. Ac ea ratione quoque, quia tanta materies numerosissimam fructuum vbertatem proferens in ramis tenuibus

*Cur Sycomori fructus caudice, non e ramis oriantur.*

*t* 1. de gen. an. c. 18.

*u* 2. de gen. an. c. 3.

contineri non posset; & ad eos elata, suo pondere disrumperet singulos. His ita positis fundamentis, iam nunc ad Quæsiti præcipui solutionem accedamus. Illud sane ligno Sycomori contingere videmus, quod hominibus natare nescientibus; hi namque deiecti, vel cadentes in mare, fluuiove, aut lacu, præ pondere submerguntur; vbi multa iam aqua pota, respirationis vsum impediente, suffocati moriuntur, mortuique deorsum ad ima grauitate feruntur, ibique diutule manent sepulti sub aquis; tandem cadauera leuiora facta sponte sursum attolluntur, & supernatant aquis, innatantiaque vi fluctuum proijciuntur in litora: Qua de re, præter quotidianam experientiam, apertum habemus Antiquorum testimonium; etenim Homerus x de Aiace submerso:

*Quæsiti præcipui solutio prima.*

x 4. odyss. v. 510.

„ *Sic ille quidem ibi perijt, postquam bibit salsam aquam.*

at ille vir fortissimus bibere non coactus fuisset, nisi sub vndis demersus. Virgilius de y Miseno,

y 6. Æneid.

*Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)* Deos æmulatione hominum capi,

*Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.*

Ex Synesio recte notat eruditissimus Petrus La Sena in suo *Cleombroto, siue de ijs qui in aquis pereunt*, aiens; z *Certe ex Synesio nostro discimus, vrgente tempestate, ac permissa ludibrio ventorum rate, vectores aurum, vel quicquid pretiosum penes ipsos erat, annectere corpori consueuisse; vt si turbo funestus, vel exitiosus aquilo ad latentem scopulum nauem egisset, sicque obruerentur; eiecta ad litus cadauera sepulchrale pretium ferrent: eiusque moris hæc ab eo ratio subijcitur:*

z pag. 152.

„ *Sepultura pretium conferri a naufragis conuenit: qui enim in*
„ *eos inciderit, & id lucrifecerit, Adrastiæ leges (quicumque*
„ *in illud scilicet cadauer incidit, lucrumque fecit) verebi-*
„ *tur; ne non ei partem aspergat, qui tanto plura largitus fuerit.*

Synesius autem hinc animæ colligit vtcunque resurrectio-

ctio-

ctionem; scilicet, vt corpus in mare demersum diutule latens, aliquando postea sponte consurgit in altum enatans; ita prorsus anima, vbi morte hominis e corpore demersa fuerit in pænas aut purgatorias, aut punitorias, tandem ad auras superas emerget in iudicio finali cum corpore suo reconiuncta, Diuinum iudicium subitura. Sed & corporis in mare sepulti nobile prostat ab eleganti Achille Bochio positum Epitaphium Ambraciotæ se se in mare præcipitanti, vt antea Callimachus epigrammate notauerat, ita Latine verso, apud Obsopæum:

a symb.14. pag.31.

*Phœbe vale. Ambraciota Cleombrotus ante locutus,*
*In mare de summis mœnibus insiluit,*
*Morte nihil dignum passus, soloque Platonis*
*Lecto animæ æternæ de ratione libro.*

Hinc ad symbolum deflexit, vt ait Sena, Bochius, & sub figura Cleombroti ex alto cadentis, manibusque librum tenentis, mare subiecit, cum epigrammate:

*Ambraciota mari situs ille Cleombrotus alto est,*
*Alto qui potuit temnere mortem animo:*
*Namque vbi melliflui legit diuina Platonis*
*Scripta, & si aduersi tum nihil acciderat,*
*Præcipitem e muro dedit huc se, vt fluctibus istis*
*Curarum fluctus obrueret varios.*
*Felix o pelagus titulo hoc: felicia & ossa:*
*Quo tumulo poterant nobiliore tegi?*

Audiui sępius apud nostros Genuenses vulgarem opinionem de submersis, non ante cadauera mari sepulta sursum ad auras emergere, quam ijs fellea vesica disrumperetur: nugæ meræ: Censeo non ante quam calor in cadaueris intima concentratus a circumstantis aquæ frigore, viribus auctus, ac in epotam aquam vires exercens, ex ea multum vaporis flatusque genuerit, quo plenus venter & imus & medius, velut alligatis vtribus inflatis

cor-

corpus defuncti de profundo sursum ad superas vndas efferatur; nesciente vento flatuque vel sub mari genito, sub mari quiescere, sed ad auras congeneas assidue supra maris vndas pergere gliscente. An eadem causa diu delitescentem sub aquis Sycomorum tandem sponte sursum efferri, & enatare facit? Profecto Sycomorus vt arbor est fructuum feracissima, quod nouimus ex Theophrasto, ceterisque citatis antea classicis: ita plurimum abundare calore dicenda: namque fecunditas *b* Aristoteli caloris vnius effectus est; & quo quid in viuentium genere calidius est, eo fecundius esse constat. Itaque lignum Sycomori deiectum in aquas grauitate sua primum subsidit; deinde calore suo circumobsistentis aquæ frigiditate concentrato prorsus ad interiora ligni (non enim carent omnino ligna viuentia calore quodam influente, spirituosaque substantia; nam fecunditas Aristotelis decreto fundatur calore spirituoso seminis) viuidi calidi vires augeri sensim sibi sentit immersum lignum; in quo calor adauctus humidum substantificum, quo fundatur, assidue vertit in substantiam halituosam; qua demum quum repletum fuerit, velut aerem continens in sua corpulentia porosa, sursum attollitur ad instar vtris, & cadaueris inflati: Multum autem temporis immersum manet sub aquis lignum antequam sponte sursum ascendat ad aquarum extimam superficiem, quia tanto scatet humore lignum, vt non nisi post multum temporis interuallum humiditas absumi valeat, quæ lignum prægrauans, illud immersum in profundo retineat, & in flatulentum vaporem conuerti, quo repleantur interni cæcique ligni meatus, vnde lignum leuitatem acquirat ad ascēdendum & innatandum. In alijs autem lignis immersis id mirabile non obseruatur, quia tantum caloris non habent, qui concentratione vigescat, sed ab aquæ frigo-

*b* 2. de gen. an. c. 3.

re

re potius extinguitur: Nec non quia humidum crassius obtinent ac densius, quam vt ab eorum debili calore dissipari queat, & in leues halitus flatusque conuerti. Verum enim vero succurrit & altera Quæsiti ratio physica, quod aqua circumambiens lignum submersum ob similitudinem naturæ trahat ad se ligni humorem internum; cuius præsentia vt lignum pondus habuit, quo submersum fuerat in profundum; ita eiusdem humoris absentia lignum leue factum ascendit sursum, & supernatat aquæ. Hanc autem rationem habemus euidentissimis experimentis comprobatam in salsamentarijs, & in niue; namque passim coqui salem vt extrahant e carnibus, fungis, & alijs edulijs, nimio sale conditis, ea corpora præsalsa diutule detinent in aqua multo sale infuso, calente, vel etiam feruida; semperque percipiunt inde carnes & alia pristinum salem amittere, dulcorari, & insipida quoque fieri; nimirum sale aquis infuso trahente ad se salem carnibus infarctum; & hoc etiam sponte ad sibi consimilem currente. De niuibus etiam illud expertum habemus, hominem, qui nudis pedibus diu per niues ambulauerit, vt iam alte niuium vaporibus, tenuiorique substantia calo rem interiorem extinguentibus, omnino sensum amisisse compertum curari, si tentauerit medicus; primum niuibus diutule confricandi sunt illi siderati pedes; quo niuis impactæ substantia per niuem consimilem foras educatur; qua iam educta, statim tepidis fomentis calor fere intermortuus refocillandus, & viuificandus; alioqui si statim ad calorem ignis, aut aquæ tepentis pedes gelidos niueis illis vaporibus oblitos admoueris, internam niuem resolues in halitus tenuiores frigidissimos, qui penetrantes altius membra, dolores intensissimos excitabunt, & calorem penitus extinguent. Eadem ratione contingit vt e ligno ficus Aegyptiæ submerso, sensim

Solutio II.

aqua

aqua circumambiens ex ipso semper educat humorem, quo demum educto, leuitatem adeptum, e profundo subsiliat in altum atque supernatet. Hoc innuit Plinius, dum ait de ficu Aegyptia sub aquis mersa, *Caesa, stagnis mergitur: hoc est eius siccari: & primo sidit, postea fluitare incipit: certoque fugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat*. & eo facilius ex isto ligno succus interior educitur ab aqua exteriori: quo succus ille viscidus non est, neque lentus, at lacti similis: vt ait Plinius post Dioscoridem: & ligni substantia rimosa est, vt dicimus e Theophrasto scribente: *d Rimosa arbor admodum est*: e cuius propterea rimis, velut e canalibus apertis internum lac elicitur facile. Non obseruatur autem hoc in alijs lignis vllis: quia quae grauitare propria demerguntur, vt ebenus, quercus, & id generis, ea rimas non habent, per quas educi valeat internus humor: & hic humor in eis crassus est, densus, & viscidus, & substantiae ligni compactiori tenaciter adhaerens ita, vt exterior aqua non valeat ipsum inde reuellere: quare semel demersa, nunquam ascendunt: Aegyptiae vero ficus humorem internum esse fere fluxilem, non arcte multum impactum arbori, constat ex eo quod ablato fructu, statim die quarta subnascatur nouus, & ita fiat quaternis, & septenis vicibus, vt vidimus apud Theophrastum, & Plinium. Ita de proposito Quaesito mihi philosophari libuit. Quid si dixerimus, ab vtraque causa simul cooperante mirabilem hunc euentum prouenire? rem aut fortasse tetigerimus.

c l.13.c.7.

d 4.hist.c.2.

De

### *De Pomis terræ Sodomorum tempore maturitatis fauillam & fumum intra corticem continentibus loco pulpæ comestibilis. Cap. XXXIX.*

QVod insuper ex D. Augustino mihi proponis, opt. Balde, scribente: a *Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire; sed morsu, pressuve tentata, in fumum ac fauillam corio fatiscente vanescere.* Celebris est huiusmodi pomorum fides apud Classicos autores, a quibus eam desumpsit Augustinus: Nam Iosephus ait: b *Huic* lacui Asphaltiti *Sodomitica terra vicina est; olim quidem tam fructibus, quam diuitijs ciuitatum fortunata; nunc autem omnis exusta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagrasse memoratur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imaginem, & renascentes in fructibus cineres: qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissoluuntur & cinerem. Terra quidem Sodomiticæ fabula eiusmodi fidem habet ex facie.* Post Iosephum Tacitus ita, c *Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habitatos, fulminum iactu arsisse: & manere vestigia, terramque specie torridam, vim frugiferam perdidisse: nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut Iudaicas quondam vrbes igne cælesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cæloque iuxta graui.* Solinus Tacito coæuus infit: d *Longe ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cælo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida; Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum: apud quæ pomum*

a 21. de ciu. c. 5.
*Iosephus.* b 5. de bell. c. 5.
*Tacitus.* c l. 5. hist.
*Solinus.* d Polyh. c. 48.

*gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest; nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantum extimæ cutis exhibet: quæ vel leui tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.* His omnibus valde posterior Egesippus agens de Pomis, a Munstero, Scholiaste Solini citatus, inquit: *Spectes illic speciem, poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem: si capias, fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant.* Eandem historiam referunt Tertullianus in f Apologetico, Vulturariensis adnotatu: eoque senior Sanctus g Cyprianus in Excidio Sodomæ. A quonam istorum hanc obseruationem hauserit D. Augustinus, an ab omnibus, incertum: certum tamen est, historiam esse veram, & ethnicis, tanquam ab eorum plurimis positam obijci potuisse. Incertum tamen est, ac mirum, cur eius non meminerit vllibi Plinius, admirabilium naturæ tam diligens inquisitor, & enarrator, qui Iosephum, antiquiorem se multo, non vidisse non potuit. Certi de veritate rei, causam illius indagantes, vt negare non debemus Iosepho causam finalem referenti ad vindicis Dei iustam antiquæ punitionis impiorum memoriam: sed quia plerumq; Deus vtitur causis etiam physicis ad mirabiles euentus perpetrandos; istam, quam a me requiris, mi Balde, non pigebit inquirere. Sane Tacitus eam tetigisse videtur, dum ait, illius regionis ab Asphaltitis lacus halitibus tum infici terram propinquam, tum corrumpi proximum aerem; ac ex Solis cæliq. praua qualitate fructus eius regionis ita deuastari. Sed qua ratione fructus illi non extrinsecus etiam cutis ambitum fauillaceum habeant ab ambientis mala conditione, sed pulchra, & integra cute, fauillam solum intrinsecus obtineant, apparere non potest ex Taciti positione: quum tamen aer am-

*Egesippus.* *l.4. de pomis c.18.*
*Tertullianus.* f Apolog. c.39.
g S.Cypr.

ambiens maxime labefactare debuisset ambitum externi corticis pomorum, quum ex aduerso contineant ambitionem extimæ cutis illibatam; & maturitatis specie decoram. Quare non ab externo, sed ab interno principio Sodomiticis pomis omne vitium inest. Huic omnino fructuum generi similem habent naturam in fungorum classe Pezicæ, Cranijve, siue Tubera; quorum ita meminit in suo de Suffruticibus & Herbis Volumine Cæsalpinus: t *Pezica in fungorum genere a Plinio u recensentur; sic a Græcis dicti, qui sine radice, aut pediculo nascuntur. A nostris hodie Puza vocantur, ab alijs Vescia: oriuntur in pratis, supra terram extuberantes, figura oui aut vesiculæ, colore candido; pulpa mollissima, laxa, minimi ponderis, odorata: esitantur elixa cum suo iure, adiecto calamento. Prouocant vrinam. Senescentes transeunt in puluisculum nigrum, qui disrupta cute euolat in auram. Quoddam genus earum Pisis nascitur in frutetis & syluis, solidiore pulpa, magnitune aliquando Mali Cotonei, aliquando Humani Capitis. Hoc non solum elixum vescitur, sed etiam oleo frixum in taleolas dissectum, gratissimum est, ac sine periculo. Hoc puto apud Theophrastum Cranium vocari, quod cum Tuberibus & fungis recensetur, omnino sine radice.* Verba Theophrasti sunt: x *Nisi quid radice penitus careat; vt tuber, fungus, cranium.* De hoc egeram olim agens de spontaneo viuentium ortu, fungorum tuberumque naturam considerans, his notis: y *Theophrastus tubera & fungos cum fruticibus & herbis in vegetalium, plantarumque genere connumerat; in eo a Dioscoride dissentiens, quod his radicem penitus adimit asserens:* » suffruticum quoque herbarum reliquorumque has » easdem differentias assignare licet, nisi quod radice pe- » nitus carent, vt tuber, cranium, fungus: *quem paulo prius inter plantas collocauerat. Est autem cranium inter tubera & fungos medium; quia more tuberis rotundum est, sine cau-*

t l.16.c.39.
u l.19.c.4.
x 1.hist. c.9.
y l.3.c.2.

*le, more fungi supra terram degit: Cranium dicitur ob similitudinem, quam cum Cranio gerit; quum sit album & concauum ac rotundum. Vulgo* Vescie *nuncupatur; late prouenit in agro Pisano*. Ceterum quod huic fungorum generi contingere solet, vt primum adolescentes habeant pulpam laxam quidem, sed quæ valeat in taleolas dissecari, & oleo frigi: deinde senescentes intra candidum corticem solidiusculum, loco pulpæ puluisculum nigrum obtineant, in quem illa pulpa degenerauerit: hoc ipsum euenire dicendum est pomis illis Sodomiticis; quæ prius quam maturescant, intra corticem gerant pulpam solidiorem: at vbi maturitatis formam, quasi senectutem induerint, mutari sibi sentiant antea solidam pulpam in tenuissimum puluerem atrum, fauillaceumque cinerem; Quare quæ potest haberi causa physica de Cranij medulla solida prius, postmodum in atrum puluerem fatiscente; prorsus eadem habenda nobis est de terrę Sodomiticæ pomis, quæ tempore maturitatis intra consistentem corticem loco pulpæ solidioris continent fauillaceum & atrum cinerem tenuissimum, atque leuissimum. De Cranij natura qui tractarint exacte, nullos adhuc videre mihi licuit; quare proprio marte tractanda fuerit in præsentia nobis ista theoria. Profecto fungorum omnium materiam, tuberumque non aliam esse, quam substantiam imperfectiorem ea, ex qua plantæ nascuntur, ex eo constat apertissime, quod nemine discrepante tubera & fungi vel inter vilissimas stirpes plantæ sint infimæ, vel potius infra stirpium genus plantarum rudimenta sint, ad instar molæ in magnæ Matris vtero, vel ex vtero telluris excretæ; fœtusque nondum exacte organizati videantur incomposita quædam quasi materies Naturæ velut addiscentis plantas constituere; vt ideo bellissime tubera dicantur esse radices absque germine,

*Solutio quæsiti introducitur.*

*2. de gen. an. c. 2.*

mine, fungi viciſſim eſſe germina ſine radice: quod de Cranio quoque dicendum ſupra terram exuberante, nullis omnino radicibus fulto. Porro materies, ex qua fungi, tuberaque conſtituuntur, in eo diſſidet a materia Cranij, quod illa ſit humidior, magis aqueæ, aereæque ſubſtantiæ particeps; iſta ſiccior econtra, magis igneę terreæque naturæ; quod inde colligas, quia fungi facillime verminant, paulo minus tubera; vermibus attamen infeſtantur: at Cranij nunquam verminare viſuntur, abeuntes aſſidue vetuſtate in aridum puluerem fauillaceumque cinerem: vermium autem originem ex abundantia humoris eſſe, qui nequeat a calore dominari penitus, adeoque putredinem coniunctam habeat; cuique Philoſopho notiſſimum eſt ex *a* Ariſtotele. Materies autem a prædominio terrea & ignea caloris actione, conſumentis exiguum humorem ſibi permiſtum, non ne tandem abire debet in cinerem, & fauillam atram? quis non agnoſcit Philoſophus? Addendum his eſt, In omni viuente calorem inſitum aſſidue conſumere ſubſtantificum humorem, animantumque corpora ſemper ab interno calore deſiccari; quod axioma Medicum eſt pariter & Philoſophicum: Faciliusque ſiccari, quæ cum ignis, ac terræ prædominio ſunt, minusque putredine tentari. Denique ſumere lubet, Cortices viuentium datos fuiſſe, ſpeciatim plantis, adeoque fungis, tuberibus, & Cranio potiſſimum integumentum contentæ pulpæ; quare materiam obtinuiſſe conſiſtentiorem, glutinoſioremque, quo reſiſtere poſſent externis iniurijs. Ex huiuſmodi fundamentis apparet euidentiſſime, Cranium in fungorum genere locatum, ab initio ſuæ naturalis originis adeptum eſſe pulpam mollem quidem, ſed adeo conſiſtentem vt in taxillos ſecari poſſit ad eſum; poſterius autem iugi caloris interni functione, natiuam humiditatem

*a* 4. meteo. t. 4. 5.

tem

tem exiguam absumente, tandem ea penitus consumpta siccissimum, ac tenuissimum, & atrum in pollinem abire. Cui quidem caloris actiuitati, si nequiuit mollior pulpa resistere; satis attamen obstare potuit integens ille cortex, a natura conditus materia viscidiori, consistentiorique: ac eo magis, quo calor animantium vegetior est, & actuosior in partibus interioribus ac centro, quam in superficialibus. Immo frigore ambientis, nocturno saltem, repellitur calor a partibus exterioribus ad internas; quare magis in has, quam in illas sæuire potest. Hæc de Cranij fungi sera solutione in atrum puluerem ex rei natura. Ita mecum vna cogita, mi Balde, constituendum esse de pomis, & fructibus in Sodomorum terra nascentibus; etenim solum illis arboribus valde torridum subest, vnde stirpes inde pullulantes, ibique satæ succum alimentarem sibi non possunt haurire nisi pauca scatentem humiditate, sed multa præditum substantia terrea, & ignea. Quare fructus ibi nascentes ab initio solidiorem obtinent & corticis, & medullæ substantiam; verum indies interiori calore consumente primigenium & alimentarem humorem pulpæ, non ita corticis, tempore maturitatis in cortice iam apparentis, interior pulpa tota iam abijt in fauillam & cineres, halantes e disrupto cortice. Simile quid obseruatum videtur in humanis cadaueribus, quæ intra vetustissimos loculos reperta cum figura pristina, solo tactu soluta sunt in cineres; de quibus comparatis ad fructus Aristoteles alicubi scribit: *b Omnia enim potentia quadam sunt aut faciendi, aut patiendi, sicut & caro, & neruus: sed rationes ipsorum non certæ. Quare quando existunt, & quando non, non facile est perspicere, nisi valde deperditum fuerit, & figura sola fuerint reliquæ: vt inueteratorum mortuorum corpora, quæ subito cinis fiunt in sepulchris: & fructus solum figura, secundum sensum autem non*

Solutio explicata.

b 4. meteo. t. vlt.

*non videntur inueterati valde: & quæ ex lacte concrescunt.* De cuiusmodi cadaueribus late c Suessanus, d Boccacius in sua Genealogia Deorum & nos e alibi fusius: quas historias pulcherrimas ibi legere poteris. Nunc ad alia Quæsita transeamus.

c 4. met. com. vlt.
d 4 Genea. c. 68.
e 4. de Lucernis Antiq. c. 5. 6.

*De Pyrite lapide Persico tenentis manum adurente.*
*Cap. XL.*

QVod vlterius explicandum offers ex D. Augustino dicente: *Pyritem lapidem Persicum tenentis manum, si vehementius prematur, adurere; propter quod ab igne nomen accepit:* causam etiam obtinet in Naturæ maiestate latentem, quam elicere conabimur. Agit in primis de hoc lapide Dioscorides aiens: a *Pyrites lapidis genus est, a quo æs conflatur. Eligi debet æris similitudine, facile scintillas edens.* & mox: *Tam crudi, quam vsti vis est excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, duritias concoquere, & concoctas discutere. Resina exceptus excrescentia in carne cohibet, sed calorem quendam, & adstrictionem parit.* Hunc locum Plinius ita coluit: b *Molarem quidam Pyritem vocant, quoniam sit plurimus ignis illi: sed est alius etiamnum Pyrites similitudine æris. In Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ sunt circa Acarnaniam vnum argenteo colore, alterum aureo.* & mox: *Vsus eorum in medicina, excalfacere.* & paulo post: *Pyritarum etiamnum aliqui genus vnum faciunt, plurimum habens ignis, quos viuos appellamus, & ponderosissimi sunt.* & alibi (vt notat Cl. Salmasius) *Pyrites nigra quidem, sed attrita digitos adurit.* Solinus autem inquit: c *Pyrrhites fuluus est, tenerique se vehementius non finit, ac si quando arctiore manu premitur, digitos adurit.* Placuit eruditissimo Salmasio Solinum hic in voce castigare, dum ait: d *Pyrrhites fuluus est* } Ita editio-

a l. 5. c. 100
b l. 36. c. 19
c cap. 50.
d pag. 717. D.

,, tiones omnes, etiam Delriana, male. *Pyrrhites* ita scri-
,, ptum pro *Pyrites*, vt supra *Myrrhites* pro *Myrites*: nec enim
,, a colore fuluo, quem πυῤῥὸν Græci vocant, dicta *Pyr-*
,, *rhites* gemma, sed quod digitos adurat, si prematur ar-
,, ctius, *Pyrites* appellata, πυρῖτις. Legendum ergo, vt qui-
,, dam habent libri, *Pyrites furuus est*: confirmat Plinius,
,, *Pyritis nigra quidem, sed attritu digitos adurit*. Hæc ille.
Sed tamen, vt non diffiteor, gemmam ab euentu nuncupari belle Pyriten, quod igneam adurendi vim obtineat; ita Solini lectionem in omnibus editionibus communem *Pyrrhites fuluus est*, retineri posse censeo, qui non libenter alterationem patior in antiquorum codicibus; namque Solinus colorem gemmæ fuluum respexit; nam is illam, quæ coloris est aurei proponit; quam vt ipse fuluam appellat aptissime; sic non inepte Plinius nigram vocare potuit, ad albæ discrimen, quam alibi colore dixerat argẽteo; siquidem fuluus color medius est inter album & nigrum, comparatusque ad argenteum, qui candidus, Aristoteleo e decreto, niger nuncupari valet. Ab vtroque, Plinio scilicet, atque Solino, suscepit Isidorus asserens: f *Pyrites Persicus lapis fuluus, æris simulans qualitatem, cuius plurimus ignis: siquidem facile scintillas emittit: hic tenentis manum, si vehementius prematur, adurit; propter quod ab igne nomen accepit. Est alius Pyrites vulgaris, quem viuum lapidem appellant, qui ferro, vel lapide percussus scintillas emittit, quæ excipiuntur sulphure, vel alijs fungis, vel folijs & dicto celerius præbet ignem. Hunc vulgus focarem petram vocat.* An ille Persicus, ad huius vulgaris differentiam, non percussus emittit facile scintillas, Isidoro? videtur; nam illius esse plurimum ignem ait; qui siquidem percussus emittit scintillas, non eas intra se latentes egerit, sed extra se generat ex aere intercepto, qui collisione mutatur in ignem, vt alibi g late dispu-

e 5. phy. t. 6 2. eudem. c. 5.
f l. 16. c. 4.
g 2. de nat. hum. c. 31.

ſputauimus. At hoc Iſidorus videtur hauſiſſe ex Serapione, ſimul & ab Autore libri, cui titulus eſt *Hortus Sanitatis*, in ſuo tractatu de lapidibus ita ſcribente: [h] *Pyritides Græce, Latine Coppa roſea, Arabice Hageral Markaſita: Serapio lib. agg. cap. Hageral Markaſita: eſt lapis, ex quo extrahitur æs: & oportet quod eligatur ex illis, cuius color eſt ſimilis æri. Et quando ponitur in igne, ſaliunt ex eo ſcintillæ facile.* & infra: *Lapis iſte eſt ſpecies vitrioli, vt apparet, ſi legis literam vitriolum*: vbi de tribus vitriolis dicitur: [i] *Et virtus iſtorum omnium eſt adustiua; comburens carnem, & faciens eſcaram duram*. Camillus Leonardus denique ſcribit, [k] hunc lapidem tritum, ac digitis aſtrictum, ſtringentis dextram adurere. Quibus aperte conſtat, Lapidem Pyritem in ſe continere multam ſubſtantiam æris, & chalcanthi, ſiue Chalcitidis, & Myſi; quibus metallicis vim vſtoriam, & cruſtarum inductoriam, poſt [l] Dioſcoridem omnes Medici norunt. Pyrites autem lapis Perſicus ideo præter ceteros alibi genitos maxime conſtringentis manum adurit, quia maiorem alijs partem æris, ac vitrioli continet in ſe ſe; quibus metallicis ineſt vis aduſtoria. Vim autem iſtam non exerit in actum, niſi comprimatur arcte, diutuleque; quia tunc exhalatio caloris manus excalſfaciens lapidem, ex eo conſimilem exhalationem excutit vſtoriam, quæ manum adurit. Immo vero prohibita de lapide ſurgens exhalatio ignea lapidis alio deferri; coaceruataque multa prope manum, viuidior effecta multitudine carnes adurit; quas non vrit arcte non comprimentes lapidem, tum quoniam ex eo minus excalfacto minor exhalat; tum quia liberius euolans circa manum non coaceruatur in tanta copia, quæ poſſit manum adurere. Ita veſtis multa cogens halitus e corpore noſtro ſurgentes, eorum coaceruatu nos calefacere ſolet.

[h] cap. 100.

[i] cap. 140.

[k] 2. de lapid. lib. c. p. 7.

*Solutio Quæſiti.*

[l] l. 5. c. 75. & ſeqq.

*De Lapide Selenite, candorem internum cum Luna crescere, decrescereque sibi sentiente.* Cap. XLI.

QVod præterea proponis explicandum D. Augustini Quæsitum, ibidem asserentis: *In eadem Perside gigni etiam lapidem Seleniten, cuius interiorem candorem cum Luna crescere, atque deficere*: vetustos habet autores plures, a quibus id hausit Magnus ille Pater literarum; etenim Dioscoridi, a *Selenites lapis, quem aliqui Aphroselenon appellarunt, quoniam noctu inuenitur Lunæ imaginem reddere; quæ cum ea quidem augetur, & decrescit. Nascitur in Arabia, candidus, translucens, leuis*. Ita quidem vulgata; sed magis ad fidem Græcanici contextus habet versio Saraceni legentis: * *Lapis Selenites, quem aliqui Aphroselenon appellarunt, quod noctu plenus Luna crescente reperiatur; nascitur in Arabia, candidus, translucens, & leuis*: nisi dicamus id prouenire ex varietate contextuum; etenim Plinius item ait: b *Selenites ex candido translucet melleo fulgore, imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis minuentisque numero: nasci putatur in Arabia*. Solinus inquit: c *Selenites translucet fulgore candido, melleoque, continens Lunæ imaginem; quem iuxta cursum astri ipsius perhibent diebus singulis vel minui, vel augeri*. Consentiens his ait Isidorus: d *Selenites Latine Lunaris interpretatur, eo quod interiorem eius candorem cum Luna crescere, atque deficere aiunt. Gignitur in Perside*. Contendit apud Solinum Cl. Salmasius e fuse, non imaginem Lunæ in lapide Selenite crescere deficereque, sed ipsammet lapidis corpulentiam: Lapidem vero, qui Lunæ contineat imaginem, quæ simul cum Luna crescat & deficiat, alium esse a Selenite, proprioq. nomine *Astrium*, quam gemmam cum Selenite confundat Autores. Ce-

Dioscor. a l.5.c.116

* l.5.c.159

Plinius. b lib.37. c.10.

Solinus. c cap.50.

Isidorus. d lib.16.c.4

e p.767.E.

terum *f* Plinius Astrio gemmæ dederat, quod *intus a centro ceu stella lucet fulgore Lunæ plenæ:* sed huic Astrio non attribuit Plinius, quod infra *g* Seleniti concedit, *imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis minuentisque numero.* Nos communem Classicorum sententiam retinentes cum D. Augustino, non totum lapidem, sed interiorem illius candorem cum Luna crescere decrescereq. recipimus. Ac eo magis, quo subscribere Cl. Viro, dicenti totum corpus lapidis crescere, diminuique cum Luna, nullo modo possum, ea potissimum ratione; quia Luna sic imminuitur, vt in coniunctione sileat, nullaque nobis omnino sit; quare si corpus lapidis, cum Luna deficeret; eo iam penitus absumpto, quid ipsum denuo cum Luna regeneraret? verùm in eadem mole corporis candorem intimum cum Luna crescere, diminui, prorsusq. deficere, rursumq. regenerari nouum, nihil est inconueniens, aut impossibile. Ratio quidem huius alterationis est abdita; sed enitendum pro viribus eam explicare. Certum est, Lunam ita cunctis humoribus, aqueis potissimum ita dominari, vt ea sentiant in se Lunæ decrementa, & augmenta, silentia quoque si fuerint exigua: Sic aliqui fontes increscunt * augescente Luna, decrescunt ea decrescente, penitus arescunt ea in coitu silente: Certum est item vapores aqueos in humorum serie contineri, vt late docet *h* Aristoteles: Constat etiam substantiam lapidis Selenitis esse quoquopacto participem humoris vaporosi, cuius beneficio sectilis est in laminas; vt obseruat apud Dioscoridem Matthiolus inquiens: *i Seleniten vero etsi antea non videram; emi tamen hoc anno a peregrino quodam, qui e Galitia Hispaniæ, vbi Diui Iacobi templum inuiserat, in patriam reuertebatur. Hic lapis vitri modo transflucet, & facile in tenues finditur laminas, quo fit, vt ijs in locis, vbi frequentissimus habetur, vitri*

*f* l. 37. c. 9.

*g* cap. 10.

*Quæsiti solutio.*

* Maiol. dier. Canic. coll. p. 245.

*h* 1. meteo. su. 1. c. 4.

*i* com. c. 116 lib. 5.

*uices expleat, ad concludendas ædificiorum fenestras. Quidam, quod speculi imaginem reddat, Specularem lapidem vocant.* Assimilis igitur & congeneæ naturæ Selenites lapis est cum lapide speculari, proptereaque reponendus inter lapides molliores, facilesque sectu, qui nascuntur ex humoris concretione a frigore ambientis terræ, sicuti crystallus; de quibus ita rectissime Plinius: g *Ii autem lapides, qui succum reddunt, oculorum medicamentis utiles existimantur: ideoque Aethiopici maxime ad ea probantur. Tanarium vero lapidem & Pænicum, & Hæmatiten ijs medicamentis prodesse tradunt, quæ ex croco componuntur: ex alio Tanario, qui niger est, & ex Pario lapide, non æque medicis utilem: potiorem ex Alabastrite Aegyptio, vel ex Ophite albo. Est enim hoc genus Ophitis, ex quo vasa, & etiam cados faciunt. In Siphno lapis est, qui cauatur, tornaturque in vasa coquendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus, quod in Comensi Italiæ lapide viridi accidere scimus. Sed in Siphnio singulare, quod excalfactus oleo nigrescit, durescitque, natura mollissimus. Tanta qualitatum differentia est. Nam mollitiei & trans Alpes præcipua sunt exempla. In Belgica prouincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusque etiam, secant ad tegularum & imbricium vicem: vel si libeat, ad quæ vocant pauonacea tegendi genera: & hi quidem sectiles sunt. Specularis vero (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues crustas. Hispania hunc olim citerior tantum dabat, nec tota, sed intra centum millia passuum circa Segobricam urbem: iam & Cypros, & Cappadocia, & Sicilia, & nuper inuentum Africa: postferendos omnes tamen Hispaniæ & Cappadociæ mollissimis, & amplissimæ magnitudinis, sed obscuris. Sunt & in Bononiensi Italiæ parte breues, maculosi, complexu silicis alligati, quorum tamen appareat natura similis ijs, qui in Hispania puteis effodiuntur profunda altitudine. Nec non & saxo inclusus sub*

g l.36.c.22.

*Lapides molles & succosi qui.*

ter-

*terra inuenitur, extrahiturque, aut exciditur. Sed maiori parte fossili natura, absolutu segmenti modo, nunquam adhuc quinque pedum longitudine amplior. Humorem hunc terræ quidam autumant crystalli modo glaciari. Et in lapidem concrescere manifesto apparet, quod quum feræ decidere, in puteos tales, & medullæ ex ossibus earum in eandem lapidis naturam post vnam hiemem figurantur. Inuenitur & niger aliquando. Sed candidæ natura mira, quum sit mollitia nota, perpetiendi Solis rigorisque.* Sic igitur cogitandum est, Selenitem Persidis ortum habuisse prorsus ex humore terræ frigore conglaciato non ad extremam duritiem, at mollitudinem habere magis in partibus intimis, quam in exterioribus, in quas frigus ambientis validiores vires suas exercuit; illis partibus centralibus adhuc aliquam pristini liquoris proprietatem habentibus, qua cum Lunæ varietate crescere deficereque valeant; nimirum intra lapidem continetur halituosa quoquo modo materies, huic mutationi obnoxia, cuiusmodi reperitur etiam in arboribus. Et sane Seleniticum humorem ab externo frigore magis indurari quam partes intimas, præter allatam rationem vicinitatis agentis frigoris, ostendit etiam frequens experientia, qua sæpe videmus hiemis algore intensissimo magna flumina conglaciari superne tantum, interim sub illa crassa superficiei crusta labentibus aquis fluidis, ad quas congelandas non potuit externa peruenire frigiditas: qua de re prostant innumera Classicorum testimonia. Quin & semicongelatum, vt ita dixerim, Selenitis lapidis internum humorem de se consistentem cum Luna simul crescere, decrescere, deficereque, rursus iterum adolescere perpetuis vicibus, non aliunde contingit, quam dominio sideris illius in omnem humorum naturam; etenim eandem vicissitudinem patitur humor terreus in arboribus non minus consistens & crassus,

quam

quam in lapide Selenite; siquidem *Cassianus*, Portæ *b* relatu, *addit suis præceptionibus cadendorum lignorum Luna sub terris latente, & in coitu*; *additque rationem, quia Luna lumen ligna molliora facit*; adeoque magis humore scatentia; nam humiditatis vnius est effectus mollitudo, doctore *i* Philosopho. Leo Baptista Albertus etiam infit: *k Sed cædi oportere materiem periti omnes admonent Luna deficiente; nam tunc admodum exhaustam esse arboris statuunt crassam illam pituitam, quæ quidem ad citam putredinem imbuendam perprona sit; Lunaque istac cæsam carie non infestari.* Quæ cuncta multo prius asseruerat Constantinus *l* Cæsar non vno in loco, atque *m* Theophrastus tam senior ille discipulus Aristotelis, quam iunior iste *n* Paracelsus Aristotelem non audiens: quos attulimus etiam dudum in *o* Primis Quæsitis. Itaque si durissimarum arborum succus intimus consistentioris naturæ, sentit Lunæ varietates; eadem physica ratione substantia licet iam concreti medullaris humoris in lapide Selenite, quę propter puritatem lucis particeps est, Lunæ cunctorum humorum dominæ, decrementis imminuitur, defectibus deficit, & augmentis augetur.

*b* l. 2. Vill. c. 5.
*i* 2. de gen. t. 13.
*k* 2. de re ædif. c. 4.
*l* lib. 3. cap. 2. 10. 15.
*m* 5. de hist. pl. c. 1.
*n* lib. de Top. in f. 1. tract.
*o* Resp. ad ep. 3.

### *De Cappadocum & Hispalensium equarum conceptu ex vento. Cap. XLII.*

QVod vero posterius addis, eximie Vir, ex eodem D. Augustino scribente: *In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fœtus non amplius triennium viuere*: rationem habet occultiorem, etsi præclarissima Classicorum obtineat testimonia. Solinus agens *de a Cappadocia*; *& in ea equorum natura*, scribit: *Edunt equæ ex ventis conceptos, sed hi nunquam vltra triennium æuum trahunt*. & antea de Hispania tractans infit: *b In proximis*

Solinus. *a* cap. 57. f.
*b* cap. 36.

*Vly-*

*Vlyssiponas equæ lasciuiunt mira fœcunditate: nam spirante Fauonio vento concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur.* Plinius idem antea dixerat hisce: c *Constat in Lusitania, circa Olyssiponem oppidum & Tagum amnem equas Fauonio flante obuersas animalem concipere spiritum; idque partum fieri, & gigni pernicissimum ita; sed triennium vitæ non excedere.* Ante vtrumque Columella testatur idipsum, adduciteque Virgilij testimonium dicens: Equæ d *mense duodecimo partum edunt: maxime itaque curandum est prædicto tempore anni; vt tam fœminis, quam admissarijs desiderantibus, coeundi fiat potestas; quoniam id præcipue armentum si prohibeas, libidinis extimulatur furijs; vnde etiam veneno inditum est nomen ἱππόμανες, quod equinæ cupidini similem mortalibus amorem accendat. Nec dubium, quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coeundi fœminæ, vt etiamsi marem non habeant, assidua & nimia cupiditate figurantes sibi ipsæ venerem (cohortalium more auium) vento concipiant. Quæ enim Poeta licentius dicit:* e

Plinius. c l.8.c.42.

Columella. d lib.6. de re rust. ca. 26.

e Virgil. 3. Georg. v. 266.

„ Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.
„ Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore glauci
„ Potniades mali membra absumpsere quadrigæ,
„ Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
„ Ascanium: superant montes, & flumina tranant,
„ Continuoque auidis vbi subdita flamma medullis,
„ Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
„ Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
„ Exceptantque leueis auras, & sæpe sine vllis
„ Coniugijs, vento grauidæ (mirabile dictu)
„ Saxa per & scopulos, & depressas conualles.
„ Diffugiunt, non * Eure tuos, neque Solis ad ortus:
„ In Boream, Cancrumque, aut vnde nigerrimus Auster
„ Nascitur, & pluuio contristat frigore cælum

*ex Arist. 6.hist.c.18.

*Quum sit notissimum etiam in sacro monte Hispaniæ, qui procur-*

*currit in Occidentem iuxta Oceanum, frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse, fœtumque educasse; qui tamen inutilis est, quod triennio prius quam adolescat, morte absumitur. Quare, vt dixi, dabimus operam, ne circa æquinoctium vernum equæ desiderijs naturalibus angantur.* Ante Columellam, Virgiliumque M. Varro dixerat: *f In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania, ad Oceanum, in ea regione, vbi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam e vento, certo tempore, concipiunt equæ, vt hic Gallinæ quoque solent, quarum oua hippenemia appellant. Sed ex his equis, qui nati pulli, non plus triennio viuunt.* Post Iosephum Scaligerum, & Ioan: * Spondanum Dalechampius in Plinianis adnotationibus, *g* ait, *corrupte legi, in monte Tagro:* forte legendum, *in monte Tago;* vt legit Cl. Stephanus, inquiens: *h Tagus, mons in Lusitania, apud quem quædam equæ dicuntur e vento concipere.* & mox: *Tagus, Lusitaniæ fluuius, aureas voluens arenas, vt Plinius ait. Circa hunc fluuium (si eidem credimus) equæ in Fauonium obuersæ concipiunt, equosq. ita gignunt pernicissimos, sed tertium ætatis annum non excedentes.* Hunc montem cum Varrone non corrupte, Tagrum appellat Boccacius in suo tractatu de Montibus aiens: *i Tager mons est in Hispania, Olisippo propinquus, in quo equæ sunt statuto anni tempore ex vento concipientes Fauonio.* Sed quod admonet alicubi Strabo, quum frequenter locorum & populorum nomina varias mutationes sortiantur; verisimile duco nomen *Tagri* montis ĉuo Varronis postea mutatum fuisse dempta literula in *Tagum*. Hunc montem *Sacrum* appellat Columella, vt vidimus, quod esset Herculi sacer, & Herculeum promontorium vocabatur, a nostris hodie *Mons Sancti Petri* nuncupatur, vt *l* alias ex Io: Bapt. Suarez de Salazar in suis *m* Antiquitatibus Gaditanis. Verum enimvero prolificos ventos hausisse sibi du-

*f* 2. de re ru. c. 1.
* an. in 16. Iliad.
*g* in l. 8. c. 42.
*h* in dictio. geograph.
*i* tr. de mõtib.
*k* lib. 12.
*l* de secũdo Quæst. p. 45
*m* l. 1. c. 7.

dudum equas Olysipponenses citra marium superuentum a Varrone, Columella, Virgilioque susceperunt antiqui Scholiastes [n] Ascensius, atque [o] Seruius. Quin & Lactantius agens de Vera Sapientia verbis ipsissimis ait: [p] *Descendit itaque de cælo Sanctus ille Spiritus Dei, Sanctam Virginem, cuius vtero se insinuaret, elegit. At illa diuino spiritu hausto repleta concepit: & sine vllo attactu viri repente Virginalis vterus intumuit. Quod si animalia quædam vento, aut aura concipere solere, omnibus notum est; cur quisquam mirum putet, quum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, grauatam esse Virginem dicimus?* Assumit ergo, tanquam omnibus notum, & ab omnibus concessum, Lactantius, animalia quędam (intelligit potissimum equas) vento, aut aura concipere; quo communi consensu nunc vtitur pro fundamento suæ rationis ostendentis miraculum concipientis Virginis absque tactu viri, de Spiritu Sancto: sicut eodem fundamento nunc vtitur D. Augustinus item ad probanda Diuina miracula cętera, quorum ratio physica reddi non potest. Iuraremque facile D. Augustinum a Lactantio, vel a Magno Basilio, de quo postea, desumpsisse tale genus argumenti. Sed alios autores de proposito videamus: Homerus quidem agens de Achillis equis, inquit: [q] *Quapropter & Automedon duxit sub iugum veloces equos Xanthum, & Balium, qui duo similiter ventis volabant: Hos peperit Zephyro vento Harpyia Podarge Pascens in prato iuxta fluuium Oceani.* nimirum in Olyssipponensi prato, iuxta fluuium vndas in Oceanum deponente, quem locum ita Spondanus explicat: *Quæ de equis Achilleis ab Homero narrantur, videri possunt homini rerum imperito fabulosa. Atqui res est verissima: & hoc intellexit meo periculo Homerus, quod postea Varro [r] obseruauit, in futura, inquit, res est incredibilis in*

[n] Donatus in 3. Geor. Virg.
[o] Seruius ibid.
[p] Lactant. lib. 4. c. 12.
[q] 16 Iliad. v. 147. & seqq.
Ioan. Spondanus.
[r] l. 2. de re ru. c. 1.

*Hispania, sed est vera*, &c. quæ supra retulimus. Homero consentientia dicit Q. Calaber, qui non semel *s* repetit, Equos Achillis natos ex equa Podarce Harpyia & vento Zephyro: Quin & Martis equos ait esse, Quos Boreæ peperit grauistrepo Erinnys horrida. Quam rem tenuit etiam Silius de quodam equo velocissimo concinens: *t*

*Vnus erat leuis, vt Zephyri noua flamina, campis*
*Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.*

Dio Chrysostomus inquit: *u Ait* (Homerus) *Boream amasse Troicas quasdam equas, easque impleuisse semine; genusque equorum ex illis procreatum*. Sed & Aristoteles huiusmodi sententiam protulit, inquiens: *x Incenduntur libidine ex feminis equæ potissimum, mox vaccæ. Equa itaque equiunt: vnde vocabulum id ab hoc vno animali trahitur maledicto in mulieres libidinosas. Nec non euentari per id tempus equa dicuntur: quapropter in Creta insula equos admissarios minime a feminis semouendos censent*. Verba illa λέγονται δὲ καὶ ἐξανεμοῦσθαι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον: quæ Gaza vertit: *nec non euentari per id tempus equa dicuntur*: vertit Iul. Cæsar Scaliger: *y Aiunt etiam per idem tempus vento grauidas fieri*. cui consentit Eruditiss. La-Cerda in Virgilium, *z* vertens: *dicuntur vento concipere*. Quod indicant aperte Philosophi verba sequentia; nam conceptus equarum ex vento quum adolescere nequeant ad vitam & naturam perfectam, sed infirmi non excedant triennium (etsi poetæ velocitatem inde fabulentur equorum vento genitorum ad admirationem historiæ addendam) vt ait Varro, & Columella; propterea ne vento concipiant, destitutæ masculo; prudenter in Creta feminis attribuunt admissarios, quibus impleantur conceptu generoso perfectam ætatem obtinere valente: nam vento concipientes vt plurimum genituram emittunt virulentam,

s l. 3. 4. & 5.
t lib. 18.
u Orat. 20.
x 6. hist. c. 18.
y de hist. an. p. 718.
z 3. Geor. p. 390.

tam, in quam conceptus degenerarit corruptus, Hippomanis vocabulo notatam; aliquando partum imbecillum edunt, qui triennium minime superet. Idem vero Scaliger, eo loci sententiam de conceptu equarum ex vento laudat in Aristotele, comprobatque dudum allatis Virgilij versibus; addiditque: *Quare autem neque ortum, neque occasum petant: cum Zephyro si concipere putentur ore, aut Subsolano per genitalia. Postquam sic conceperint, non amplius id quærunt: sed alios ventos, vt expellant. Perdifficilis tamen est huius rei ratio: & non minima quæstio inter eas, quæ cadunt in rei naturalis inuestigatione.* Hanc interpretationem Scaligeri damnat Cl. Salmasius apud Solinum dicens: * *Edunt equæ ex vento conceptos] Perperam vir magnus ἐξανεμοῦσθαι apud Aristotelem, ex vento concipere interpretatus est, vbi de equabus loquitur. Quid esset, nos ante exposuimus: ἐξανεμοῦσθαι est euentilari, & vento excepto hiante ore refrigerari. Quod equæ faciunt vbi ad satietatem initæ non fuerint. ex eo quidem interdum & concipere auctores tradidere, idque in Hispania tantum. Non tamen ἐξανεμοῦσθαι significat ex vento concipere. Loquitur Aristoteles de ijs equabus quæ admiserint, sed non satis: nec meminit eo loci conceptionis vllius, quæ ex vento fiat. At equæ in Hispania concipiunt ex vento solo: ita veteres. Hesychius ἐξανεμοῦσθαι exponit, ἐπαίρεσθαι, ξηραίνεσθαι, μετεωρίζεσθαι: significat ad verbum euentilari, & ventulo excepto refrigerari. Quod de equis feminis dictum est, quæ ad sedandum nimium ardorem coitus, auras exceptant ore conuerso ad frigidioris ventos.* Ceterum Aristoteles aperte statuit equas in Creta ἐξανεμοῦσθαι, euentari, dum coitus desiderio nimis anguntur, & sine masculo sunt; neque prius sedari, quam ad marem deueniant: & ne euentilentur, admissarios ab eis minime separari. Quin & eas ita furentes, masculoque carentes, non solum currere versus

*pag. 943. B.

aquilonem ventum frigidiorem, sed versus austrum, qui calidior ventus est: verba Magistri sunt euidentissima: *Incenduntur libidine ex feminis equæ potissimum. Nec non euentari per id tempus equæ dicuntur: quapropter in Creta insula equos admissarios minime a feminis semouendos censent. Quum vero ita affectæ fuerint, currunt relicta societate, currunt non orientem, aut occidentem versus, sed ex aduerso aquilonis, aut austri.* Quare iam ἐξανεμοῦσθαι fuerit hoc in loco, non refrigerari, quod auster calidior quum sit, efficere minime potest; sed ex vento concipere, vt antea notauimus, & infra quoque patebit, & optime Scaliger adnotauit: non tamen diffiteor idem verbum æquiuoce significare posse sensum Salmasianum. Neque persuaderi possum in Hispania solum equas ex vento concipere positum a veteribus; quum Solinus in Cappadocia quoque id obseruarit, & Aristoteles in Creta. Sed tamen admitto frequentius id in Hispania contingere; quare plures autorum id miraculi concesserunt Hispaniæ. Sed & Silius [a] de Hispania loquens ait Varroni consentiens:

*6. hist. c.18.

[a] lib. 3. v. 379. & sequentib.

*Hic adeo quum ver placidum, flatusque tepescit,*
*Concubitus seruans tacitos grex prostat equarum.*
*Et venerem occulta genitali concipit aura.*
*Sed non multa dies generi, properatque senectus.*

*Iustinus negat hist.*

Iustinus vnus omnium negat hanc historiam, & fabulosam narrationem censet, dum ait: [b] *In Lusitania iuxta fluuium Tagum, equas vento concipere multi autores prodiderunt: quæ fabulæ ex equarum fecunditate, & gregum multitudine natæ sunt, qui tanti in Gallecia & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immerito ipso vento concepti videantur.* Profecto Iustinus vnus tantæ non est autoritatis, vt tot alijs insignioribus multo debeat anteponi. Sed ipsum fefellit, quod vniuersalem sententiam accepit, quæ par-

[b] lib. 44.

*Confirmatur historia veritas.*

particularis est: non enim dixerunt insignes viri cunctas equas in Hispania semper ex vento concipere: Sed quum ibi plurimæ concipiant ex admissario masculo, gignantque prolem velocissimam, plurimam, & ad multos annos viuentem; ibi tamen adeo libidine furiunt equæ verno tempore, vt plereque carentes equo coniuge, concipiant ex vento partus imbecillos, triennium non excedentes; vt vidimus ex Aristotele, Varrone, ac alijs. Quod si rei naturam inspicere liceat, non est equabus interdicendum, quod aliarum animantium feminis accidere certum est, vt sine coitu masculorum concipiant in vtero; namque vt omittam, inter plantas Palmam appellatam distincto sexu maris atque feminæ seiungi, sicut obseruat ante omnes Theophrastus inquiens, c *Plantarum, quibus genus commune, alias florere, alias nullo flore exhilarari quidam affirmant: vt palmarum marem florere, feminam minime, sed prosinus fructum promere*. Deinde Plinius aiens: d *Arboribus, immo potius omnibus, quæ terra gignat, herbisque etiam, vtrumque sexum esse diligentissimi naturæ tradunt. Quod in plenum satis sit dixisse hoc in loco. Nullis tamen arboribus manifestius* quam in Palma. *Mas in palmite floret, femina citra florem germinat tantum spinæ modo*. & mox: *Cetero non sine maribus gignere feminas sponte edito nemore confirmant: circaque singulos plures nutare in eum pronas, blandioribus comis, illum erectis hispidum, afflatu, visuque ipso, & puluere etiam reliquas maritare. Huius arbore excisa, viduas post sterilescere feminas. Adeoque est Veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore ac lanugine, interim vero tantum pulueribus insperso feminis*. Hoc idem non solum Philostratus in e Iconibus, & ex eo Valerianus in Hieroglyphicis, & D. f Basilius, & S. g Ambrosius, & h Guilandinus; qui vna cum Pierio miram æque ac pulchram historiam

Pon-

*Fundamēta iaciuntur ad solutionē Quæsiti.*

c 2. de hist. pl. c. 22.

d l. 13. c 4.

e lib. 1.

f hexam.

h om. 5.

g hexā. li. 4

h de Papyr. p. 40.

i Pier. pag. 370.

Pontani carmine celebratam referunt; ita dicentes: i *Quo vero maior huic argumento sit fides, eam Palmarij diligentiam adhibent, vt mares eo saltem interuallo a feminis distent, vt puluis ramorum flatibus a folijs sublatus in feminarum folia incidat; quod satis ad fecunditatem facere compertum est. Sed mirum dictu, quod si qua procul a mare abstiterit, vt neque puluis, neque aura, odorve eius ad eam permeare possit, excogitauerunt coloni funem a mare religatum ad feminam vsque producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam, masculo viru clanculum per funem irrepente fecundam fieri, quæ prius in ea sterilescebat solitudine. Diophanes autor Græcus, Florentinum citat, qui suis in Georgicis multa de Palmæ amore conscripsit, contabescere eam maris desiderio, quod nulla dissimulatione profiteatur, modo radices versus eum porrigens, modo verticis in eum proclinatione, fructum ferre pernegando, agricolamque demum cogi amantem huic inuestigare, qui multas Palmas mares manu amplexuque contingat, mox ad amore perditam rediens, eam amplexetur, attrectetque manibus. Flores quoque mari prius impositos tollat, & supra feminæ verticem imponat. Quæ ne quis fabulosa suspicetur, istiusmodi amoris exemplum atque nostra dedere tempora. Siquidem Vir Cl. Iouianus Pontanus, homo minime futilis, & quem fabulas pro historia, de re maxime suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset, duas celebrat Palmas, marem vnum Brundusij, feminam alteram Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: vbi vero tantum adoleuere, vt se se inuicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum tractu dissidentes, fetificare cœperint. Sed cur non ipsum audiamus?*

*Palma femina vt fecundetur a mare distanto.*

» Brundusij latis longe viret ardua terris
» Arbor, Idumæis vsque petita locis.
» Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,

Illa

» Illa virum referens, hæc muliebre decus.
» Non vno creuere solo, distantibus agris,
» Nulla loci facies, nec socialis amor.
» Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
» Vtraque, frondosis & sine fruge comis.
» At postquam patulos fuderunt brachia ramos,
» Cæpere & cælo liberiore frui,
» Frondosique apices se conspexere, virique
» Illa sui vultus, coniugis ille suæ,
» Hausere & blandum venis sitientibus ignem,
» Optatos fætus sponte tulere sua.
» Ornarunt ramos gemmis, mirabile dictu,
» Impleuere suos melle liquente fauos.

Est hinc aliqua ratio soluendi quæsitum: Si namque durioris, densiorisque substantiæ Palmarum, per abditos corporis sui meatus, femina recipiens halitus e corpore maris emanantes, in quibus inest ratio seminalis, iisdem fecundatur ad prolem fructuum: quidni mollior longe substantia, porosiorque corporis equarum, in earum grege numerosiore, dum Veneris œstro percitæ ferociunt libidinosissimæ, multæ quidem ab admissario tectæ crasso semine masculi replentur, vnde sobolem perfectam ferunt, ac validam ad multos annos: nonnullæ pauciores interim patenti tum oris, tum vteri meatu suscipiunt auras ferentes halituum ex admissarij semine, corporeque copiam; quibus halitibus vtcumque seminalem vim vel imbecillimam obtinentibus intra se susceptis concipiant prolem infirmam, triennium non excedentem? sufficere potest enim ad concipiendum imbecillam imperfectamque prolem equabus fecundioribus & ad venerem incitatissimis, vel aura seminalis excepta, quæ prodierit e semine admissarij propinquas equas alias implentis; nam peracto concubitu iam eximentes equi penem adhuc tumi-

*Solutio 1.*

midum & fumantem, feminisque guttas extillantem, si proxima equa libidine ferociens hauriat ore, vel vtero, vel vtroque meatu spiritum illo refertum halitu feminali, concipere poterit inde perinde ac sæpe videmus fecundissimas iuuenes e capulari sene concipere, cuius semen est fere infecundum. Quin etiam perinde atque mollium feminæ suscipiunt a mare, si non semen, saltem virtutem tantummodo seminis, vt ait Aristoteles k inquiens: *nam si mas siue semen, siue membrum, aut aliquam virtutem, siue vim aliquam mittat, admoueri ad meatum vulualem necesse est*. Quod insectis itidem animalibus accidere mox innuit Aristoteles addens: * *Inter ea vero insecta, quæ coeunt, feminæ maxima ex parte maiores maribus sunt: nec meatus vlli seminales in maribus esse videntur: nullum, parte plurima dixerim, membrum femina a mare inseritur; sed mas a femina sursum de parte inferiore, quod conspectum in pluribus est*. Quem locum explicans Io: Grammaticus ait: *Insectorum autem plurima (inquit) diuersa ab alijs habentur: non enim in his mas genitale semen in feminam emittit; sed e conuerso femina infra existens, sursum ceu per syphonem in marem indit? Quum autem illud, quod in mare sursum immissum est, constituitur: in feminam, vnde & quo pacto processerat, denuo reuertitur: nec prius seiunguntur, quam in feminam semen, quod ab ipsa egressum fuerat, reuertatur. Hæc enim a femina genitalis seminis in marem emissio, tum quod ipsa in eum potius insiliat, in pluribus conspectum inquit*. Nam inferius addit Aristoteles: * *Facta etiam rationi consentiunt: hinc enim mares nonnulli per coitum nec membrum quidem vllum in feminam indere visuntur, sed contra femina in marem, vt in quibusdam insectis fit. Quod enim in ijs, quæ indunt, efficitur semine in femina, idem in mare ipso vapor virtusque efficit, femina admouente suam particulam, quæ seminis capax est; vnde fit, vt genus id animalium diu coeat;*

k 1. de gen. an. c. 15.

* cap. 16.

* cap. 20.

*abso-*

*absolutumque, breui generet. Coniuncta igitur manent, quousque constituant perinde vt genitura constituit: sed abiuncta, cito edunt conceptum; quoniam & imperfectum, quod pariunt, est.* Ex quibus assumo non semper in animalibus distinctum sexum habentibus, feminam concipere suscepto intra se semine maris, ac illi sufficere, vt vim, aut vaporem a mare suscipiat. Quod quidem perpetuum est in plurimis animalium mollibus, & insectis. At vero non ita frequens in equabus; quarum illę solæ feminæ concipiunt vapore per ventos à mare delato, quæ furentes libidine prope mares ab alijs emunctos vagantur, vt diximus. Vnde licet Lactantius haurire contendat argumentum conceptus Virginis: attamen caute id accipiendum est; nam ponit ille parem modum concipiendi genericum sine copula maris; verum disparem supponit modum specialem, & rationem: physica namque ratio est, modusq. naturalis in equabus vt dictum est, suscepto vapore corporeo de masculi genitura defluxo, ventis delato: supernaturalis est ratio, modusque diuinus in Virgine concipiente Filium de incorporeo Spiritu Sancto: Quin & equę libidine furentes concipiunt, hausto corporali vapore de corpore masculi venerem in alijs exercente; quum Virgo castissima fuerit ab ortu semper mente pariter & corpore, quippe iam ab instanti suæ Conceptionis exuta fuit omni fomite concupiscentiæ: coniugemque sibi parem habuit omnis ęstu libidinis expertem, virginitatis eximium cultorem. Addo demum equas illas, vt & insecta, molliaque sine coitu masculi, solo vaporis seminalis, virtutisque prolificæ receptu concepisse fætus imbecillos, & imperfectos; quum Virgo Domina Filium conceperit & ediderit absolutissimum, perfectissimum pariter animo, & corpore, vt late vidimus in * opere nostro de Secundo-Quæsitis antea vulgato.

* cap. 36. 37.

Ss Quo-

Quo factum est vt Virginis Diæ conceptus atque partus absque viri copula & sine seminis corporalis haustu, referendus sit in causam supernaturalem, neque physicam rationem vllam habere potuerit; quum vicissim brutarum animantium conceptio, & partus obtineat causam pure physicam, superius allatam, nec ad vires supernaturales vllas referri valeat, aut debeat. Secundum fundamentum haurire possumus ex natura murium, de quibus ita scribit Aristoteles: *l Terræ Persicæ parte quadam mure femina rescissa, fœtus feminini pragnantes comperiuntur.* Nimirum in vterculis fœtuum muris rescissæ prægnantium materia continetur, ex qua sponte generentur alij mures; habent enim mures geminam generationem, seminalem ex coitu parentum, & spontaneam cum materia putrescente. Non aliter in equarum vteris materia contineri potuit, quæ sine masculi concubitu sponte animetur in fœtus equinos illos imperfectos, qui nedum careant generatione prolis vllius in specie sibi consimilis, verum etiam triennium vitæ superare nequeant; eos vero fœtus in vtero matris generari spontanea generatione, probabile satis est, tum ex eo quod obtinent sponte genitorum proprietatem, quam Aristoteles ait esse naturam imperfectam, & impotentia generandi prolem, inquiens: *m Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus, quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum: animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper, & diuino participent, secundum quod possunt, omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcumque agunt secundum naturam.* Quum igitur illi sine coitu maris exorti pulli sic imperfecti sint, vt nullam prolem habere valeant, triennium non excedentes; indicium hoc esse potest illos in vtero matris habuisse spontaneã generationem; sicuti mu-

*Fundamentum II.*

l 6 hist. c.37.

*Mures in vtero matris prægnãtes inueniri.*

*Solutio 11.*

m 2. de an. t.34.

mures in vtero matrum nondum partu foras editarum, quæ prægnantes inuentæ sunt in vtero rescissæ muris in terra Persica. Tum maxime, quia non solum n Auicennas, & post eum o Theophrastus Germanicus fateri videntur hominem, perfectissimum animalium ex putri materia generari posse; verum etiam p Aristoteles antiquioribus concedit omnium animalium etiam perfectiorum originem primam extitisse spontaneam; & nunc etiam esse valere, si tales mutationes fierent: licet inferius q neget homini & equo generationem spontaneam; etenim hic agit de ortu equi perfectioris naturæ, deque generatione vulgari equorum; non autem de generatione mirabili & infrequenti equorum imperfectæ naturæ triennium non excedentis, & prolis generationem non habentis; de qua nostra quæstio est instituta. Si ergo putat Auicennas, & post eum Theophrastus iunior homines oriri posse generatione spontanea ex putri materia; sique vel Aristoteles ipse concedit antiquioribus Philosophis primam hominum, & equorum originem (si danda sit) vt etiam aliorum omnium animalium non ex coitu sexuum fuisse, sed omnino spontaneam, talemque posse quoque nostro seculo fieri: iam impossibile non est, sed probabile satis, equas aliquas, absque coitu cum admissario, concipere posse ex vento quoquomodo præparante materiam putrescentem in eorum vteris ad animandum fætum equinum imperfectioris naturæ; namque generationem spontaneam animantium promoueri maxime ab ambientis mutationibus ait hoc in loco Philosophus, & experimento quotidiano comprobatum habemus. Ceterum equorum ortum esse posse spontaneum non ex semine maris aperte profitetur cum Auicenna, fusissimeque disputat vel ex Aristotele Cæsalpinus in suis r Quæstionibus Peripateticis, vt videre po-

n 15. de nat. an. c. 1.
o Patac. l. de hom.
p 10 probl. 13.
q 10. sect. probl. 64.
r lib. 5. c. 1.

tuisti, mi Balde, licet huius opinioni de homine non subscripserim vnquam. Sic ergo non est impossibile, sed probabile, sine coitu conceptos equos, ortum habuisse spontaneum in vteris equarum Cappadociæ, vento Zephyro temperata materia ad certum gradum putredinis. Adijciendum his est tertium fundamentum ex alia murium conceptione sine coitu, de qua pariter Aristoteles agit ibidem immediate subiungens.: *f Sunt qui vehementer confirment mures, si salem lambant, impleri sine coitu.* Scilicet quum prolifici seminis natura salsa sit; & feminarum semen ideo minus prolificum quam masculorum, quia semen femineum aquosius est, atque frigidius, masculeum vero calidius eo calore, quo maxime nititur fecunditas; quumque sal valeat semen feminæ muris, absumendo nimiam humiditatem, siccare, nec non etiam calefacere; proptereaque vicem habere quomodocunque masculei seminis; femineumque semen muris attollere ad conditionem prolificam masculini spermatis; propterea mures, si salem lambant, implentur facile sine coitu muris. Haud absimili ratione furentes equæ libidine, semen item humidius pauloq. frigidius obtinent masculeo: quod femineum quidem semen si contigerit ab austro caloris alium gradum sibi comparare, vel per antiperistasim a Borea, vt ait Aristoteles, masculeas vires obtinens beneficio venti, equas concipere facit; quod inde probatur aperte, quia lascivientes illæ ferociter ob seminis vbertatem non concipiunt ex vento minus apto calefacere, nimirum Orientali, aut Occidentali, sed ex austro per se calefaciente, vel ex borea per antiperistasim idem efficiente; nam iccirco ventres hieme calidiores redduntur *t* Hippocrati: Quæ cuncta notauit, vt visum est, Aristoteles aiens: *u Incenduntur libidine ex feminis equæ potissimum, mox vaccæ. Equæ itaque equiunt. Vnde vocabulum id ab*

*III. Fund. Mures impleri sine coitu si sale lambant.*

*f* 6. hist. c. 37.

*Solutio* 3.

*t* 1. aph. 15

*u* 6. hist. 18

hoc

*hoc vno animali trahitur maledicto in mulieres libidinosas. Nec non euentari* (hoc est vento concipere) *per id tempus equæ dicuntur: quapropter in Creta insula equos admissarios minime a feminis semouendos censent. Quum vero ita affectæ fuerint, currunt relicta societate. Currunt non orientem, aut occidentem versus, sed ex aduerso aquilonis, aut austri.* Sic igitur sal mures concipere facit sine coitu, & ventus equas; quia vterque semen illatum excalfacit in masculei seminis conditionem. Vt enim sal ex ore per ventriculum in iecur influens, excalfacit sanguinem, cuius est vtcunque materies, alimento permistus, & inde per venas, & arterias ad vasa spermatica testesque delatus alterare semen facile potest: ita valet hoc idem efficere ventus tum per vteri meatum ingrediens, tum ore per pulmones in cordis ventriculos inspiratus, & ex ijs in arteriæ aortæ, venæque cauæ truncum ductus, indeque per emulgentes ad vterum semine turgidum translatus. Vt iam ventus calefaciat equarum semen ad conceptum. Sed quia nihilominus ita roboratum equæ semen a vento, non tamen ad perfectionem, & gradum caloris prolifici masculeo semini inexistentis perduci potest; ideo pulli vento geniti generosi non sunt, sed imbecilles, æuum vitæ trimum non excedentes, nec vllam prolem generare valentes: Ceterum ventum inspiratum conciliare posse semini spiritum caloremque prolificum, non difficile fuerit ex Galeni doctrina demonstrare: namque putat ipse spiritus vitales feruidiores primum in corde ex halitu sanguinis, & aere inspirato simul permistis, deinde vero genitos ibi, a corde sursum per arterias carotidas in cerebrum efferri ad rete mirabile, ibique a cerebri frigiditate non solum, sed maxime ab aere sursum per nares attracto sibi permisto temperari, & conuerti prorsus in spiritus animales, qui defluunt a ce-

re-

rebro per neruos ad partes omnes corporis mouendas, & sensu afficiendas; quum sensui & motui promendo sint inepti spiritus vitales, apti solum animales, aeris inspirati participes: ait enim primo Galenus: x *Sicut enim vitalis spiritus & in arterijs, & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta: ita animalis ex vitali perfectius concocto oritur.* Dein alibi: y *Ergo animalis spiritus Cerebrum veluti fontem esse, clare ostendimus: qui partim ex inspirando, partim ex eo, quod reticularis plexus suppeditat, irrigatur atque alitur*: vt non ab re dixerit z Laurentius de mente Galeni: *Materia enim remotissima animalis spiritus sanguis est, propinquior vitalis spiritus, propinquissima aer inspiratus per mammillares processus, non in plexus, sed in superiores ventriculos delatus.* Etsi censeam æque propinquam & proximam spirituum animalium materiam, ad Galeni mentem, esse tum illum aerem inspiratum per processus, tum vitalem spiritum. Qua ergo ratione aer inspiratus conducit ad generationem spiritus animalis attemperando feruidiores vitales, quibus admiscetur in cerebro: non absimili ventus borealis & australis calefaciendo siue per antiperistasim, siue per se semen equi tum; cui commiscetur in vtero, confert illi semini vim prolis, etsi debilioris, generatricem, sine masculi coitu. Quartum fundamentum habemus in natura vulturum, de quibus ita D. a Basilius, Interprete Argyropilo: *Compluribus autem generibus ad conceptum non opus est copula marium. Sed in alijs quidem generibus sterilia sunt oua quæ subuentanea dicuntur: vultures autem, magna ex parte parere sine coitu [subuentanea fœcunda] ferunt, & esse longissimæ vitæ; quippe quibus ad centenos vsque annos plerumque vita protenditur. Id ex alitum ipse historijs notatum habeas animaduersumque velim, vt si quando nonnullos irridere conspexeris ar-*

x 7. de dec. c. 3.

y 12. meth. c. 5.

z l. 4. q. 10.

IV. Fund. est natura vulturum.

a Hexam. 8. ho.

*canum*

*canum Fidei nostræ mysterium, quasi fines Naturæ cancellosque transgrediatur, fierique non potuerit, vt Virgo pareret, virginitate ipsius integra intemerataque persistente, veniat in mentem tibi, Deum, vti libuit &c.* Prius autem Cornarus verterat ita: *Multa volucrum genera ad concipiendum maribus nihil opus habent. Sed in alijs generibus infœcunda sunt subuentanea; verum vultures aiunt vt plurimum parere citra coitum, eosque longissimæ vitæ, vt quibus ad centesimum annum ferme vita extenditur. Hoc ex volucrum historia signum apud te contine, quod si quando videris aliquos mysterium nostrum irridentes, tanquam impossibile sit & extra naturam, Virginem peperisse, virginitate ipsius impolluta conseruata, in animo tuo tecum volutes, quod is, cui visum est,* &c. Quem locum ita notauit Rhodiginus: *b Auctor autem in Hexaëmero Magnus Basilius, subuentanea oua in reliquis irrita esse ac noua, nec ex illis fouendo quicquam excuti; at vultures subuentanea fere citra coitum progignere fertilitate insignia. Intelligi vero subuentanea, seu hypenemia debent citra coitum concepta libidinis imaginatione.* De Vulture sic Aelianus: *c Vulturem non nasci marem aiunt, sed feminas omnes generari: quam rem non ignorantes hæ bestiæ, pullorumque solitudinem ac inopiam timentes, ad gignendos pullos talia machinantur: Aduersæ Austro volant, vel si Auster non spirat, ad Eurum ventum oris hiatu se pandunt: spiritus venti influens, ipsas implet.* & mox: *Vultures etiam oua non excludere, sed pullos potius parere, eosque statim a partu volatiles esse intellexi.* Orus in Hieroglyphicis ait: *d Inter vultures mas non est, gignuntur autem hunc in modum: Quum amore concipiendi femina exarserit, vuluam ad Boream ventum aperiens, ab eo veluti comprimitur per dies quinque, quibus nec cibum, nec potum omnino capit, fœtus procreationi intenta.* Tzetzes autem autores postremo citatos ab Aeliano reprehendens, Ori sententiam collaudat accinens:

b 17. ant. lect. c. 17.

c 2. hist. anim. c. 46.

d 1. Hier.

*Vul-*

e Chil. 12. c. 439.

*e Vultures quidam inconsiderate dicunt animantia parere,*
*Habereque lac, & mammas, & cetera talia.*
*Ego autem vt inueni mares omnes esse tygrides,*
*Sic & femininum vulturum inueni omne genus.*
*Quinque autem diebus natibus volantes contra ventos*
*His concipiunt prolem subuentaneam:*
*In centum autem & viginti diebus procreant*
*Subuentanea oua, in totidem vero alijs*
*Ex ouis extrudunt, & pullos generant.*
*In centum autem & viginti diebus alijs,*
*Vsque ad alarum perfectionem ipsorum, educant illos.*
*Prolem vulturũ subuẽtaneam habes, feminis fetificantibus.*

f 1 Hexam. c. 20.

Hinc D. Ambrosius: *f Vultures dicuntur sine concubitu concipere, & generare.* Qui vero dixere vulturem, non ouum, sed pullum ex vento sine masculi coitu concipere, fuerunt tum Autor Geoponicorum, quæ sub Aristotelis nomine circumferuntur, inquiens: *Vultures tertio a conceptu anno pariunt, nec nidum struunt, vt fertur, neque oua pariunt, sed statim pullos, eosque mox a natiuitate volacres:* tum Simoratus aiens: *Vultures triennio vterum gerunt; nullus enim est mas inter illos; sed femina ore aperto, extensisque alis Zephyrum, aut eius loco Eurum hauriunt, ac inde concipiunt materiam quandam, quæ ob sui tenuitatem plurimo tempore eget ad animalis perfectionem; animal enim, non ouum pariunt:* tum etiam Philes occinens, versibus eius Græcanicis in Latinum sermonem ita conuersis:

*Femina vero omnis Vultur, & absque coitu gignit.*
*Hians enim conuersus in sublime ad Notum*
*Concipit spiritum, & tertio anno*
*Pullos volucres e matrice excludit,*
*Qui viuunt e vestigio ope vnguium rapacium.*

Ceterum hæc vt ad varia vulturum genera quis referre potest; quod aliæ vultures ouum, aliæ volucrem ex se pariant;

riant; & inter ouiparas aliæ maris coitu prolem edant, vt obseruasse se testatur M. Albertus aiens: g *In montibus, qui sunt inter ciuitatem Vangionum, quæ nunc Vormatia vocatur, & Treuiros, singulis annis nidificant vultures, ita vt magnus vndiquaque fœtor ex congestis cadaueribus sentiatur. Quod autem fertur quosdam vultures non coire, falsum est; nam illic quoque sæpe permisceri videntur.* Qua in re requiro viri magni subtilitatem: an quia ibi sæpe coeunt, ideo censendum est alibi ac vbique locorum coire vultures? nihil minus: aliæ diuersi generis absque coitu pariunt oua, vt antea notatum est. Ac vt in piscium genere plurimi sunt ouipari, nonnulli tamen animal pariunt ex se se; vt Cete, ac Delphini, sicut ait post h Aristotelem i M. Albertus, & passim alij scriptores de natura piscium. Verum vultures absque coitu masculi concipientes, & generantes, vento grauidæ possunt eam habere rationem, quam antea tetigimus; quod vulturinum semen adeo calidum sit, vt illi parum desit ad masculini seminis efficaciam acquirendam; quum vultures libidinosissimi sint, adeoque calidioris naturæ; nam segnes ad venerem animantes omnes frigidiori tẽperamento sunt; ventus autem Eurus & Auster calore suo caliditatem seminis vulturini roborant, & augent ad efficaciam prolis; vt supra tetigimus, & infra latius ostendetur. Vnde solæ feminæ producere possunt oua subuentanea fecunda. Neq; nouum est inter aues vulturum quandam speciem carere sexu masculeo; nam id ex Aristotele constabit, non ita ratum esse in piscibus diuersis, omnes esse feminas, & oua subuentanea parere prolifica. Quid ergo negemus vento posse pariter equas nonnullas mirifice prurientes œstro Veneris parere sine coitu pullos triennalis æui? nonne semen illarum itidem caloris augmentum sortiri potest a vento, vt oua vulturum? Quod au-

g 13. de an. c. 1. t.

h 6. hist. c. 12.

i 6. de an. t. 2. c. 1.

Solutio IV.

tem Tzetzes ait Tygrides omnes esse masculos, absque femina: id ego recipere nequeo: quomodo namque sine femina generabuntur Tygrides? quare potius dixero cunctos esse masculo-feminas, vtrumque sexum retinentes; mutuoque se se iniri & inire; vt de leporibus vulgo dici consueuit. Quintum fundamentum elicitur ex consimili Perdicum natura; de quibus ita dicit Aristoteles: *k Sunt qui hypenemia, hoc est subuentaneos illos partus Zephyria nominent, eo quod verno tempore aues flatus illos fecundos ex Fauonio recipere videantur:* & mox: *Celeriter magna pars auium & impletur, & oua subuentanea illa concipit, quod vel in Perdice percipi potest eo, quo libidine incitatur, tempore; nam si contra marem steterit femina, aura ab eo flante, fit pregnans; atque extemplo inutilis aucupijs.* Hæc eadem Plinius de Perdice: *l Neque in alio animali par opus libidinis: Si contra mares steterint feminæ, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque superuolantium afflatu, sæpe voce tantum audita masculi.* & alibi pariter Aristoteles: *m Perdices feminæ, & quæ nondum coierint, & quæ coierint, quarum vsus in aucupijs, quum olfaciunt marem, vocemque eius audiunt, alteræ implentur, alteræ statim pariunt. Cuius affectionis causa est eadem, quæ in homine, & quadrupede; nam si forte eorum corpora accensa libidine turgent ad coitum, alia quum primum viderunt, alia quum leuiter tetigerunt, semen emittunt.* Idipsum ex Aristotele ponunt *n* Aelianus, & *o* Rhodiginus. Quamuis autem ista dici putentur a Philosopho de subuentaneis ouis, quæ pullos excludere nequeunt, vt conijci potest ex immediate sequentibus: *Est hoc auium genus sua natura libidinosum, vt leui egeat motu, quum turget, citoque secernat, vt in ijs, quæ non coierint, subuentanea consistant; in ijs, quæ coierint, oua breui augeantur, & perficiantur.* Attamen quum gallinæ non ita mul-

V. Fundam. Perdicum natura.

k 6. hist. c. 2.

l lib. 10. c. 33.

m 3. de gen. an. c. 1.

n 17. de anim. c. 15.

o 29. ant. lect. c. 26.

tæ

tæ libidinis, & aliæ aues etiam non valde libidinosæ, sine masculi coitu ferant oua subuentanea non prolifica; quumque hic ortus hypenemiorum ouorum referatur in maximam perdicum salacitatem; de fecundis ouis hypenemijs hoc accipiendum est. Quapropter equæ, quarum naturam esse libidinosissimam omnium animalium dixit Aristoteles, loco subuentaneorum ouorum, gignunt sine coitu, pariuntque pullos imbecilles, ac imperfectos, vltra triennium non viuentes: quos *p* M. Varro comparat ouis hypenemijs absque coitu masculi conceptis, & eadem ratione prorsus oriri decernit. Quare sumenda sunt etiam in hunc sensum, quæ de perdicibus attulit *q* Athenæus inquiens: *Illud præterea addunt, quod vbi feminæ in venationem latæ fuerint, si mares vel viderint, vel vento secundo odorauerint, aut volantes se prope senserint, grauidæ fiunt continuo.* Quum proprie grauidæ dici nequeant perdices ouis hypenemijs infecundis, veluti neque mulier est grauida, quæ gestat in vtero molam sine viri coitu contractam, quod ista moles non animetur in fœtum. Quod igitur animantium istarum natura sit libidinosa valde, semen calidius obtinet quam ceteræ feminæ, cuius calor adauctus hausto vento, vt antea dixi, masculei seminis conditiones acquirens prolificum fit, adeoque sine masculi coitu pariunt oua subuentanea fecunda quandoque, ad aliarum volucrum differentiam. Quæ quidem ratio militare potest in semine Cappadocum, & Hispalensium equarum, quæ libidinosissimæ quum sint, affluunt semine feruido, quod exigui caloris adiectu a vento Zephyro, seu Borea, vel austro vt dictum est, masculei seminis vires adipiscitur, sufficereque sibi potest ad prolem sine coitu masculi. In re difficillima necessum est plures rationes afferre, si forte detur veram attingere: Quare sextum fundamentum sit, quod ait

6 hist. c. 18

*p* 2. de re ru. c. 1.

*q* l. 9. c. 13.

VI. Fund. ex piscibus absque mare fecundis.
r 4.hist.c.11
*5.hist.c.1.

alicubi Philosophus: r *Ad hæc in testaceis, atque in stirpibus, quod pariat, & generat, est: quod autem maris fungatur officio, deest. Sic etiam inter pisces genus passerum, & rubellionum, & hiatularum; oua enim in ijs omnibus repeiuntur*. & infra: * *In piscium genere nonnulla nec mares, nec feminæ gignuntur; quæ licet genus idem cum alijs sortiantur, tamen specie differunt. Quædam etiam sui generis omnino consistunt. Nec desunt, quæ mare vidua, sexu vno femineo formentur: quæ perinde vt aues pariunt; quæ vento oua concipiunt: quibus ab argumento conceptus; nomen hyponemia, quasi subuentanea inditum est. Verum ea, quæ aues concipiunt, omnia sunt infecunda: ita enim eorum natura nihil vltra ouum creare potest, nisi quo alio modo maris opera contingat. Piscium vero nonnullis, quum spontina ediderint oua, euenit vt ex ijs animal progeneretur. Sed alia ex se ipsa id faciunt, alia non sine opera maris*.

Solutio VI.

Quod igitur his animalibus contingit; quid ni dicamus etiam equarum duo esse genera, quarum aliæ concipiant, ex equo, aliæ ex vento? Quin etiam id ex mularum varietate facilius euincas, quæ maiorem habent affinitatem cum equabus, quam pisces: Porro mulas omnes fere steriles esse nouimus, & edocuit * Aristoteles: qui tamen aliquando notauit mulas peperisse, verum aliud esse mularum genus; aut imperfectum edidisse: verba Magistri sunt: f *Genus vnum mulorum sterile est; quippe quod neque secum, neque cum alijs iunctum generet. Quæstio igitur in vniuersum quum ob causam sterilis aut mas, aut femina sit: sunt enim steriles & mulieres & viri, atque etiam in ceterorum animalium genere, vt equorum, & ouium, sunt quæ nullam faciunt prolem: sed mulorum genus totum sterile est*. & mox: *Itaque concipere quidem aliquando mula potest, quod iam factum est, sed enutrire, atque in finem perducere non potest: mas generare interdum potest; quoniam & ca-*

VII. Fund. ex mularũ, & equarum diuersitate.
*2.de gen. an cap.6.
f 2.de gen. an.c.5.

*& calidiores natura quam femina mas est, & nihil corporis per coitum confert ad generationem: quod autem facit, Ginnus est; quod mulus oblæsus est; nam ex equo & asino ginni proueniunt, quum conceptus in vtero ægrotauit. Est enim ginnus idem, quod Metachœrum in porcis; quod enim ibi læsum deprauatumque in vtero est, Metachœrum vocatur: quasi aporcellum dixeris: idque cuilibet porco accidere potest. Pygmeorum etiam, id est nanorum, pomilionum, & pusillorum generatio similis est; nam eorum quoque membra & magnitudines vitiantur in vtero, & sunt veluti aporcelli, & ginni. Hactenus de mulorum sterilitate.* Alibi vero dicit: *t Mula etiam gemellos peperit, quæ quidem pro ostento accipiuntur.* & mox: *Fit etiam in equorum genere, vt aliæ omnino steriles sint; aliæ concipiant quidem, sed edere nequeant. Cuius rei iudicium aiunt, quod fœtus circum renes alia quadam, specie propemodum renum, ita continet, vt rescissus quatuor renes habere videatur.* & infra: *u Mulus superuenire, coireque incipit missis dentibus primis: sed septennis implere potest: etiam cum equa coniunctus innum procreauit: post deinde superuenire non solet. Mula quoque iam facta grauida est, sed non quoad perficeret, atque ederet prolem. In terra Syria super Phœnicem mulæ & coeunt, & pariunt omnes; sed id genus diuersum est, quanquam simile. Prodeunt quos ginnos vocant ex equa, quum in gerendo vtero ægrotauit, more pumilionum in ordine hominum, aut porcorum deprauatorum in genere suum, quos posthumos nuncupaui: & quidem vt pumilio, sic ginnus modum suum genitali excedit.* & adhuc infra: *x Sunt in Syria, quos mulos appellant, genus diuersum ab eo, quod coitu equæ & asini procreatur, sed simile facie, quomodo asini siluestres, similitudine quadam nomen Vrbanorum accepere: & quidem vt asini illi feri, sic muli præstant celeritate. Procreant eiusmodi mulæ suo in genere: cuius rei argumento illæ sunt, quæ tempore Pharnacæ patris Pharnacabin in terram*

t 6 hist. c.22.

u cap.24.

x cap.36.

Phry-

*Phrygiam venerunt, quæ adhuc extant: tres tantum ex nouem, quot numero olim fuisse aiunt, seruantur hoc tempore.*

Solutio VII Quum igitur etsi mulorum genus totum sterile sit natura propter frigiditatem sui temperamenti; nihilominus in regionibus calidioribus aliquando, vt in Syria, & Cappadocia nonnullæ caliditate ambientis adipiscuntur semen fecundum, vt initæ prolem habeant: nisi forte mularum genus diuersum sit, quod similitudine quadam eas referat: iam non ab re dicere possimus equas frigiditate naturali steriles esse citra masculi coitum; attamen quasdam adeo calido temperamento pollere, vt non habeant opus equo admissario, sed sibi sufficiat ventus, ad augendum calorem seminis proprij, quo solo valeant prolem edere: quam tamen edunt infirmam, vt mulæ; non autem robustam, vt dum equi semine grauidæ fiunt. Vel forte fuerint equæ diuersi generis, nimirum vtrumque sexum habentes, etsi masculeum abditiorem. Vnde fundamentum octauum habeamus ad Quæsiti solutionem; etenim Androgynos esse plerosque, sexum vtrumque perfectum retinentes, qui pariter & implere feminas possint, & a masculis impleri, dudum apud *y* Montuum, & *z* Phlegontem vidimus, & posuimus in opere nostro De *a* Monstrorum natura. Quin & quum fieri valeat vt hi sexus in eodem animante non suis locis aptentur; sed præter naturam penis interne latens terminetur ad os interius vteri; sicuti vacca Perinthi rectum intestinum terminatum habuit in externum ostium *b* matricis, Aristotelis adnotatu; vt præter naturam hermaphroditis duobus a Phlegonte relatis, os vteri terminatus fuit in podice; de quibus *Dorotheus in commentarios suos retulit* (verba sunt Tralliani) *Alexandreæ in Aegypto Cynædum peperisse; fœtumque conditum miraculi causa asseruari. In Germania quoque in exercitu Romano, quem T. Curtilius Marcias*

VIII. Fund. ex hermaphroditi natura.

y 1. Theor. med. c. 6.
z l. de mirab. & longæu.
a l. 2. c. 53.
b 4. de gen. an c. 4. f.

*eius duxit, seruus militis peperit: Athenis Conone Præside: Romæ Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss.* Cuius rei tum historias, tum causas attulimus c alibi. Nimirum quemadmodum in mulieribus vesicæ collum secundum naturam inseritur in vteri ceruicem, vnde meiunt, & pariunt ex eodem orificio vuluæ; sic præter naturam tam in vacca Perinthi rectum intestinum terminabatur in vuluam, siue in vesicam, obturato podice; qua de re sic Aristoteles: d *Meatus etiam alimenti sicci coaluit aliquibus bestijs, scilicet ouibus, & quibusdam alijs; nam & vaccam fuisse Perinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur: dissectusque anus denuo propere coalescebat, nec resecando euincere vitium poterant:* tum cinædi duo illi relati a Dorotheo Medico, qui pepererunt, Androgyni fuere, quibus vterus occultus orificium suum terminatum habuit in podicem ad intestini recti meatum extremum: tum demum fieri potuit eadem ratione vt equæ concipientes absque coitu maris ex vento, fuerint vtroque sexu perfecto præditæ, quorum masculeus interne latens penem obtinuerit terminatum ad vteri ceruicem, vbi prolificum semen effunderet equa pruriens libidine, vento dilatante matricis foramen internus, & prolectante materiam seminis masculei ex abdito veretro ad vteri collum; intra cuius fundum attracta seminalis illa materies permisceretur cum semine sexus equæ feminei vi libidinis eo transmissi ad conceptum prolis absque coitu cum masculo distincto ab equa hermaphrodita. Porro talem fere vidit equam vtroque sexu præditam, & genitale masculeum obtinentem in foramine vuluæ Cardanus, hæc ad verbum referens: e *Equum vidi Androgynum Antuerpiæ, & canem qui intus testiculos habebat: ad venerem enim promptus erat, nec tamen testiculos habebat qui tangi possent. Ambo autem erant amicorum. Sed*

c 2. de Monstris c. 53. *Solutio* VIII.

d 4. de gen. an. c. 4. f.

e 7. de var. rer. c. 33.

*equi*

*equi præstat formam describere : is erat Princiualli Vicecomitis : vnum habebat tantum testem loco proprio, cum mammis tumidis, vt equæ habent. Inde vuluam proprio loco : & ex vulua penis emittebatur. Hinniebat ad equas, & forma masculina erat; promptus, & erectus capite, crassiore autem corpore, colore griseo(vt vocant)caput magnum : penis non maior palmo, quum illum exereret. Emptus aureis trigintasex. Certum erat, quum auerso esset pene, coire illum non posse :* Licet multa coeant auersa in animalium genere; docente Magistro : *f Coitus nec similes omnium sunt, nec similem in modum aguntur :* & mox : *sed quæ retro vrinam mittunt, auersa coeunt, vt leones, lepores, lynces.* Certe si penem habuisset is equus intus abditum, vt vnum e testibus, atque desinentem in collum vteri; libidinisque tempore semen e veretro fudisset in ceruicem matricis, ille in semetipso, sine maris alterius auxilio, prolem genuisset. Adijciendum his est, In feminis quibusdam vim esse fætus formatricem, prolisque propagatricem robustissimam, vt quacumque leui de causa concipiant sibi similem fætum, cuius efformatio referri minime valeat in masculum inferioris naturæ; siquidem nihil agit vltra suas vires; huius quidem rei duo præclara dudum obseruauimus experimenta, tractantes de Monstrorum *g* natura; Nam *h* Aelianus, *i* Plinius, & *k* Maiolus attestantur, homines cum feris coire; ac inde prolem ferre. Saxo Grammaticus, & Ioannes, ac Olaus *l* Magnns, Episcopi Vpsalenses, asserunt, In Suetia puellam ab Vrso raptam, constupratam, ferino concubitu gestasse vterum, & puellum infantem pilosum quidem, sed membris humanis partu edidisse, verum hominem; qui adolescens ex accepta vxore filium genuit, nomine Tregellum; a quo Vlfo genitus est, Suenonis Danorum Regis pater. Romæ puella innupta semicanem peperit ex coitu nefario cum bellua,

f 5. hist. c. 2.

IX. Fund. ex vi formatrice femina.

g l. 2. c. 50. & 68.
h 1. de an. c. 19.
i l. 7. c. 2.
k Die. canic. coll.
l lib. 18. c. 75.

& alia quoque Auenione, testimonijs *m* Volaterrani, *n* Cardani, *o* Paræi, *p* Magij, vt alibi *q* notaui: fieri vero non potest vt femininum semen vel in vtero mulieris hominem efformet, quia nihil agit rem seipso præstantiorem; at femineum semen habuit vim formatricem humani fætus. Quum igitur femina destituta non sit virtute formatrice conceptus, & habeat in se materiam; quid ni, si quandoque vis illa robustissima sit, & imaginatio venereorum semen effundat in vterum proprium, femina concipiat intra se, sine coitu masculi, dum maxime furit in venerem? potissimum vento masculi vices obeunte? partumque subuentaneum promouente? sic equæ Cappadociæ nimia libidine percitæ profuso semine suo in vterum, eoque venti caliditate actuato, concipere fortasse potuerunt pullos imbecillos triennium non excedentes. Denique vero partum hunc hypenemium firmare videtur Aristotelis aperta doctrina non vno in loco: primum quidem asserentis, *r* omnium animalium semen non aliunde sibi fecunditatem sortiri, quam a substantia spirituosa, quam continet: quæ substantia suo munere functa dissoluitur in halitus: verba Magistri sunt: *Inest in semine omnium, quod facit vt fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur; & natura, quæ in eo spiritu continetur, proportione respondet elemento stellarum* (quantum ad rationem principij actiui; nam cælum est causa solum effectrix euentuum subcælestium, vt ait *s* alibi Philosophus) *Quamobrem ignis nullum animal generat* solus efficiens: *neque constituit quicquam densis, vel humidis, vel siccis* partibus seminis *videtur. at vero Solis calor, & animalium* ab illo vegetatus, *non modo qui in semine* masculeo *continetur, verum etiam si quid excrementi sit* (quale nuper dictum fuit esse men-

*m* l.24.
*n* 14. var. c.64.
*o* l.24.c.12.
*p* 1.misc.c.20
*q* 2. de monstr.c.18

*Solutio IX.*

*X. Fundam. ex Aristot. doctrina.*

*r* 2.de gen. an.c.3.

*s* 1.meteo. su.1.c.2.

strum, hoc est femineum semen) *tamen id quoque principium habet vitale. Ceterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neque ab igne* solo prædominante *originem ducere, apertum ex iis est. Corpus autem genituræ, in quo semen animalis principij contentum vna prouenit, partim separabile a corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur* (nimirum portio spirituosa seminis, quæ diuina dicitur eo quod proportione correspondet elemento stellarum, quod corpus diuinum vocari consueuit ab *t* Aristotele; & mens appellatur ab *u* Hippocrate; portio hæc inquam spirituosa seminis a corpore tum masculi, tum feminæ separatur, conceptu iam constituto) *partim inseparabile* (quia densior portio tum masculei, tum feminei seminis, remanet, futura materia constituendi conceptus in vtero) *hoc inquam genituræ semen* actuosum, tenuiorisque substantiæ, munere suo functum, *dissoluitur, versumque in spiritum euanescit* (insensibiliter exiens ex vtero, quum intra vterum sensibilis spumæ speciem obtineret) *quum naturam humidam, aquosamque habeat*; quæ de se sensibilis, in insensibilem halitum tenuissimum facile resoluatur: *Quamobrem an semper id foras exeat, quærendum non est*; quum sensu percipi nequeat illius exitus: *neque an pars vlla sit formæ constitutæ*; quum spirituosa seminis substantia non concedat in materiam partis sensibilis embryi: *Quomodo nec de succo, a quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit; nam is quoque mutat, & nulla pars constitutæ magnitudinis est*. nempe coaguli portio spirituosa, quæ vim actiuam obtinet in lac, non remanet in isto iam coagulato, tanquam pars materialis & corporea casei; sed ex eo coagulato foras halat in ambientem, versa in euaporationes ob tenuitatem insensibiles. Huic primo theoremati copulandum est aliud Aristotelis infra dicentis; *x Generantur autem in ter-*

*t* 2. cal.t.2. 17.
2. de gen. c.3.
*u* 1. de carnib.
*x* 3. de gen. an. c.11.

*terra, humoreque animalia & planta, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia. Quamobrem consistant celeriter, quum calor ille comprehensus, siue exceptus est: comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa: sed differentia nobilioris ignobiliorisve generis constituendi in comprehensione principij animalis est. Huius autem rei causam & loca habent, & corpus quod comprehenditur &c.* Nimirum his ponit Aristoteles, in vniuerso tum aere, tum aqueo elemento reperiri spirituosam substantiam, habentem in se vim principij constituendi viuentia, vbi spiritus ille comprehensus fuerit ab idonea materia; celeriterque fieri exceptione spiritus illius animantia sponte genita cum putredine; quum ex materia putrescentium animantium euaporet spiritus iste secum deferens animam vtcumque (sicut olim late probauimus in opere de Spontaneo viuentium ortu) cuius beneficio vim obtinet constituendi diuersi generis animalia, & imperfecta, & perfectiora. Tertium his adijciendum est, quod proxime dictum fuit de generatione viuentium spontanea ex putrescentium materia concocta, id ipsum prius asseruisse Philosophum de generatione animalium in vtero matris, quod participationem comprehensionemq. substantiæ corporeæ spirituosæ, deferentis animam materiei conceptus perficiendi, verbis ipsissimis: y *Sed enim omnis animæ siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur: verum prout nobilitate, ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit vt fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, & spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur &c.* Ex quibus elicere possumus, In illa regione Cappado-

y 2. de gen. an. c. 3.

*Solutio* x.

ciæ, ac Hispaniæ, calidiori tempore veris, quando multum equorum natura libidine feruet, innumerabilibus equis coitum obeuntibus, tum ex eorum corporibus vna cum semine prolifico de masculis in vterum feminarum, & in aerem effundi magnam vbertatem exhalationis spirituosæ: tum ex equarum vteris exhalationem itidem, in quam post conceptum versum est masculi semen, spirituosam, labefactatam quidem, sed etiamnum aliquatenus fecunditatis participem: vnde totus aer ille scatet istiusmodi vapore seminali: Quem vbi libidinosiores equæ nonnullæ, furijs agitatæ Veneris, intra se receperint, attrahentes ore, vel vtero Zephyrum, Austrumve, aut Boream consimiles vapores deferentem, impellentemve; hausto velut a maritis prolifico seminis equini principio, ipsum proprio calore fouent, & actuant ad conceptum promouendum; pariuntque suo tempore pullos ex vento. Quoniam vero non omnes equæ regionis illius adeo fecundæ sunt, vt actuare plene valeant halitus illos in aerem sparsos, labefactatæ virtutis, ad opus, at solum natura calidiores, atque salaciores; propterea non omnes equæ Cappadoces, & Hispalenses ex vento concipiunt, sed paucæ. Quin etiam quoniam semen immediate profusum ab equo masculo in vterum equæ robustius est, quam ex eo defluxa exhalatio in aerem, & inde vi ventorum delata quomodocunque in vterum equarum; iccirco feminæ concipientes ex equis perfectos, viuaces, & robustos pariunt pullos; equæ vero concipientes e vento, seminaria virtute debiliori hausta, concipiunt pullos imperfectiores, imbecilliores, & ætatem triennij superare nequeuntes. Verum enimvero negocium prædictis facessere videtur, quod ait Aristoteles, animalia sexus distinctionem obtinentia non generare nisi coeat vterque se[illegible], feminamque ex semetipsa non ge-

Dub.

z 2. de gen. an. c. 4.

generare, ſed ad hoc opus marem deſiderare; quippe ab hoc ſolo poteſt fætus, cui mater indere ſolum valet animam vegetalem, animari ſenſitiuo principio. Ceterum paucis. Primo tractat ibi ſpeciatim Ariſtoteles de generatione hominis; cuius natura præſtantior eſt, quam vt a debilitato ſeminis halitu promoueri valeat: nos autem agimus de natura equorum, longis imperfectiorem humana. Deinde ſi conceſſero loqui de cunctis animantibus diſtinctionem ſexus obtinentibus: ibi Philoſophus agit de modo generationis communiore, magisque perfecto, & frequentiſſimo; qui ſemper coitu maris cum femina perficitur; nunc autem quæſtio nobis eſt de modo generationis, peculiari, imperfecto, atque rariſſimo; qui pro * nullo reputatur agenti de generatione animalium generatim; nam hoc ſimile prorſus eſt ei, quod Ariſtoteles alibi dixerat de Mulis: *a* Totum mulorum genus eſſe ſterile, mulasque concipere non poſſe maris vllius coitu; mox tamen addit, concipere poſſe quandoque mulam, ſed generare mulum oblæſum & debilem, qui ginnus vocatur. & infra, *c* Mulas concipere, parereque ſolum in terra Syria. Deinceps vero notamus, Ariſtotelem ibi *d* dicere ſolum, feminam ex ſeipſa ſola non poſſe prolem generare, ſed marem deſiderare; verum non ait illi opus eſſe maſculo coeunte; ſufficit ipſi mas quomodocunque, a quo ſuſcipiat vim generandi animal, ſiue iungatur illi per coitum, ſiue recipiat miniſterio ventorum ab eo defluxas in aerem exhalationes vaporoſas, in quas verſum abierit ſemen maſculi prolificum, vt antea notauimus. Et hoc modo concepiſſe videtur illa mulier abſque coitu cum homine, recepto illius ſemine ab ambiente, de qua ſic ait Auerroes: *e Et vicina quædam mea, de cuius ſacramento confidere multum bene poteramus, iurauit in anima ſua quod impragnata* 

*fuerat*

*Solutio.*

* 2. phyſ. t. 56.

*a* 2. de gen. an. c. 5.

*b* cap. 6.

*c* cap. 26.

*d* 1. de gen. an. c. 4.

*e* 2. collig. c. 10.

VI. Fund. ex piscibus absque mare fecundis.
r 4. hist. c. 11
*5. hist. c. 1.

alicubi Philosophus: r *Ad hæc in testaceis, atque in stirpibus, quod pariat, & generat, est: quod autem maris fungatur officio, deest. Sic etiam inter pisces genus passerum, & rubellionum, & hiatularum; oua enim in ijs omnibus repeariuntur.* & infra: * *In piscium genere nonnulla nec mares, nec feminæ gignuntur; quæ licet genus idem cum alijs sortiantur, tamen specie differunt. Quædam etiam sui generis omnino consistunt. Nec desunt, quæ mare vidua, sexu vno femineo formentur: quæ perinde vt aues pariunt; quæ vento oua concipiunt: quibus ab argumento conceptus; nomen hyponemia, quasi subuentanea inditum est. Verum ea, quæ aues concipiunt, omnia sunt infœcunda: ita enim eorum natura nihil vltra ouum creare potest, nisi quo alio modo maris opera contingat. Piscium vero nonnullis, quum spontina ediderint oua, euenit vt ex ijs animal progenere tur. Sed alia ex se ipsa id faciunt, alia non sine opera maris.*

Solutio VI.

Quod igitur his animalibus contingit; quid ni dicamus etiam equarum duo esse genera, quarum aliæ concipiant, ex equo, aliæ ex vento? Quin etiam id ex mularum varietate facilius cuincas, quæ maiorem habent affinitatem cum equabus, quam pisces: Porro mulas omnes fere steriles esse nouimus, & edocuit * Aristoteles: qui tamen aliquando notauit mulas peperisse, verum aliud esse mularum genus; aut imperfectum edidisse: verba Magistri sunt: f *Genus vnum mulorum sterile est; quippe quod neque secum, neque cum alijs iunctum generet. Quæstio igitur in vniuersum quum ob causam sterilis aut mas, aut femina sit: sunt enim steriles & mulieres & viri, atque etiam in ceterorum animalium genere, vt equorum, & ouium, sunt quæ nullam faciunt prolem: sed mulorum genus totum sterile est.* & mox: *Itaque concipere quidem aliquando mula potest, quod iam factum est, sed enutrire, atque in finem perducere non potest: mas generare interdum potest; quoniam & ca-*

VII. Fund. ex mularũ, & equarum diuersitate.
* 2. de gen. an cap. 6.
f 2. de gen. an. c. 5.

*& calidiores naturæ quam femina mas est, & nihil corporis per coitum confert ad generationem: quod autem facit, Ginnus est; quod mulus oblæsus est; nam ex equo & asino ginni proueniunt, quum conceptus in vtero ægrotauit. Est enim ginnus idem, quod Metachœrum in porcis; quod enim ibi læsum deprauatumque in vtero est, Metachœrum vocatur: quasi aporcellum dixeris: idque cuilibet porco accidere potest. Pygmeorum etiam, idest nanorum, pomilionum, & pusillorum generatio similis est; nam eorum quoque membra & magnitudines vitiantur in vtero, & sunt veluti aporcelli, & ginni. Hactenus de mulorum sterilitate.* Alibi vero dicit: *t Mula etiam gemellos peperit, quæ quidem pro ostento accipiuntur.* & mox: *Fit etiam in equorum genere, vt aliæ omnino steriles sint; aliæ concipiant quidem, sed edere nequeant. Cuius rei iudicium aiunt, quod fœtus circum renes alia quædam, specie propemodum renum, ita continet, vt rescissus quatuor renes habere videatur.* & infra: *u Mulus superuenire, coireque incipit missis dentibus primis: sed septennis implere potest: etiam cum equa coniunctus innum procreauit: post deinde superuenire non solet. Mula quoque iam facta grauida est, sed non quoad perficeret, atque ederet prolem. In terra Syria super Phœnicem mulæ & coeunt, & pariunt omnes; sed id genus diuersum est, quanquam simile. Prodeunt quos ginnos vocant ex equa, quum in gerendo vtero ægrotauit, more pumilionum in ordine hominum, aut porcorum deprauatorum in genere suum, quos posthumos nuncupaui: & quidem vt pumilio, sic ginnus modum suum genitali excedit.* & adhuc infra: *x Sunt in Syria, quos mulos appellant, genus diuersum ab eo, quod coitu equæ & asini procreatur, sed simile facie, quomodo asini siluestres, similitudine quadam nomen Vrbanorum accepere: & quidem vt asini illi feri, sic muli præstant celeritate. Procreant eiusmodi mulæ suo in genere: cuius rei argumento illæ sunt, quæ tempore Pharnacæ patris Pharnazabin in terram Phry-*

t 6 hist. c.22.

u cap.24.

x cap.36.

*Phrygiam venerunt, quæ adhuc extant: tres tantum ex nouem, quos numero olim fuisse aiunt, seruantur hoc tempore.*

Solutio VII

Quum igitur etsi mulorum genus totum sterile sit natura propter frigiditatem sui temperamenti; nihilominus in regionibus calidioribus aliquando, vt in Syria, & Cappadocia nonnullæ caliditate ambientis adipiscuntur semen fecundum, vt initæ prolem habeant: nisi forte mularum genus diuersum sit, quod similitudine quadam eas referat: iam non ab re dicere possimus equas frigiditate naturali steriles esse citra masculi coitum; attamen quasdam adeo calido temperamento pollere, vt non habeant opus equo admissario, sed sibi sufficiat ventus, ad augendum calorem seminis proprij, quo solo valeant prolem edere: quam tamen edunt infirmam, vt mulæ; non autem robustam, vt dum equi semine grauidæ fiunt. Vel forte fuerint equæ diuersi generis, nimirum vtrumque sexum habentes, etsi masculeum abditiorem. Vnde fundamentum octauum habeamus ad Quæsiti solutionem; etenim Androgynos esse plerosque, sexum vtrumque perfectum retinentes, qui pariter & implere feminas possint, & a masculis impleri, dudum apud y Montuum, & z Phlegontem vidimus, & posuimus in opere nostro De a Monstrorum natura. Quin & quum fieri valeat vt hi sexus in eodem animante non suis locis aptentur; sed præter naturam penis interne latens terminetur ad os interius vteri; sicuti vacca Perinthi rectum intestinum terminatum habuit in externum ostium b matricis, Aristotelis adnotatu; vt præter naturam hermaphroditis duobus a Phlegonte relatis, os vteri terminatus fuit in podice; de quibus *Dorotheus in commentarios suos retulit* (verba sunt Tralliani) *Alexandreæ in Aegypto Cynædum peperisse; fætumque conditum miraculi causa asseruari. In Germania quoque in exercitu Romano, quem T. Curtilius Marcias*

VIII. Fund. ex hermaphroditi natura.

y 1. Theor. med. c 6.
z l. de mirab. & longæu.
a l. 2. c. 53.
b 4. de gen. an c. 4. f.

*cias duxit, seruus militis peperit: Athenis Conone Præside: Romæ Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss.* Cuius rei tum historias, tum causas attulimus *c* alibi. Nimirum quemadmodum in mulieribus vesicæ collum secundum naturam inferitur in vteri ceruicem, vnde meiunt, & pariunt ex eodem orificio vuluæ; sic præter naturam tam in vacca Perinthi rectum intestinum terminabatur in vuluam, siue in vesicam, obturato podice; qua de re sic Aristoteles: *d Meatus etiam alimenti sicci coaluit aliquibus bestijs, scilicet ouibus, & quibusdam alijs; nam & vaccam fuisse Perinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur: dissectusque anus denuo propere coalescebat, nec resecando euincere vitium poterant:* tum cinædi duo illi relati a Dorotheo Medico, qui pepererunt, Androgyni fuere, quibus vterus occultus orificium suum terminatum habuit in podicem ad intestini recti meatum extremum: tum demum fieri potuit eadem ratione vt equæ concipientes absque coitu maris ex vento, fuerint vtroque sexu perfecto præditæ, quorum masculeus interne latens penem obtinuerit terminatum ad vteri ceruicem, vbi prolificum semen effunderet equa pruriens libidine, vento dilatante matricis foramen internus, & prolectante materiam seminis masculei ex abdito veretro ad vteri collum; intra cuius fundum attracta seminalis illa materies permisceretur cum semine sexus equæ feminei vi libidinis eo transmissi ad conceptum prolis absque coitu cum masculo distincto ab equa hermaphrodita. Porro talem fere vidit equam vtroque sexu præditam, & genitale masculeum obtinentem in foramine vuluæ Cardanus, hæc ad verbum referens: *e Equum vidi Androgynum Antuerpiæ, & canem qui intus testiculos habebat: ad venerem enim promptus erat, nec tamen testiculos habebat qui tangi possent. Ambo autem erant amicorum. Sed*

*c* 2. de Monstris c. 53. Solutio VIII.

*d* 4. de gen. an. c. 4. f.

*e* 7. de varie. rer. c. 33.

*equi præſtat formam deſcribere : is erat Princiualli Vicecomitis : vnum habebat tantum teſtem loco proprio, cum mammis tumidis, vt equæ habent. Inde vuluam proprio loco : & ex vulua penis emittebatur. Hinniebat ad equas, & forma maſculina erat; promptus, & erectus capite, craſſiore autem corpore, colore griſeo (vt vocant) caput magnum : penis non maior palmo, quum illum exereret. Emptus aureis trigintaſex. Certum erat, quum auerſo eſſet pene, coire illum non poſſe :* Licet multa coeant auerſa in animalium genere; docente Magiſtro : f *Coitus nec ſimiles omnium ſunt, nec ſimilem in modum aguntur :* & mox : *ſed quæ retro vrinam mittunt, auerſa coeunt, vt leones, lepores, lynces.* Certe ſi penem habuiſſet is equus intus abditum, vt vnum e teſtibus, atque deſinentem in collum vteri; libidinisque tempore ſemen e veretro fudiſſet in ceruicem matricis, ille in ſemetipſo, ſine maris alterius auxilio, prolem genuiſſet. Adijciendum his eſt, In feminis quibuſdam vim eſſe fætus formatricem, prolisque propagatricem robuſtiſſimam, vt quacumque leui de cauſa concipiant ſibi ſimilem fætum, cuius efformatio referri minime valeat in maſculum inferioris naturæ; ſiquidem nihil agit vltra ſuas vires; huius quidem rei duo præclara dudum obſeruauimus experimenta, tractantes de Monſtrorum g natura; Nam h Aelianus, i Plinius, & k Maiolus atteſtantur, homines cum feris coire, ac inde prolem ferre. Saxo Grammaticus, & Ioannes, ac Olaus l Magnns, Epiſcopi Vpſalenſes, aſſerunt, In Suetia puellam ab Vrſo raptam, conſtupratam, ferino concubitu geſtaſſe vterum, & puellum infantem piloſum quidem, ſed membris humanis partu ediđiſſe, verum hominem; qui adoleſcens ex accepta vxore filium genuit, nomine Tregellum; a quo Vlfo genitus eſt, Suenonis Danorum Regis pater. Romæ puella innupta ſemicanem peperit ex coitu nefario cum bellua,

& alia

f 5. hiſt. c. 2.

IX. Fund. ex vi formatrice feminæ.

g l. 2. c. 50. & 68.
h 1. de an. c. 19.
i l. 7. c. 2.
k Die. canic. coll.
l lib. 18. c. 75.

& alia quoque Auenione, testimonijs *m* Volaterrani, *n* Cardani, *o* Paræi, *p* Magij, vt alibi *q* notaui: fieri vero non potest vt ferinum semen vel in vtero mulieris hominem efformet, quia nihil agit rem seipso præstantiorem; at femineum semen habuit vim formatricem humani fætus. Quum igitur femina destituta non sit virtute formatrice conceptus, & habeat in se materiam; quid ni, si quandoque vis illa robustissima sit, & imaginatio venereorum semen effundat in vterum proprium, femina concipiat intra se, sine coitu masculi, dum maxime furit in venerem? potissimum vento masculi vices obeunte? partumque subuentaneum promouente? sic equæ Cappadociæ nimia libidine percitæ profuso semine suo in vterum, eoque venti caliditate actuato, concipere fortasse potuerunt pullos imbecillos triennium non excedentes. Denique vero partum hunc hypenemium firmare videtur Aristotelis aperta doctrina non vno in loco: primum quidem asserentis, *r* omnium animalium semen non aliunde sibi fecunditatem sortiri, quam a substantia spirituosa, quam continet: quæ substantia suo munere functa dissoluitur in halitus: verba Magistri sunt: *Inest in semine omnium, quod facit vt fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur; & natura, quæ in eo spiritu continetur, proportione respondet elementa stellarum* (quantum ad rationem principij actiui; nam cælum est causa solum effectrix euentuum subcælestium, vt ait *s* alibi Philosophus) *Quamobrem ignis nullum animal generat* solus efficiens: *neque constituit quicquam densis, vel humidis, vel siccis* partibus seminis *videtur: at vero Solis calor, & animalium* ab illo vegetatus, *non modo qui in semine* masculeo *continetur, verum etiam si quid excrementi sit* (quale nuper dictum fuit esse menstruum,

*m* l. 24. *n* 14. var. c. 64. *o* l. 24. c. 12. *p* 1. misc. c. 20. *q* 2. de monstr. c. 8

*Solutio* IX.

X. *Fundam. ex Aristot. doctrina.*

*r* 2. de gen. an. c. 3.

*s* 1 meteo. su. 1. c. 2.

ſtruum, hoc eſt femineum ſemen) *tamen id quoque principium habet vitale. Ceterum calorem in animalibus contentum nec ignem eſſe, neque ab igne* ſolo prædominante *originem ducere, apertum ex ijs eſt. Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum vna prouenit, partim ſeparabile a corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur* (nimirum portio ſpirituoſa ſeminis, quæ diuina dicitur eo quod proportione correſpondet elemento ſtellarum, quod corpus diuinum vocari conſueuit ab *t* Ariſtotele; & mens appellatur ab *u* Hippocrate; portio hæc inquam ſpirituoſa ſeminis a corpore tum maſculi, tum feminæ ſeparatur, conceptu iam conſtituto) *partim inſeparabile* (quia denſior portio tum maſculei, tum feminei ſeminis, remanet, futura materia conſtituendi conceptus in vtero) *hoc inquam genituræ ſemen* actuoſum, tenuiorisque ſubſtantiæ, munere ſuo functum, *diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit* (inſenſibiliter exiens ex vtero, quum intra vterum ſenſibilis ſpumæ ſpeciem obtineret) *quum naturam humidam, aquoſamque habeat*; quæ de ſe ſenſibilis, in inſenſibilem halitum tenuiſſimum facile reſoluatur: *Quamobrem an ſemper id foras exeat, quærendum non eſt*; quum ſenſu percipi nequeat illius exitus: *neque an pars vlla ſit formæ conſtitutæ*; quum ſpirituoſa ſeminis ſubſtantia non concedat in materiam partis ſenſibilis embryi: *Quomodo nec de ſucco, a quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit; nam is quoque mutat, & nulla pars conſtitutæ magnitudinis eſt*. nempe coaguli portio ſpirituoſa, quæ vim actiuam obtinet in lac, non remanet in iſto iam coagulato, tanquam pars materialis & corporea caſei; ſed ex eo coagulato foras halat in ambientem, verſa in euaporationes ob tenuitatem inſenſibiles. Huic primo theoremati copulandum eſt aliud Ariſtotelis infra dicentis; *x Generantur autem in ter-*

*t* 2. cæl. t. 2. 17. 2. de gen. c. 3.
*u* l. de carnib.
*x* 3. de gen. an. c. 11.

*terra, humoreque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia. Quamobrem consistunt celeriter, quum calor ille comprehensus, siue exceptus est: comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa: sed differentia nobilioris ignobiliorisve generis constituendi in comprehensione principij animalis est. Huius autem rei causam & loca habent, & corpus quod comprehenditur &c.* Nimirum his ponit Aristoteles, in vniuerso tum aere, tum aqueo elemento reperiri spirituosam substantiam, habentem in se vim principij constituendi viuentia, vbi spiritus ille comprehensus fuerit ab idonea materia; celeriterque fieri exceptione spiritus illius animantia sponte genita cum putredine; quum ex materia putrescentium animantium euaporet spiritus iste secum deferens animam vtcumque (sicut olim late probauimus in opere de Spontaneo viuentium ortu) cuius beneficio vim obtinet constituendi diuersi generis animalia, & imperfecta, & perfectiora. Tertium his adijciendum est, quod proxime dictum fuit de generatione viuentium spontanea ex putrescentium materia concocta, id ipsum prius asseruisse Philosophum de generatione animalium in vtero matris, quod participationem comprehensionemq. substantiæ corporeæ spirituosæ, deferentis animam materiei conceptus perficiendi, verbis ipsissimis: *y Sed enim omnis animæ siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur: verum prout nobilitate, ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina; videlicet quod calor vocatur; & spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur &c.* Ex quibus elicere possumus; In illa regione Cappado-

y 2. de gen. an. c. 3.

*Solutio X.*

ciæ, ac Hiſpaniæ, calidiori tempore veris, quandò multum equorum natura libidine feruet, innumerabilibus equis coitum obeuntibus, tum ex eorum corporibus vna cum ſemine prolifico de maſculis in vterum feminarum, & in aerem effundi magnam vbertatem exhalationis ſpirituoſæ: tum ex equarum vteris exhalationem itidem, in quam poſt conceptum verſum eſt maſculi ſemen, ſpirituoſam, labefactatam quidem, ſed etiamnum aliquatenus fecunditatis participem: vnde totus aer ille ſcatet iſtiuſmodi vapore ſeminali: Quem vbi libidinoſiores equæ nonnullæ, furijs agitatæ Veneris, intra ſe receperint, attrahentes ore, vel vtero Zephyrum, Auſtrumve, aut Boream conſimiles vapores deferentem, impellentemve; hauſto velut a maritis prolifico ſeminis equini principio, ipſum proprio calore fouent, & actuant ad conceptum promouendum; pariuntque ſuo tempore pullos ex vento. Quoniam vero non omnes equæ regionis illius adeo fecundæ ſunt, vt actuare plene valeant halitus illos in aerem ſparſos, labefactatæ virtutis, ad opus, at ſolum natura calidiores, atque ſalaciores; propterea non omnes equæ Cappadoces, & Hiſpalenſes ex vento concipiunt, ſed paucæ. Quin etiam quoniam ſemen immediate profuſum ab equo maſculo in vterum equæ robuſtius eſt, quam ex eo defluxa exhalatio in aerem, & inde vi ventorum delata quomodocunque in vterum equarum; iccirco feminæ concipientes ex equis perfectos, viuaces, & robuſtos pariunt pullos; equæ vero concipientes e vento, ſeminaria virtute debiliori hauſta, concipiunt pullos imperfectiores, imbecilliores, & ætatem triennij ſuperare nequeuntes. Verum enimvero negocium prædictis faceſſere videtur, quod ait Ariſtoteles, animalia ſexus diſtinctionem obtinentia non generare niſi coeat vterque ſexus; feminamque ex ſemetipſa non ge-

*Dub.*

*z 1. de gen. an. c. 4.*

generare, sed ad hoc opus marem desiderare; quippe ab hoc solo potest fætus, cui mater indere solum valet animam vegetalem, animari sensitiuo principio. Ceterum paucis. Primo tractat ibi speciatim Aristoteles de generatione hominis; cuius natura præstantior est, quam vt a debilitato seminis halitu promoueri valeat: nos autem agimus de natura equorum, longis imperfectiorem humana. Deinde si concessero loqui de cunctis animantibus distinctionem sexus obtinentibus: ibi Philosophus agit de modo generationis communiore, magisque perfecto, & frequentissimo; qui semper coitu maris cum femina perficitur; nunc autem quæstio nobis est de modo generationis, peculiari, imperfecto, atque rarissimo; qui pro * nullo reputatur agenti de generatione animalium generatim; nam hoc simile prorsus est ei, quod Aristoteles alibi dixerat de Mulis: *a* Totum mulorum genus esse sterile, mulasque concipere non posse maris vllius coitu; mox tamen addit, concipere posse quandoque mulam, sed generare mulum oblæsum & debilem, qui ginnus vocatur. & infra, *c* Mulas concipere, pareréque solum in terra Syria. Deinceps vero notamus, Aristotelem ibi *d* dicere solum, feminam ex seipsa sola non posse prolem generare, sed marem desiderare; verum non ait illi opus esse masculo coeunte; sufficit ipsi mas quomodocunque, a quo suscipiat vim generandi animal, siue iungatur illi per coitum, siue recipiat ministerio ventorum ab eo defluxas in aerem exhalationes vaporosas, in quas versum abierit semen masculi prolificum, vt antea notauimus. Et hoc modo concepisse videtur illa mulier absque coitu cum homine, recepto illius semine ab ambiente, de qua sic ait Auerroes: *e Et vicina quadam mea, de cuius sacramento confidere multum bene poteramus, iurauit in anima sua quod impragnata fuerat*

*Solutio.*

* 2. phys. t. 56.

*a* 2. de gen. an. c. 5.

*b* cap. 6.

*c* cap. 26.

*d* 1. de gen. an. c. 4.

*e* 2. collig. c. 10.

*fuerat subito in balneo lauelli aqua calidæ, in quo spermatizauerunt mali homines, quum essent balneati in illo balneo. Et ego perscrutatus sum vnum librum, quem fecit Auemcladis de spermate: & inueni eum, qui dicit quod hoc possibile est esse; & reddit de hoc rationem plurimum mihi placentem, quia vulua trahit sperma propter vnam propriam virtutem, quam habet cum eo a tota specie: & ad hoc non est necessaria delectatio: o quam bene mihi placet.* Etiamsi putauerim facilius illam mulierem concepisse tracto, non semine, sed vaporoso spiritu de materia seminis elato; quo balneum totum refertum fuerit; nam constat semen fecundum in aqua non supernatare, sed fundum petere deorsumque labere, posteaquam spirituosa substantia eius prolifica exhalauerit: Aristotele scribente de semine, *f Delabitur in aqua quod fecundum est, atque subsidit: quod autem infecundum est, diffunditur, atque exolescit.* Hoc etiam modo recipio, concepisse virginem, de qua D. Thomas ita: *g Posse tamen forte absque miraculo mulier salua omnimoda virginitate concipere: sicut dicitur accidisse de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat, qui dum somno pollueretur, semen ad matricem descendit, & puella concepit.* Quam historiam ait *h* Delrius non esse penitus incredibilem: namque longe facilius est irrepsisse spirituosam substantiam, & vaporosam halantem e paterno semine calente tunc in vterum attrahentem virginis pubesentis, quam crassam & densam spermatis illius corpulentiam, non ita patente, sed fere clauso virginitatis ostiolo, perexiguaque rima, sicut obseruant Anatomici. Sic mihi philosophandum occurrit de Quæsito difficillimo.

f 3. hist. c.22.

g Quodl.6. q.3.ar.18.

h 1.to.mag. dis.l.2.qu. 15.

### *De Tylo Insula, cuius omnes arbores foliosæ semper habentur. Cap. XLIII.*

QVod vltimo loco proponis ex D. Augustino scribente: *Tilon Indiæ insulam eo præferri ceteris terris, quod omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum*. Id, egregie Balde, sumpsisse videtur Magnus Vir a Solino, talia dicente: a *Tylos Indiæ insula est, ea fert palmas, oleas creat, vineis abundat. Terras omnes hoc miraculo sola vincit, quod quæcunque in ea arbos nascitur, nunquam caret folio*. vel potius a Plinio, qui prius ista Solinum docuerat, aiens de Insula Tylo in sinu Persico sita: b *Fert eadem insula & palmas, oleasque, ac vites, & cum reliquo pomorum genere ficos. Nulli arborum folia ibi decidunt*. Vocauit autem Solinus Persicum sinum regionem Indiæ, quod Indiæ conterminus esset, & nobis pro Indiæ parte propter distantiam habeatur. Hanc autem historiam antea multo, & paulo diligentius proposuit, a quo desumpsisse videntur isti, Theophrastus, inquiens: c *In Tylo autem insula, quæ in sinu Arabico est, parte ad Orientem spectante, tantam arborum multitudinem esse affirmant vbi æstus recesserit, vt locus frequentissimo vallo munitus relinquatur: atque his omnibus magnitudo, qua fico: flos odore excellens; fructus ingustabilis, & visu lupino similis. Lanigeras quoque arbores multas eandem insulam ferre proditum est: has folia vitigena gerere, verum minora, fructum nullum. Id, in quo lana continetur, mali amplitudine cerni; vere nasci compressum; quum tempestiuæ maturitatis sit, aperiri: & lanam excipi, qua telas texunt, alias viles, alias pretiosas. Hæc idem & in India (sicut dictum est) & in Arabia fieri asseuerant. Esse etiam alias arbores, flore violæ matronalis affirmant, verum sine odore, magnitudine vel quadruplo vio-*

a cap 65.

b l.12.c.11.

c 4. de hist. pl. c. 9.

*viola maiore. Est & alia quadam arbor foliosa rosa modo, florisque rosei: hunc noctu comprimi, Solis exortu aperiri, meridie in plenum expandi, vesperi iterum colligi paulatim, noctuque concludi: incola eum dormire tunc dicere assolent. Quin & palmas, & vites, & genera nucum, pomorumque, & ficos, quibus folia nunquam decidunt, nasci eadem in insula affirmant. Aquam calestem fieri quidem, sed non ad fructus usui esse: sed fontes in insula esse permultos, quibus omnia rigentur: & eam aquam frumentis, arboribusque magis prodesse: qua de causa, post pluuiam protinus hanc perfundunt, quasi illam abluere, atque abstergere velint. Et arbores quidem maris exteri, qua hactenus explorata habentur, tot fere esse constat.* Abluunt autem pluuias ex arboribus, & alijs plantis aqua fontium; quod illæ pluuiæ de maris vaporibus concretæ notam obtineant noxiæ stirpibus amaritudinis, atque salsuginis alicuius. Quod autem post enumerationem omnium arborum illius insulæ, dicat eis nunquam folia decidere, id Solinus & Plinius apte referunt ad omnes, non ad vltimo loco recensitas tantum palmas, vites, nuces, ficos, & pomorum aliorum feraces. Ceterum perpetuitatis foliorum in omnibus arboribus illius insulæ tres causas naturales haurire possumus e Theophrasto, & Aristotele, nempe loci perennem humorem, iuge nutrimentum frondibus ministrantem: pinguedinem alimentarij succi, quæ non omnino possit absumi, & arefieri: cælique temperiem, qua nec hiemali frigore conglacietur alimentum foliorum, nec æstiuo calore penitus absumatur. De qua re Theophrastus ita: d *Omnia vero tam in his, quam in reliquis generibus, qua coma perpetua virent, folijs angustioribus sunt, & pinguedinem quandam, suauemque olentiam reddunt. Nonnulla, quanquam sua natura semper viuere nequeant, tamen ex loci causa folia nunquam dimittunt: vt dictum de his, qua in agro*

d 1. hist. pl. c. 15.

Ele-

*Elephantino, Memphique proueniunt. Atqui inferius ea parte, quam Delta a triquetra figura vocitant, parum intercedit temporis, quin perpetuo vireant. In Creta insula, agro Gortynensi, platanum apud fontem quendam stare asseuerant, quæ nunquam folia deperdit. Iouem sub ea cum Europa concubuisse fabulantur. Quercus in agro Thurino est, Sybari perspicua, quæ nunquam folia dimittit: eam non vna cum alijs germinare aiunt, sed post ortum caniculæ. Omnibus autumno & per autumnum folia decidunt; alijs tamen ocyus, alijs tardius; vt quædam etiam ab hieme occupentur.* & mox: *Regio autem solumque madidum plurimum ad perdurandum conferre videntur. Quæ enim in siccis, atque in totum tenuibus locis extant, prius folia dimittunt; & veteres prius, quam nouæ. Quædam & antequam fructum percoquant, folia deperdunt, vt serotinæ fici, & pyri siluestres. Illis, quæ perpetuo virent, occasus ortusque vicissim occurrunt. Non enim semper eadem durant; sed alia proueniunt, alia exarescunt; idque circa æstiuum solstitium maxime factitari videtur. An quibusdam etiam post Arcturi ortum, aut secus in aliqua regione fiat, considerandum relinquo. Foliorum occasus ita se habet.* Auerroes [e] causam decidendi folia posuit siccitatem, quæ solet in arboribus vigere maxime circa finem æstatis, & initium autumni. Quoniam igitur in Insula Tylo conueniunt omnes causę foliorum conseruatrices in arboribus, ambientis aeris æterna temperies, terræ subiectæ natura semper abundans humiditate, quæ sit alimento plantis pinguiusculo, quæ conditiones omnes non inueniuntur simul in alijs locis vllis; propterea sola Tylos insula fert arbores omnium generum semper frondosas, & nunquam amittentes folia. Miracula decem igitur illa Naturæ, quæ D. Augustinus obiecit Ethnicis, tanquam incompertam obtineant causam sui naturalem, si physicam rationem habent humanis intellectibus non ignorabilem,

[e] 2. post. com. t. 90. 91.

bilem, quam a me requirere voluisti, mi Balde, non aliunde mihi prouenire videntur, quam ex allatis principijs. Tu mea cogitata boni consule, meque de tarda responsione fac excusatum habeas: nam occupatus impensius in publico legendi munere non potui nisi diebus vacationum interpollatis huiusmodi spartam, abs te mihi propositam, quæ totum hominem difficillima requisiuit, adornare. Vale. Dabam Patauij, e meo Scalumnæ Museo. III. Calend. Iunij. M DC XLVII.

## *Peroratio totius Operis.* Cap. XLIV.

HActenus de Quæsitis ænigmaticam fere naturam habentibus, quæ quinto volumine proponere libuit: Alia fortasse licebit adornare sexto commentario. Interim summas gratias habeo Clementissimo Deo, qui meum intellectum pariter & calamum direxit ad ista conscribenda. Quorum non nisi ea dicta rata volo, quæ S.R.Ecclesiæ decretis, & Orthodoxæ Fidei consentanea sunt. Ita me Deus amet, adiutorque sit in omnibus actionibus meis, & in extremo vitæ meæ.

# PRO IMPRESSIONE.

*Nos Frater Iulius Missinus Vrbeuetanus Ordinis S. Francisci Minorum Conuentualium, Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, in Ciuitatibus, & Diœcesibus Aquileiæ, & Concordiæ Inquisitor Generalis à Sancta Sede Apostolica contra hæreticam prauitatem specialiter delegatus, libenter annuimus, vt typis demandentur duo præsentes libri inscripti alter de Quinto, alter verò de Sexto Quæsitis per Epistolas Clarorum Virorum Responsa Fortunij Liceti Genuensis ex L. Com. in Archigymnasio Patauino Medici Theorici supremæ Cathedræ, cum in illis nil repertum fuerit, quod vel Sacrosanctæ Fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersetur. In quorum fidem &c.*

*Datum in Ciuitate Vtinensi apud Ædes Sanctissimæ Inquisitionis infra septa Monasterij S. Francisci Interioris hac die prima Februarij 1648.*

*Ita est F. Iulius Missinus Inquisitor qui supra manu propria.*

---

## Noi Reformatori del Studio di Padoua

*Hauendo veduto per fede del R. P. Inquisitor di Vdine, che nelli libri intitolati De Quinto, & Sexto Quæsitis per Epistolas Responsa Fortunij Liceti, non si contiene cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, Concedemo licenza, che sian stampati, douendosi osseruar le leggi in questa materia, e presentarne due copie per le librarie publiche di Venetia, e di Padoua. In quor. fid.*

*Dat. li 18. Febraro 1648.*

§ Pietro Foscarini Caualier, Reformator.

§ Angelo Contarini Caualier, Proc.r Reform.r

§

*Aluise Querini Segretario.*

# Erratorum correctio.

Pag.13.lin.14.vtque atque.13.27.Antiquorum Antiquiores.17.24.ordinis ordines.20.19.quæ qua.28.2.ipso ipsos;31.1.euum æuum.32.15.dependentes deperdentes.34.13.ob ab.35.20.eo ea.37.27.n alû ad n ali m.40.5.Iustitiam.Iustitia.41.17.ros vnde ros; vnde.54.28.illis illius.55.22.humanæ humanam.63.16.Stant Stante.75.16.Dafiadæ Dosiadæ.84.13.degam degens.84.17.studio stadio.86.33.productum productam.87.4.nimbus nimbos.87.18.apertissime apussime.98.15.theraupeutarum therapeutarum.100.5.dicens daret,dicens.106.30.inuisis inuisi.107.11.verbi verbis.110.20.ac ad.111.24.miserque misereque.125.21.recta recte.126.22.enim etiam.128.4.dedignatos dedignatus.130.19.omnes dele.132.1.afficere officere.134.26.immissos immisso.135.14.denarium, denarium, differentiam.135.33.percutias percutiam.136.24.cilicium. cilicium?152.27.ingenitum ingentium.152.30.ob ab.157.7.*Gelidus Gelidas*.166.22.*Gelidus Gelidas*.184.8.tantum tantam.188.28.interiectus interiectu.197.7.vibrata vibratu.200.6.Frontes Frontis.218.30.alla della.253.17.ros ad nos.257.26.tantam tantum.261.10.discita dissita.266.29.si qu ũ si quam.270.18.directas directos.280.11.vt at.280.31.Combi Venetus post Combi Veneti mortem Frambottus Patauinus.281.16.tum eum.283.6.sit si sit.291.24.partim partium.295.23.curati,si curare si.296.10.discimus discimus.296.27.aut acu.306.vlt confundat confundant.309.2.absolutu absolutus.311.1.Vlysipponas Vlysipponis.322.23.in potẽtia impotentiam.332.17.ouum quam.333.1.caliotores calidioris.342.8.putauetam putauerim 343.32.Hac Hoc.